



mulationis, sicut reliquæ virtutes, ita pietas ineſſe non poteſt, cum qua ſimul & ſanctitatem, & religionem tolli neceſſe eſt: quibus ſublatis perturbatio vitæ ſequitur, & magna confuſio. Atq; haud ſcio, an pietate aduerſus deos ſublata, fides etiam, & ſocietas humani generis, & vna excellentiſſima virtus, iuſtitia tollatur. *Sunt autẽ alij philoſophi & hi quidem magni, atq; nobiles, qui deorum mente, atq; ratione omnem mundum adminiſtrari & regi cenſeant: neq; verò id ſolùm: ſed etiã ab iiſdem vitæ hominum conſuli, & prouideri. nam & fruges, & reliqua, quæ terra pariat, & tempeſtates, ac temporum varietates, cæliq; mutationes, quibus omnia, quæ terra gignat, maturata pubeſcant, à dijs immortalibus tribui generi humano putant: multaq;, quæ dicentur in his libris, colligunt: quæ talia ſunt, vt ea ipſa dij immortales ad vſum hominum fabricati pænè videantur. Contra quos *Carneades ita multa diſſeruit, vt excitaret homines non ſocordes ad veri inueſtigandi cupiditatem. Res enim nulla eſt, de qua tantopere non ſolùm indocti, ſed etiam docti diſſentiant. quorum opiniones cùm tam variæ ſint, tamq; inter ſe diſſidentes: alterum fieri profectò poteſt, vt earum nulla; alterum certè non poteſt, vt plus vna vera ſit. Qua quidem in cauſſa & benevolos obiurgatores placare, & inuidos vitupera-

tores confutare possumus; vt alteros reprehendisse pœniteat, alteri se didicisse gaudeant. nam qui admonent amicè, docendi sunt: qui inimicè insectantur, repellendi. Multum autem fluxisse video de libris nostris, quos complures breui tempore edidimus, variumq; sermonem, partim admirantium, vnde hoc philosophandi nobis subitò studium exstitisset: partim, quid quaque de re certi haberemus, scire cupientium. Multis etiam sensi mirabile videri, eam nobis potissimum probatam esse philosophiam, quæ lucem eriperet, & quasi noctem quandam rebus offunderet, *desertæq; disciplinæ, & iampridem relictæ patrocinium nec opinatum à nobis esse susceptum. Nos autem nec subitò cœpimus philosophari, nec mediocrem à primo tempore ætatis in eo studio operam, curamq; consumpsimus: & , cùm minimè videbamur, tum maximè philosophabamur, *quòd & orationes declarat refertæ philosophorum sententijs, & doctissimorum hominũ familiaritates, quibus semper domus nostra floruit: & principes illi *Diodotus, *Philo, *Antiochus, *Posidonius, à quibus institutî sumus. Et si omnia philosophiæ præcepta referuntur ad vitam, arbitramur nos & publicis, & priuatis in rebus ea præstitisse, quæ ratio & doctrina præscripserit. *sin autem quis requirit, quæ caussa nos impulerit, vt hæc tam sero

sero litteris mandaremus: nihil est, quòd expedire tam facilè possimus. Nam cùm otio langueremus, & is esset reipub. status, vt eam vnius consilio, atque cura gubernari necesse esset: primùm ipsius reipublicæ caussa philosophiam nostris hominibus explicandam putaui, magni existimãs interesse ad decus, & laudem ciuitatis res tam graues, tamq; præclaras Latinis etiam litteris contineri. Eoq; me minus instituti mei pœnitet, quòd facilè sentio, quàm multorum non modò discendi, sed etiam scribendi studia commouerim. Complures enim Græcis institutionibus eruditi, ea quæ didicerant, cum ciuibus suis communicare non poterant, quòd illa quæ à Græcis accepissent, Latinè dici posse diffiderent. Quo in genere tantum profecisse videmur, * vt à Græcis ne verborum quidem copia vinceremur. Hortata est etiam, vt me ad hæc conferrem, animi ægritudo, fortunæ magna, & graui commota iniuria: cuius si maiorem aliquam leuationem reperire potuissem, non ad hanc potissimum confugissem. Ea verò ipsa nulla ratione melius frui potui, quàm si me non modò ad legendos libros, sed etiam ad totam philosophiam pertractandam dedissem. Omnes autem eius partes, atque omnia membra tum facillimè noscuntur, cùm totæ quæstiones scribendo explicantur. Est enim admirabilis quædam

Universitäts- und Landesbibliothek Bonn

Eden continuatio, seriesq; rerum, vt alia ex alia nexa, & omnes inter se aptæ, colligatæq; videantur. Qui autem requirunt, quid quaq; de re ipsi sentiamus, curiosius id faciunt quàm necesse est: non enim tam auctoritatis in disputãdo, quàm rationis momenta quærenda sunt. Quinetiam obest plerumque ijs, qui discere volunt, auctoritas eorum, qui se docere profitentur. Desinunt enim suum iudicium adhibere: id habent ratum, quòd ab eo, quem probant, iudicatum vident. Nec verò probare soleo id, quod de Pythagoricis accepimus: quos ferunt, si quid affirmarent in disputando, cùm ex ijs quæreretur, quare ita esset, respondere solitos, IPSE DIXIT. Ipse autem, erat Pythagoras. tantum opinio præiudicata poterat, vt etiam sine ratione valeret auctoritas. Qui autem mirantur nos hanc potissimum disciplinam secutos, his quattuor Academicis libris satis responsum videtur. Nec verò desertarũ, relictarumq; rerum patrocinium suscepimus: non enim hominum interitu sententiæ quoque occidunt, sed lucem auctoris fortasse desiderãt: vt hæc in philosophia ratio contra omnia disserendi, nullamq; rem apertè iudicãdi, *profecta à Socrate, repetita ab Arcesila, confirmata à Carneade, vsque ad nostram viguit ætatem: *quam nunc propemodum orbam esse in ipsa Græcia intelligo. quod non Academiæ vitio, sed tarditate hominum arbitror contigisse. Nam si singulas disciplinas percipere magnum est, quanto maius omnes? quod facere ijs necesse est, quibus propositum est, veri reperiendi caussa & contra omnes philosophos, & pro omnibus dicere. Cuius rei tantæ, tamq; difficilis facultatem consecutum esse me non profiteor, secutum esse præme fero. Nec tamen fieri potest, vt qui hac ratione philosophentur, ij nihil habeant, quod sequantur. Dictum est hac de re alio loco diligentius: sed quia nimis indociles quidam, tardiq; sunt, admonendi videntur sæpius: non enim sumus ij, quibus nihil verum esse videatur: sed ij, qui omnibus veris falsa quædam adiuncta esse dicamus, tanta similitudine, vt in ijs nulla insit certa iudicandi, & assentiendi nota. Ex quo exsistit & illud, multa esse probabilia: quæ quamquam non perciperentur, tamen quia visum haberent quendam insignem, & illustrem, his sapientis vita regeretur. Sed iam, vt omni me inuidia liberem, ponã in medio sententias philosophorum de natura deorum. Quo quidem loco conuocandi omnes videntur qui, quæ sit earum vera, iudicent. Tum demum mihi procax Academia videbitur, si aut consenserint omnes, aut erit inuẽtus aliquis, qui, quid verùm sit, inuenerit. Itaq; mihi libet exclamare, vt Statius in Synephebis:

Prò deum, populariũ omnium adolescentium,

Clamo, postulo, obsecro, oro, ploro, atq; imploro fidem.
non leuissima de re, vt queritur ille fieri in ciuitate facinora capitalia,
Ab amico amante argentum accipere meretrix non vult:
sed vt adsint, cognoscant, animaduertant, quid de religione, pietate, sanctitate, cæremoniis, fide, iureiurando, quid de templis, delubris, sacrificijsq; solennibus, quid de ipsis auspicijs, quibus nos præsumus, existimandum sit. hæc enim omnia ad hãc de dijs immortalibus quæstionem referenda sunt. Profectò eos ipsos, qui se aliquid certi habere arbitrantur, addubitare coget doctissimorum hominum de maxima re tanta dissensio. quod cùm sæpe aliàs, tum maximè animaduerti, cùm apud C. Cottã familiarem meum accuratè sanè, & diligenter de dijs immortalibus disputatum sit. *Nam cùm ferijs Latinis ad eum ipsius rogatu, accersituq; venissem, offendi eum sedentem in exhedra, & cum C. Velleio senatore disputantem, ad quem tum Epicurei primas ex nostris hominibus deferebant. Aderat etiam Q. Lucilius Balbus: qui tantos progressus habebat in Stoicis, vt cũ excellentibus in eo genere Græcis cõpararetur. Tum, vt me Cotta vidit, Peropportunè, inquit, venis: oritur enim mihi magna de re altercatio cum

cum Velleio: cui pro tuo studio non est alienum te interesse. Atqui mihi quoque videor, inquam, venisse, vt dicis, opportunè: tres enim trium disciplinarum principes conuenistis. *Mi enim Piso si adesset, nullius philosophiæ, earum quidem quæ in honore sunt, vacaret locus. Tum Cotta, Si, inquit, liber Antiochi nostri, qui ab eo nuper ad Balbum missus est, vera loquitur, nihil est, quòd Pisonem familiarem tuum desideres. Antiocho enim Stoici cum Peripateticis re *consentire videntur, verbis discrepare. quo de libro velim scire, Balbe, quid sentias. Egóne? inquit ille. miror Antiochum hominem in primis acutum non vidisse, interesse plurimum inter Stoicos, *qui honesta à commodis non nomine, sed genere toto disiungerent: & Peripateticos, qui honesta commiscerent commodis: vt ea inter se magnitudine, & quasi gradibus, non genere differrent. hæc enim est non verborum parua, sed verum permagna dissensio. Verùm hæc aliàs, nunc quod cæpimus, si videtur. Mihi verò, inquit Cotta, videtur. sed, vt hic, qui interuenit me intuens, ne ignoret quæ res agatur, *de natura agebamus deorum. quæ cùm mihi videretur perobscura, vt semper videri solet, Epicuri ex Velleio sciscitabar sententiam. Quamobrem, inquit, Velleì, nisi molestum est, repete quæ cæperas. Repetam verò: quamquam non

nō mihi, sed tibi hic venit adiutor: ambō enim, inquit arridens, ab eodem Philone nihil scire didicistis. Tum egò, Quid didicerimus, Cotta viderit: tu autem nolo existimes me adiutorem huic venisse, sed auditorem, & quidem æquum, libero iudicio, nulla eiusmodi astrictum necessitate, vt mihi, velim nolim, sit certa quædam tuenda sententia. Tum Velleius fidenter sanè, vt solent isti, nihil tam verens, quàm ne dubitare aliqua de re videretur: tamquam modò ex deorum consilio, & * ex Epicuri intermundijs descendisset, Audite, inquit, non commentitias, futilesq; sententias, non opificem, ædificatoremq; mundi Platonis de Timæo deum: nec anum fatidicam Stoicorum πρόνοιαν, quam Latinè licet prouidentiam dicere: neque verò mundum ipsum animo, & sensibus præditum, rotundum, ardentem, volubilem deum, portenta, & miracula non differentium philosopherum, sed somniantium. Quibus enim oculis intueri potuit vester Plato fabricam illam tanti operis, qua constructa à deo, atque ædificari mundum fecit? quæ molitio, quæ ferramenta, qui vectes, quæ machinæ, qui ministri tanti muneris fuerunt? Quemadmodum autem obedire, & parere voluntati architecti, aër, ignis, aqua, terra potuerunt? Vnde verò ortæ illæ quinque formæ, ex quibus reliquæ formantur, aptè cadentes ad animum

mum efficiendum, pariendosq; sensus? * Longum est iter ad omnia, quæ talia sunt, vt optata magis, quàm inuenta videantur. Sed illa palmaris quidem, quod, qui non modò natum mundum introduxerit, * sed etiam manu pænè factum, is eum dixerit fore sempiternum: hunc censes primis, vt dicitur, labris gustasse physiologiam, qui quidquam quod ortum sit, putet æternum esse posse? Quæ est enim coagmentatio non dissolubilis? aut quid est, cuius principium aliquod sit, nihil sit extremum? * Pronæa verò, si vestra est Lucili, eadem requiro quæ paullò antè, ministros, machinas, omnem totius orbis designationem, atque apparatum. sin alia est, cur mortalem fecerit mundum, nō, quemadmodum Platonicus deus, sempiternum? Ab vtroq; autem sciscitor, cur mundi ædificatores repente exstiterint, innumerabilia antè secula dormierint. Non enim, si mundus nullus erat, secula non erant. secula nunc dico, non ea, quæ dierum noctiumque numero annuis cursibus conficiuntur: nam fateor ea sine mundi conuersione effici non potuisse: sed fuit quædam ab infinito tempore æternitas, quàm nulla temporum circumscriptio metiebatur: spatio tamen qualis ea fuerit, intelligi non potest: quod ne in cogitationem quidem cadit, vt fuerit tempus aliquod, nullum cùm tempus esset. Isto igitur tam immenso spatio quæro, Balbe,

cur

cur Pronœa vestra vessauerit. laborémne fugiebat? At iste nec attingit deum, nec erat vllus, cùm omnes naturæ numini diuino, cælum, ignes, terræ, maria parêrent. Quid autem erat, quod concupisceret deus mundum signis, & luminibus tamquã Aedilis ornare? si vt deus ipse melius habitaret: antea videlicet tempore infinito in tenebris tamquam in gurgustio habitauerat. Pòst autem varietaténe eum delectari putamus, qua cælum & terras exornatas videmus? Quæ ista potest esse oblectatio deo? quæ si esset, non ea tandiu carere potuisset. An hæc, vt ferè dicitis, hominum caussa à deo constituta sunt? sapientúmne? propter paucos ergo tanta est fãcta rerum molitio, an stultorum? at primùm caussa non fuit, cur de improbis benè mereretur: deinde, quid est assecutus, cùm omnes stulti sint sine dubio miserrimi, maximè quòd stulti sunt? Miserius enim stultitia quid possumus dicere? deinde quòd ita multa sunt incommoda in vita, vt ea sapientes commodorum compensatione leniant, stulti nec vitare venientia possint, nec ferre præsentia. Qui verò mundum ipsum animantem sapientemq; esse dixerunt, nullo modo viderunt animi naturam, intelligentes in quam figuram cadere posset: de quo dicam paullò pòst. Nunc autem hactenus admirabor eorum tarditatem, qui animantem, immortalem, & eundem beat

beatum, & rotundum esse velint, quòd ea forma vllam neget esse pulchriorem Plato. At mihi vel cylindri, vel quadrati, vel coni, vel pyramidis videtur esse formosior. Quæ verò vita attribuitur isti rotundo deo? nempe vt ea celeritate contorqueatur, cui par nulla ne cogitari quidem possit. in qua non video vbinam mens constans, & vita beata possit insistere. quodq; in nostro corpore, si minima ex parte significetur, molestum sit: cur hoc idem non habeatur molestum in deo? Terra enim profectò, quoniam pars mundi est, pars est etiam dei. atqui terræ maximas regiones habitabiles, atque incultas videmus, quòd pars earum appulsu solis exarserit, pars obriguerit niue, pruináque, longinquo solis abscessu. quæ, si mundus est deus, quoniam partes mundi sunt, dei membra partim ardentia, partim refrigerata dicenda sunt. Atque hæc quidem vestra, Lucili. qualia verò sint, ab vltimo repetam superiorũ.

*Thales enim Milesius, qui primus de talibus rebus quæsiuit, aquam dixit esse initium rerum: deum autem eam mentem, quæ ex aqua cuncta fingeret. Si dũ possunt esse sine sensu, & mente, cur aquæ adiunxit, si ipsa mens constare potest vacans corpore? * Anaximandri autem opinio est natiuos esse deos, longis interuallis orientes, occidentésque, eósque innumerabiles esse mundos. sed nos deum

nisi

nisi sempiternum intelligere quî possumus? Posi*Anaximenes aëra deum statuit, eumq; gigni, essèq; immensum, & infinitum, & semper in motu: quasi aut aër sine vlla forma deus esse posśit, cùm præsertim deum non modò aliqua, sed pulcherrima specie esse deceat: aut non omne, quod ortum sit, mortalitas consequatur. Inde * Anaxagoras, qui accepit ab Anaximene disciplinam, primus omnium rerum descriptionem, & modum mentis infinitæ vi, ac ratione designari, & confici voluit. in quo non vidit, neque motum sensui coniunctum & contimentem in infinito vllum esse posse, neque sensum omnino, quo non ipsa natura pulsa sentiret. Deinde si mentem istam quasi animal aliquod esse voluit, erit aliquid interius, ex quo illud animal nommetur. Quid autem interius mente? Cingitur igitur corpore externo. Quòd quoniam non placet, aperta simplexq; mens nulla re adiuncta, quæ sentire posśit, fugere intelligentiæ nostræ vim, & notionem videtur.*Crotoniates autem Alcmæo, qui soli, & lunæ, reliquisq; sideribus, animoq; præterea diuinitatem dedit, non sensit sese mortalibus rebus immortalitatem dare. Nam*Pythagoras, qui censuit animum esse per naturam rerum omnem intentum, & commeantem, ex quo nostri animi caperentur, non vidit distractione humanorum animorum discerpi

cerpi, & dilacerari deum: & cùm miseri animi essent, quod plerisq; contingeret, tum dei partem esse miseram: quod fieri non potest. Cur autem quidquam ignoraret animus hominis, si esset deus? quomodo porrò deus iste, si nihil esset nisi animus, aut infixus, aut infusus esset in mundo? Tum*Xenophanes, quis mente adiuncta omne præterea, quod esset infinitum, deum voluit esse, de ipsa mente ita reprehenditur, vt ceteri: de infinitate autem vehementius, in qua nihil neq; sentiens, neq; coniunctum esse potest. Nam Parmenides commentitium quiddam coronæ similitudine efficit: Stephanem appellat, continentem ardore lucis orbem, qui cingit cælum quem appellat deum, in quo neque figuram diuinam, neq; sensum quisquam suspicari potest. Multa eiusdem monstra, quippe qui bellum, qui discordiam, qui cupiditatem, cæteráque generis eiusdem ad deum reuocat: quæ vel morbo, vel somno, vel oblitione, vel vetustate delentur. eadémque de sideribus: quæ reprehensa iam in alio, in hoc omittantur. Empedocles autem multa alia peccans, in deorum opinione turpissimè labitur. Quattuor enim naturas, ex quibus omnia constare vult, diuinas esse censet: quas & nasci, & extingui perspicuum est, & sensu omni carere. Nec verò*Protagoras, qui sese negat omnino de dijs habere quod liqueat, sint, nõ sint, qualésve

sint, quidquam videtur de natura deorum suspicari. Quid *Democritus, qui tum imagines, earumq; circuitus in deorum numero refert, tum illam naturam, quæ imagines fundat, ac mittat, tum scientiam, intelligentiamq; nostram, nóane in maximo errore versatur? cùm idem omnino, quia nihil semper suo statu maneat, neget esse quidquam sempiternum: nónne deum ita tollit omnino, vt nullam opinionem eius reliquam faciat? Quid aër, qui *Diogenes Apolloniates vtitur deo, quem sensum habere potest, aut quam formam dei? Iam de *Platonis inconstantia longum est dicere: qui in Timæo patrem huius mundi nominari negat posse: *in legum autem libris, quid sit omnino deus, inquiri oportere non censet. Quòd verò sine corpore vllo deum vult esse, vt Græci dicunt, ἀσώματον: id quale esse possit, intelligi non potest: careat enim sensu necesse est, careat prudentia, careat voluptate: quæ omnia vnà cum deorum notione comprehendimus. Idem & in Timæo dicit, & in legibus, * & mundum deum esse, & cælum, *& astra, & *terram, & *animos, & *eos, quos maiorum institutis accepimus: quæ & per se sunt falsa perspicuè, & inter sese vehementer repugnantia. Atque etiam *Xenophon paucioribus verbis eadem ferè peccat: facit enim in ijs, quæ à Socrate dicta retulit, Socratem disputantem

firmam dei quari non oportere, eundémque & solem, & animum deum dicere, & modò vnum, tum autem plures deos: quæ sunt ijsdem in erratis ferè, quibus ea quæ de Platone dicimus. Atque *Antisthenes in eo libro, qui physicus inscribitur, populares deos multos, naturalem vnum esse dicens, tollit vim & naturam deorum. Nec multo secus *Speusippus Platonem auunculum sub-sequens, & vim quandam dicens, qua omnia regantur, eamq; animalem, euellere ex animis conatur cognitionem deorum. Aristoteles quoque in tertio de philosophia libro multa turbat, à *magistro Platone vno dissentiens: modò enim menti tribuit omnem diuinitatem: modò mundũ ipsum deum dicit esse: modò quendam alium præficit mundo: Eique eas partes tribuit, vt replicatione mundi quadam motum regat, atque tueatur: tum cæli ardorem deum dicit esse, non intelligens cælum mundi esse partem, quem alio loco ipse designarit deum. Quo modo autem cæli diuinus ille sensus in celeritate tanta conseruari potest? vbi deinde illi tot dij, si numeramus etiam cælum deum? Cùm autem sine corpore idem vult esse deum, omni illum sensu priuat, & prudentia. Quo porrò modo mundus moueri potest carens corpore? aut quo modo semper se mouens esse quietus, & beatus potest? Nec verò eius condiscipulus *Xenocrates in

hoc genere prudentior : in cuius libris, qui sunt de natura deorum, nulla species diuina describitur, deos enim octo esse dicit: quinque eos, qui in stellis vagis nominantur : vnū qui ex omnibus sideribus, quæ infixa cælo sunt, ex dispersis quasi membris simplex sit putandus deus: septimum solem adiungit, octauamq; lunam: qui quo sensu beati esse possint, intelligi non potest. Ex eadem Platonis schola * Ponticus Heraclides puerilibus fabulis referſit libros: & tamen modò mundum, tum mentem diuinam esse putat : errantibus etiam stellis diuinitatem tribuit, sensumq; deum priuat, & eius formam mutabilem esse vult : * eademq; libro rursus terram & cælum refert in deos. Nec verò * Theophrasti inconstantia ferenda est: modò enim menti diuinum tribuit principatum, modò cælo, tum autem signis, sideribusq; cælestibus. Nec audiendus eius auditor * Strato, is qui physicus appellatur : qui omnem vim diuinam in natura sitam esse censet, quæ causſus gignendi, augendi, minuendíve habeat, sed careat omni sensu & figura. *Zeno autem (vt iam ad vestros Balbe veniam) naturalem legem diuinam esse censet, eamq; vim obtinere recta imperantem, prohibentemq; contraria. quam legem quo modo efficiat animantem, intelligere non possumus. deum autem animantem certè volumus esse. Atque hic idem alio loco

loco æthera deum dicit esse, si intelligi potest nihil sentiens deus, qui numquam nobis occurrit, neque in precibus, neque in optatis, neq; in votis. alijs autem libris * rationem quandam per omnem pertinentem naturam, vt diuinam, esse affectam putat. idem astris hoc idem tribuit, tum annis, mensibus, annorumq; mutationibus. Cùm verò * Hesiodi theogoniam interpretatur, tollit omnino * insitas, perceptasq; cognitiones deorum: neque enim Iouem, neq; Iunonem, neque Vestam, neque quemquam, qui ita appelletur, in deorum habet numero; sed rebus * inanimatis, atque mutis per quādam significationem hæc docet tributa nomina. * Cuius discipuli Aristonis non minus magno in errore sententia est: qui neque formam dei intelligi posse censeat, neq; in dijs sensum esse dicat: dubitétque omnino deus animans néene sit. *Cleanthes autem, qui Zenonem audiuit, vnà cum eo, quem proximè nominaui, * tum ipsum mundū deum dicit esse: tum totius naturæ mentis, atq; animo hoc nomē tribuit: tum vltimum, & altissimum, atque vndiq; circumfusum, & extremum, omnia cingentem, atque cōplexum ardorem, qui æther nominetur, certissimum deum iudicat. idem quasi delirans in ijs libris, quos scripsit contra voluptatem, tum fingit formam quandam, & speciem deorū, tum diuinitatem omnē tribuit astris, tū nihil ratione cen-

set esse diuinitus. ita fit, vt deus ille quem mente nosstimus, atque in animi notione tamquã in vestigio volumus reponere, nusquã prorsus appareat. *At Perseus eiusdem Zenonis auditor, eos dicit esse habitos deos, à quibus magna vtilitas ad vitæ cultum esset inuenta, ipsasq; res vtiles, & salutares deorũ esse vocabulis nuncupatas: vt ne hoc quidem diceret, illa inuenta esse deorum, sed ipsa diuina. Quo quid absurdius, quàm aut res sordidas, atque deformes deorũ honore afficere, aut homines iam morte deletos reponere in deos: quorum omnis cultus esset futurus in luctu? Iam verò Chrysippus, qui Stoicorum somniorum vaferrimus habetur interpres, magnam turbam congregat ignotorum deorum, atq; ita ignotorũ, vt eos ne coniecturã quidem *informare possimus, cùm mens nostra quiduis videatur cogitatione posse depingere. *Ait enim vim diuinam in ratione esse positam, & vniuersæ naturæ animo, atq; mente: ipsumq; mundum deum dicit esse, & eius animi fusionem vniuersam: tum eius ipsius principatum, qui in mẽte, & ratione versetur, communemq; rerum naturam vniuersa, atque omnia continentem, tum fatalem vmbram, & necessitatẽ rerum futurarum, ignem præterea, & eum, quem antea dixi, æthera: tum ea quæ natura fluerent atq; manarent, vt aquam, & terram, & aëra, solem, lunam, sidera, vniuersitatem; rerum, qua omnia continerentur, atque homines etiam eos, qui immortalitatem essent consecuti. Idemq; disputat, æthera esse eum, quem homines Iouem appellarent: quiq; aër per maria manaret, eum esse Neptunum: terram, eam, quæ Ceres diceretur. Similiq; ratione persequitur vocabula reliquorum deorum. Idemq; etiam legis perpetuæ, & æternæ vim, quæ quasi dux vitæ, & magistra officiorum sit, Iouem dicit esse: eandemq; fatalem necessitatem appellat, sempiternam rerum futurarum veritatem: quorum nihil tale est vt in eo vis diuina inesse videatur. Et hæc quidem in primo libro de Natura deorum. In secundo autem vult Orphei, Musæi, Hesiodi, Homeriq; fabellas accommodare ad ea, quæ ipse primo libro de dijs immortalibus dixerit: vt etiam veterrimi poëtæ, qui hæc ne suspicati quidem sint, Stoici fuisse videantur. Quẽ *Diogenes Babylonius consequens in eo libro, qui inscribitur de Minerua, partum Iouis, ortumq; virginis ad physiologiam traducens disiungit à fabula. Exposui ferè, non philosophorum iudicia, sed delirantium somnia. Nec enim multo absurdiora sunt ea, quæ poëtarum vocibus fusa, ipsa suauitate nocuerunt; qui & ira inflammatos, & libidine furentes induxerunt deos, fecerunt; vt eorum bella, pugnas, prælia, vulnera videremus: odia præterea, dissidia,

sidia, discordias, ortus, interitus, querelas, lamentationes, effusas in omni intemperantia libidines, adulteria, vincula, cum humano genere concubitus, mortalesq; ex immortali procreatos. Cum pœtarum autem errore cõiungere licet portenta magorum, Aegyptiorumq; in eodem genere dementiam: tum etiam vulgi opiniones, quæ in maxima inconstãtia, veritatis ignoratione versantur. Ea qui consideret quàm inconsultè ac temerè dicantur, venerari Epicurũ, & in eorum ipsorum numero, de quibus hæc quæstio est, habere debeat: solus enim vidit primùm esse deos, quòd in omnium animis eorum notionem impressisset ipsa natura. Quæ est enim gens, aut quod genus hominum, quod non habeat sine doctrina anticipationem quandam deorum? quam appellat πρόληψιν Epicurus, id est, anteceptam animo rei quandam informationẽ, sine qua nec intelligi quidquam, nec quæri, nec disputari possit: cuius rationis vim, atq; vtilitatẽ ex illo cælesti Epicuri de regula, & iudicio volumine accepimus. Quod igitur fundamentum huius quæstionis est, id præclarè iactum videtis. Cùm enim non institituto aliquo, aut more, aut lege sit opinio constituta, maneatq; ad vnum omnium firma consensio, intelligi necesse est, esse deos, quoniam insitas eorum, vel potius innatas cognitiones habemus. De quo autem omnium natura consentit,

sentit, id verum esse necesse est: esse igitur deos confitendum est. Quod quoniam ferè constat inter omnes non philosophos solùm, sed etiam indoctos; fateamur constare illud etiam, hanc nos habere siue anticipationem, vt antè dixi, siue prænotionem deorum. Sunt enim rebus nouis noua ponenda nomina, vt Epicurus ipse *πρόληψιν appellauit, quam antea nemo eo verbo nominarat. Hanc igitur habemus, vt deos beatos, et immortales putemus. Quæ enim nobis natura informationem deorum ipsorum dedit, eadẽ insculpsit in mentibus, vt eos æternos, & beatos haberemus. Quod si ita est, vere exposita illa sententia est ab Epicuro, QVOD æternum beatumq; sit, id nec habere ipsum negotij quidquã, nec exhibere alteri. Itaque neque ira, neque gratia teneri, quòd, quæ talia essent, imbecilla essent omnia. Si nihil aliud quæreremus, nisi vt deos piè coleremus, & vt superstitione liberaremur, satis erat dictum. nam & præstans deorum natura hominum pietate coleretur, cùm & æterna esset, & beatissima: HABET enim venerationẽ iustã quid excellit: & metus omnis à vi, atque ira deorum pulsus esset. Intelligitur enim, à beata immortalíq; natura & iram, & gratiam segregari: quibus remotis, nullos à superis impendere metus. Sed ad hanc confirmandam opinionem inquirit animus & formam, &

vitam, & actionem mentis, atq; agitationem in deos. Ac de forma quidem partim natura nos admonet, partim ratio docet. nam à natura habemus omnes omnium gentium speciem nullam aliam, nisi humanam deorum. Quæ enim alia forma occurrit vmquã aut vigilãti cuiquam, aut dormienti? Sed ne omnia reuocentur ad primas notiones, ratio hoc idem ipsa declarat. nam cùm præstantissimam naturam vel quia beata est, vel quia sempiterna, conuenire videatur eandem esse pulcherrimam, quæ compositio membrorum, quæ cõformatio lineamẽtorum, quæ figura, quæ species, humana potest esse pulchrior? Vos quidem, Lucili, soletis (nam Cotta meus modò hoc, modò illud) cùm artificium effingitis fabricamq; diuinã, quàm sint omnia in hominis figura non modò ad vsum, verùm etiam ad venustatẽ apta, describere. Quòd si omnium animantium formam vincit hominum figura; deus autem animans est: ea figura profectò est, quæ pulcherrima sit omnium. quoniamq; deos beatissimos esse constat, beatus autem esse sine virtute nemo potest, nec virtus sine ratione constare, nec ratio vsquam inesse, nisi in hominis figura: hominis esse specie deos confitendum est. Nec tamen ea species corpus est, sed quasi corpus: nec habet sanguinem, sed quasi sanguinem. Hæc quamquam & inuenta sunt acutius, & dicta subtilius

tilius ab Epicuro, quàm vt quiuis ea possit agnoscere: tamen fretus intelligentia vestra dissero breuius quàm causſa desiderat. Epicurus autem, qui res occultas, & penitus abditas non modò viderat animo, sed etiã sic tractat, *vt manu doceat eam esse vim, & naturã deorum, vt primum non sensu sed mente cernatur: nec soliditate quadam, nec ad numerum, vt ea, quæ ille propter firmitatem στερεμνια appellat, sed imaginibus, similitudine, & transitione perceptis, cùm infinita simillimarum imaginũ species ex innumerabilibus indiuiduis exsistat, *& ad deos affluat, cum maximis voluptatibus in eas imagines mentem intentam, infixamq; nostram intelligentiam, capere quæ sit & beata natura, & æterna. Summa verò vis infinitatis, & magna, ac diligenti contemplatione dignissima est: in qua intelligi necesse est, eam esse naturam, vt omnia omnibus, paribus paria respondeãt. hanc ἰσονομίαν appellat Epicurus, id est, æquabilem tributionem. Ex hac igitur illud efficitur, si mortalium tãta multitudo sit, esse immortalium non minorẽ: & si, quæ interimãt, innumerabilia sint, etiam ea, quæ conseruent, infinita esse debere. Et quærere à nobis, Balbe, soletis, quæ vita deorũ sit, quæq; ab ijs degatur ætas. ea videlicet qua nihil beatius, nihil omnino bonis omnibus affluentius excogitari potest. Nihil enim agit, nullis occupat

cupationibus est implicatus: nulla opera molitur: sua sapientia, & virtute gaudet: habet exploratum fore se semper tum in maximis, tum in æternis voluptatibus. Hunc deum vite beatum dixerimus, vestrum verò laboriosissimum. Siue enim ipse mundus deus est, quid potest esse minus quietum, quàm nullo puncto temporis intermisso versari circum axem cæli admirabili celeritate? nisi quietum autem, nihil beatum est. siue in ipso mundo deus inest aliquis, qui regat, qui gubernet, qui cursus astrorum, mutationes temporum, rerum vicissitudines ordinesq; conseruet, terras, & maria contemplans hominum commoda, vitasq; tueatur: næ ille est implicatus molestijs negotijs, & operosis. Nos autem beatam vitam in animi securitate, & in omnium vacatione munerum ponimus. Docuit enim nos idem, qui cetera, natura effectum esse mundum, nihil opus fuisse fabrica, eamq; rem ei esse tam facilem, quàm vos negatis effici sine diuina posse sollertia, *vt innumerabiles natura mũdos effectura sit, efficiat, effecerit. Quod quia quemadmodum natura efficere sine aliqua mente possit, non videtis: *vt tragici poetæ, cùm explicare argumẽti exitum non potestis, confugitis ad deum: cuius operam profectò non desideraretis, si immensam, & interminatam in omnes partes magnitudinem regionũ videretis: in quam se inũciens animus

animus, & intendens, ita latè longeq; peregrinatur, vt nullam tamen oram vltimi videat, in qua possit insistere. In hac igitur immẽsitate latitudinum, longitudinum, altitudinum infinita vis innumerabiliũ volitat atomorũ: quæ interiecto inani cohærescunt tamen inter se, & aliæ alias apprehendentes cõtinuantur: ex quo efficiuntur hæ rerum formæ, atq; figuræ: quas vos effici posse sine follibus, & incudibus non putatis. Itaq; impositis in cervicibus nostris sempiternum dominum, quem dies, & noctes timeremus: quis enim timeat omnia prouidentem, & cogitantem, & animaduertentem, & omnia ad se pertinere putantem, curiosum, & plenum negotij deum? Hinc vobis exstitit primùm illa fatalis necessitas, quàm *εἱμαρμένην dicitis: vt quidquid accidat, id ex æterna veritate, causarumq; continuatione fluxisse dicatis. Quanti autem hæc philosophia æstimanda est, cui, tamquam aniculis, & ijs quidem indocto fato fieri omnia videantur? Sequitur μαντικὴ vestra, quæ Latinè diuinatio dicitur: qua tanta imbueremur superstitione, si vos audire vellemus, vt haruspices, augures, arioli, vates, & coniectores nobis essent colẽdi. His terroribus ab Epicuro soluti, & in libertatem vindicati, nec metuimus eos, quos intelligimus nec sibi fingere vllam molestiã, nec alteri quærere: & piè sanctèq; colimus naturam excellentem,

atque

atque præstantem. Sed elatus studio vereor ne longior fuerim. erat autem difficile rem tãtam, tamq; præclaram, inchoatam relinquere. quam quam nõ tam dicendi mihi ratio habenda fuit, quàm audiendi. Tum Cotta comiter, vt solebat: Atqui, inquit, Vellei, nisi tu aliquid dixisses, nihil sanè ex me quidem audire potuisses: mihi enim non tam facilè in mentem venire solet, quare verum sit aliquid, quàm quare falsum: idq; cùm sæpe, tum cùm te audirem paullo antè contigit. Roges me qualem deorum naturam esse dicam: nihil fortasse respondeam. Quæras, putémne talem esse, qualis modò à te sit expositа: nihil dicam mihi videri minus. Sed antequã aggrediar ad ea, quæ à te disputata sunt, de te ipso dicam quid sentiam. Sæpe enim de L. Crasso familiari tuo illo videor audisse, cùm te togatis omnibus sine dubio anteferret, & paucos tecum Epicuros è Græcia compararet. sed quòd ab eo te mirificè diligi intelligebam, arbitrabar illum propter beneuolentiam id uberius dicere. Ego autem, etsi vereor laudare præsentem, iudico tamen de re obscura, atque difficili à te dictum esse dilucidè, neq; sentẽtijs solùm copiosè, sed verbis etiam ornatius quàm solent vestri. Zenonem, quem Philo noster Coryphæum appellare Epicureorum solebat, cùm Athenis essem, audiebam frequenter, & quidem ipso auctore Philone, credo,

credo, vt facilius iudicarem quàm illa bene refellerentur, cùm à principe Epicureorum accepissem quemadmodum dicerentur. Non igitur ille, vt plerique, sed isto modo, vt tu, distinctè, grauiter, ornatè. Sed quod in illo mihi vsu sæpe venit, idem modò, cùm te audirem, acciderat, vt molestè ferrem tantum ingeniũ (bona venia me audies) in tam leues, ne dicã in tam ineptas sententias incidisse. Nec ego nunc ipse aliquid afferam melius: vt enim modò dixi, omnibus ferè in rebus, & maximè in physicis, quid non sit citius, quàm quid sit, dixerim. Roges me, quid, aut qualis sit deus. auctore vtar Simonide: de quo cùm quæsiuisset hoc idẽ tyrannus Hiero, deliberandi caussa sibi vnum diem postulauit. Cùm idẽ ex eo postridie quæreret, biduũ petiit. Cùm sæpius duplicaret numerum dierum, admiratúsq; Hiero quæreret cur ita faceret, Quia quanto, inquit, diutius considero, tanto mihi res videtur obscurior. Sed Simonidem arbitror (non enim poëta solùm suauis, verùm etiã ceteroqui doctus sapiensq; traditur) quia multa venirent in mentem acuta atq; subtilia, dubitantem quid eorum esset verissimum, desperasse omnem veritatem. Epicurus verò tuus (nam cum illo malo differere, quàm tecum) quid dicit, quod nõ modò philosophia dignũ esset, sed etiam mediocri prudentia? Quæritur primùm in ea quæstione, quæ est de

natura

natura deorum, sint'ne dij, nécne sint. Difficile est negare: credo, si in concione quæratur: sed in huiusce modi sermone, & confessu facillimum. Itaq; ego ipse pontifex, qui cæremonias, religiones q; publicas sanctissimè tuendas arbitror, in hoc, quod primū est, esse deos persuaderi mihi non opinione solum, sed etiam ad veritatem planè velim: multa enim occurrunt, quæ conturbent, vt interdum nulli esse videantur. Sed vide quàm tecum agam liberaliter. quæ communia sunt vobis cum ceteris philosophis, non attingam, vt hoc ipsum: placet enim omnibus ferè, mihiq; ipsi in primis esse deos: itaque non pugno: rationem tamen eam, quæ à te affertur, non satis firmam puto. Quod enim omniū gentium, generumq; hominibus ita videretur, id satis magnum esse argumentum dixisti, cur esse deos confiteremur: quod cùm leue per se, tum etiā falsum est. Primū enim vnde notæ tibi sunt opiniones nationum? Equidē arbitror multas esse gentes sic immanitate efferatas, vt apud eas nulla suspicio deorum sit. Quid? Diagoras, Atheos qui dictus est, posteaq; Theodorus, nónne aperte deorum naturā sustulerunt? Nā Abderites quidem Protagoras, cuius à te modò mentio facta est, sophistes temporibus illis vel maximus, cùm in *principio libri sui sic posuisset, De dijs neque vt sint, neque vt non sint, habeo dicere, Atheniensium iussu vrbe, atque agro

agro est exterminatus, libriq; eius in concione combusti. Ex quo equidem existimo tardiores ad hanc sententiam profitēdam multos esse factos; quippe cùm pœnam ne dubitatio quidem effugere potuisset. Quid de sacrilegis, quid de impijs, periurisq; dicemus?

-*Tubulus si Lucius vmquam,

Si Lupus, aut Carbo: aut Neptuni filius, vt ait Lucilius, putasset esse deos, tam periurus, aut tam impius fuisset? Non est igitur tam explorata ista ratio ad id, quod vultis cōfirmandum, quàm videtur. Sed quia commune est hoc argumentum aliorum etiam philosophorum, omittam hoc tēpore: ad vestra propria venire malo. Cōcedo esse deos, doce me igitur, vnde sint, vbi sint, quales sint corpore, animo, vita. hæc enim scire desidero. Abuteris ad omnia atomorum regno & licentia. Hinc quodcumq; in solum venit, vt dicitur, effingis, atque efficis. Quæ primùm nullæ sunt: *nihil est enim quod vacet corpore. corporibus autē omnis obsidetur locus. ita nullum inane, nihil esse indiuiduum potest. hæc ego nunc physicorum oracula fundo: vera an falsa, nescio: sed veri tamen similiora quàm vestra: ista enim flagitia Democriti, siue etiam antè *Leucippi, esse corpuscula, quædam læuia, alia aspera, rotunda alia, partim angulata, curuata quædam, & quasi aduncata: ex his effectum esse cælum, atq; terras, nulla cogente

natura, sed concursu quodam fortuito. Hanc tu opinionem, C. Vellei, vsq; ad hanc ætatem perduxisti, priusq; te quis de omni vitæ statu, quàm de ista auctoritate deiecerit. Antè enim iudicasti Epicureum te esse oportere, quàm ista cognouisti. Ita necesse fuit aut hæc flagitia animo concipere, aut susceptæ philosophiæ nomen amittere. Quid enim mereas, vt Epicureus esse desinas? Nihil equidem, inquis, vt rationem vitæ beatæ, veritatemq; deserã. Ista igitur est veritas? nam de vita beata nihil repugno: quam tu ne in deo quidem esse censes, nisi planè otio langueat. Sed vbi est veritas? in mundis credo innumerabilibus, omnibus minimis temporum punctis, alijs nascentibus, alijs cadentibus, an in individuis corpusculis, tã præclara opera, nulla moderante natura, nulla ratione, fingẽtibus? Sed oblitus liberalitatis meæ, qua tecum paullo antè vti cœperam, plura complector. Concedam igitur ex individuis constare omnia. quid ad rem? deorũ enim natura quæritur. Sint sanè ex atomis. non igitur æterni. Quod enim ex atomis sit, id natum aliquando sit. Si natum, nulli dij antè quàm nati. Et si ortus est deorum, interitus sit necesse est, vt tu paullò antè de Platonis mundo disputabas. Vbi igitur illud vestrum beatum, & æternum? quibus duobus verbis significatis deum. Quod cùm efficere vultis, in dumeta correpitis. Ita enim dicebat, non

non corpus esse in deo, sed quasi corpus: nec sanguinem, sed quasi sanguinẽ. Hoc persæpe facitis, vt cùm aliquid non verisimile dicatis, & effugere reprehensionem velitis, afferatis aliquid, quod omnino ne fieri quidem possit: vt satius fuerit idipsum, de quo ambigebatur, concedere, quàm tam impudenter resistere. velut Epicurus, cùm videret, si atomi ferrentur in locũ inferiorem suopte põdere, nihil fore in nostra potestate, quòd esset earum motus certus, & necessarius, inuenit quomodo necessitatem effugeret, quod videlicet Democritum fugerat. ait atomum, cũ põdere, & grauitate directo deorsum feratur, declinare paullulũ. Hoc dicere turpius est, quàm illud, quod vult, non posse defendere. Idem facit cõtra dialecticos: à quibus, cùm traditũ sit in omnibus disiunctionibus, in quibus aut, etiam, aut, non, poneretur, alterutrum verum esse: pertimuit, ne, si concessum esset huiusmodi aliquid, aut viuet cras, aut non viuet Epicurus, alterutrũ fieret necessarium. Totum hoc aut, etiã, aut, nõ, negauit esse necessarium. quo quid dici potest obtusius? Vrgebat Arcesilas Zenonem, cùm ipse omnia falsa diceret, quæ sensibus viderentur: Zeno autem nonnulla visa esse falsa, non omnia. Timuit Epicurus, ne si vnum visum esset falsum, nullũ esset verum: omnes sensus veri nuntios dixit esse. nihil horum, nisi callidè: grauiorem enim plagam accipiebat

piebat, vt leuiorem repelleret. Idem facit in natura deorum. dum indiuiduorũ corporum concretionem fugit, ne interitus, & dissipatio consequatur, negat esse corpus deorum, sed tamquam corpus: nec sanguinem, sed tamquã sanguinem. Mirabile videtur, quòd non rideat Harusp ex, cũ aruspicẽ viderit: hoc mirabilius, quòd vos inter vos risum tenere possitis non est corpus, sed quasi corpus. Hoc intelligerem quãte esset, si id in cereis fingeretur, aut fictilibus figuris: in deo quid sit quasi corpus, aut quasi sanguis, intelligere non possum: ne tu quidem Vellei: sed non vis fateri: ista enim à vobis quasi dictata redduntur: quæ Epicurus oscitans alucinatus est, cum quidem gloriaretur, vt videmus in scriptis, se magistrum habuisse nullum: quòd & nõ prædicanti * tamen facile quidem credam: sicut mali ædificij domino glorianti se architectum non habuisse: nihil enim olet ex Academia, nihil ex Lyceo, nihil ne è puerilibus quidem disciplinis. Xenocratem audire potuit: quẽ virum dij immortales. & sunt qui putant audiuisse, ipse nõ vult. credo plus nemini. *Pamphilum quendam Platonis auditorem ait à se Sami auditum: ibi enim adolescens habitabat cum patre, & fratribus; quòd in eam pater eius Neocles agripeta venerat. Sed cùm agellus eum nõ satis aleret, vt opinor, ludi magister fuit. Sed hunc Platonicum mirificè contemnit

temnit Epicurus. ita metuit, ne quid vmquam didicisse videatur. In *Nausiphane Democriteo tenetur: quem cùm à se nõ neget auditũ, vexat tamen omnibus contumelijs. Atqui si hæc Democritea non audisset, quid audierat? Quid est in physicis Epicuri non à Democrito? Nam etsi quædam cõmutauit, vt quod paullo antè de inclinatione atomorum dixi: tamen pleraq; dicit eadem, atomos, inane, imagines, infinitatem locorum, innumerabilitatemq; mundorum, eorum ortus, & interitus, omnia ferè quibus naturæ ratio cõtinetur. Nunc istuc quasi corpus, & quasi sanguinem, quid intelligis? ego enim scire te ista melius quàm me, non fateor solùm, sed etiam facilè patior. Cùm quidem semel dicta sunt, quid est quod Velleius intelligere possit, Cotta non possit? Itaq; corpus quid sit, sanguis quid sit, intelligo: quasi corpus, & quasi sanguis quid sit, nullo prorsus modo intelligo. Nec tu me celas, *vt Pythagoras solebat alienos: nec cõsultò dicis occultè, tamquã *Heraclitus: sed quod inter nos liceat, ne tu quidem intelligis. Illud video pugnare te, species vt quædam sit deorum, quæ nihil concreti habeat, nihil solidi, nihil expressi, nihil eminentis, sitq; pura, leuis, perlucida. Dicemus ergo idem, quod in *Venere Coa: corpus non est, sed simile corpori: nec ille fusus, & candore mistus rubor sanguis est, sed quædam sanguinis similitudo. sic in

Epicureo deo non res, sed similitudines rerum esse. Hac id, quod ne intelligi quidē potest, mihi esse persuasum. cedò mihi istorum adumbratorum deorum lineamenta, atq; formas. Non deest hoc loco copia rationum, quibus docere velitis humanas esse formas deorum. Primùm quòd ita sit informatum, anticipatumq; mentibus nostris: vt homini, cùm de deo cogitet, forma occurrat humana. Deinde, vt, quoniam rebus omnibus excellat natura diuina, forma quoq; esse pulcherrima debeat, nec esse humana vllam pulchriorem. Tertiam rationē affertis, quòd nulla alia figura domicilium mentis esse possit. Primū igitur quidq; consideras quale sit? Arripere enim mihi videmini quasi vestro iure rem nullo modo probabilem. Quis tam cæcus in contemplandis rebus vmquam fuit, vt non videret species istas hominum collatas in deos aut consilio quodam sapientiū, quo facilius animos imperitorum ad deorum cultum à vitæ prauitate cōuerterēt, aut superstitione, vt essent simulacra, quæ venerantes, deos ipsos se adire crederent? Auxerunt autem hæc eadem poëtæ, pictores, opifices. Erat autem non facilè agentes aliquid, & molientes deos in aliarū formarum imitatione seruare. Accesit etiam ista opinio fortasse, quòd homini homine nihil pulchrius videatur. *Sed tu hoc physicè non vides, quàm blanda conciliatrix, & quasi sui sit lena natura.

natura. An putas vllam esse terra marique belluam, quæ non sui generis bellua maximè delectetur? Quod ni ita esset, cur non gestiret taurus equæ contrectatione, equus vaccæ? An tu aquilam, aut leonem, aut delphinū vllam anteferre censes figuram suæ? Quid igitur miram, si hoc eodem modo homini natura præscripsit, vt nihil pulchrius quàm hominē putaret, eam esse causſam, cur deos hominum similes putaremus? Quid censes si ratio esset in bellua, non suo quaq; generi plurimum tributura fuisse? At me hercle ego (dicā enim vt sentio) quamuis amem ipse me, tamen non audeo dicere pulchriorem esse me, quàm ille fuit taurus, qui vexit Europam. non enim hoc loco de ingenijs, aut de oratoribus nostris, sed de specie, figuraq; quæritur. Quòd si fingere nobis, & iungere formas velimus, qualis ille maritimus Triton pingitur, natantibus innexus belluis, adiunctis humano corpori, nolis esse? Difficili in loco versor: est enim vis tanta naturæ, vt homo nemo velit nisi hominis similis esse: & quidem formica formicæ. Sed tamen cuius hominis? quotus enim quisque formosus est? Athenis cùm essem, è gregibus epheborum, vix singuli reperiebātur. Video quid arriseris: sed tamen ita res se habet. Deinde nobis, qui concedentibus philosophis antiquis, adolescentulis delectamur, etiā vitia sæpe iucunda sunt.

Næuus in articulo pueri delectat Alcæum. at est corporis macula næuus. illi tamẽ hoc lumen videbatur. Q. Catulus, huius collegæ, & familiaris nostri pater, dilexit municipem tuum Roscium: in quem etiam illud est eius,

Consliteram exorientem auroram forte salutans,
Cùm subitò à læua Roscius exoritur.
Pace mihi liceat cælestes dicere vestra,
Mortalis visus pulchrior esse deo.

*Hui pulchrior deo? at erat sicut hodie est, peruersissimis oculis. Quid refert? si hoc ipsum falsum, & venustiũ illi videbatur. Redeo ad deos: ecquos si non tam strabones, at pætulos esse arbitramur? ecquos næuum habere? ecquos silos, flaccos, frontones, capitones, quæ sunt in nobis? An omnia emendata in illis? Detur id vobis. Num etiam est vna omnium facies? nam si plures, aliam esse alia pulchriorẽ necesse est. Igitur aliquis non pulcherrimus deus. Si vna omnium facies est, florere in cælo Academiam necesse est. Si enim nihil inter deum & deum differt, nulla est apud deos cognitio, nulla perceptio. Quid si etiam, Vellei, falsum illud omnino est, nullam aliam nobis de deo cogitãtibus speciem nisi hominis occurrere: tamen'ne ista tam absurda defendes? Nobis fortasse si occurrit vt dicis: Iouem, Iunonem, Mineruam, Neptunum, Vulcanum, Apollinem, reliquos deos ea facie nouim

nouimus qua pictores, fictoresq; voluerunt: neque solùm facie, sed etiam ornatu, ætate, atque vestitu. At non Aegyptij, nec Syri, nec ferè cuncta barbaries: firmiores enim videas apud eos opiniones esse de bestijs quibusdam, quàm apud nos de sanctissimis templis, & simulacris deorum. Etenim fana multa exspoliata, & simulacra deorum de locis sanctissimis ablata videmus à nostris. at verò ne fando quidẽ auditum est, crocodilum, aut ibim, aut felem violatum ab Aegyptio. Quid igitur censes? Apim illum sanctum Aegyptiorum bouem, nónne deum videri Aegyptijs? Tam hercle, quàm tibi illam nostram Sospitam, quam tu numquam ne in somnis quidem vides, * nisi cum pelle caprina, cum hasta, cum scutulo, cum calceolis repandis. At non est talis Argiua, nec Romana Iuno. Ergo alia species Iunonis Argiuis, alia Latinis, & quidem alia nobis Capitolini, alia Afris Ammonis Iouis. Non pudet igitur physicum, id est, speculatorem venatoremq; naturæ ab animis consuetudine imbutis petere testimonium veritatis? Isto enim modo dicere licebit * Iouem semper barbatum, Apollinem semper imberbem, cæsios oculos Mineruæ, cæruleos esse Neptuni. Et quidem Athenis laudamus Vulcanum eum, quem fecit Alcamenes: in quo stante, atq; vestito leuiter apparet claudicatio non deformis. Clau-

dum igitur habebimus deum, quoniam de Vulcano sic accepimus. Age & his vocabulis deos esse facimus, quibus à nobis nominantur. At primùm quot hominũ linguae, tot nomina deorum. Non enim, vt tu Velleius quocumq; veneris, sic idem in Italia Vulcanus, idem in Africa, idem in Hispania. Deinde nominũ non magnus numerus ne in pontificijs quidem nostris, deorum autem innumerabilis. An sine nominibus sunt? illud quidem ita vobis dicere necesse est: quid enim attinet, cùm vna facies sit, plura esse nomina? Quàm bellum erat Vellei, confiteri potius nescire quod nescires, quàm ista effutientem nauseare, *atq; ipsum sibi displicere? An tu mei similem putas esse, aut tui deum? Profectò non putas. Quid ergo? solem dicam, aut lunam, aut cælum deum? Ergo etiam beatum. Quibus fruentẽ voluptatibus? Et sapientem. Qui potest esse in huiusmodi trunco sapiẽtia? Hæc vestra sunt. Si igitur nec humano visu, quod docui, nec tali aliquo, quod tibi persuasum est, quid dubitas negare deos esse? Non audes. Sapienter id quidem. etsi hoc loco non populum metuis, sed ipsos deos. Noui ego Epicureos omnia *sigilla venerãtes: quamquã video nonnullis videri, Epicurum, ne in offensionem Athenienſium caderet, verbis reliquisse deos, re sustulisse. Itaque in illis selectis eius, brevibusq; sententijs, quas appellatis *κυρίας δόξας,

hæc,

hæc, vt opinor, prior sententia est, Quod beatum, & immortale est, id nec habet nec exhibet cuiquam negotiũ. In hac ita exposita sententia, sunt qui existiment, quod ille insciti planè loquendi fecerit, fecisse consulto. De homine minime vafro malè existimant. Dubium est enim, vtrum aliquid dicat ille beatum, & immortale, an, si quod sit beatum, id esse immortale. Non animaduertunt hîc eum ambiguè locutum esse, sed multis alijs locis & illum, & Metrodorum tam apertè, quàm paullò antè te. Ille verò deos esse putat: nec quemquam vidi qui magis ea quæ timenda esse negaret, timeret, mortem dico & deos. Quibus mediocres homines non ita valde mouẽtur, his ille clamat omnium mortalium mẽtes esse perterritas. Tot millia latrocinantur morte proposita: alij omnia, quæ possunt, sæua compilant. credo, aut illos mortis timor terret, aut hos religionis. Sed quoniam non audes (iam enim cum ipso Epicuro loquar) negare esse deos, quid est quod te impediat aut solem, aut lunam, aut mundum, aut mentem aliquam sempiternam in deorum natura ponere? Numquam vidi, inquis, animam rationis consiliiq; participem in vlla alia, nisi humana figura. Quid? Solis num quidnam aut lunæ, aut quinque errãtium siderum simile vidisti? Sol duabus vnius orbis vltimis partibus definiens motũ, cursus annuos

consi

conficit. Huius hanc illustrationem eiusdem in censa radijs menstruo spatio luna complet. Quinque autem stellæ eundem orbem tenentes, aliæ propius à terris, aliæ remotius, ab ijsdem principijs, disparibus temporibus eadem spatia conficiunt. Numquid tale, Epicure, vidisti? Ne sit igitur sol, ne luna, ne stellæ: quoniam nihil esse potest, nisi quod attigimus, aut vidimus. Quid? deum ipsum númne vidisti? Cur igitur credis esse? tollamus ergo omnia quæ aut historia nobis, aut noua ratio affert. ita sit, vt mediterranei mare esse non credant. Quæ sunt tantæ animi angustiæ, vt si Seriphi natus esses, nec vmquam egressus ex insula, in qua lepusculos vulpeculasq; sæpe vidisses, non crederes leones, & pantheras esse, cùm tibi, quales essent, diceretur? si verò de elephanto quis diceret, etiam irrideri te putares? Et tu quidem, Vellei, non vestro more, sed dialecticorum, *quë funditus gens vestra non nouit, *argumentis sententiam conclusisti. beatos esse deos sumpsisti. concedimus. beatum autem sine virtute neminem esse posse. id quoque damus: & libenter quidem. virtutem autem sine ratione constare non posse. conueniat id quoque necesse est. Adiungis, nec rationem esse nisi in hominis figura. quem tibi hoc daturum putas? Si enim ita esset, quid opus erat te gradatim istuc peruenire? Quid autem est

istuc gradatim? sumpsisses tuo iure. Nam à beatis ad virtutem, à virtute ad rationem video te venisse gradibus. à ratione ad humanam figuram quo modo accedis? præcipitare istuc quidem est, non descendere. Nec verò intelligo cur maluerit Epicurus deos hominum similes dicere, quàm homines deorum. Quæres, quid interfit. Si enim hoc illis simile sit, esse illud huic video. Sed hoc dico, non ab hominibus formæ figuram peruenisse ad deos. dij enim semper fuerunt, & nati numquam sunt. siquidem æterni sunt futuri. at homines nati. antè igitur humana forma, quàm homines, ea qua erant forma dij immortales. Non ergo illorum humana forma, sed nostra diuina dicenda est. Verum hoc quidem, vt voletis. illud quæro, quæ fuerit tanta fortuna: nihil enim in rerum natura ratione factum esse vultis. sed tamen quis iste tantus casus, vnde tam felix concursus atomorum, vt repente homines deorum forma nascerentur? Semina deorum decidisse de cælo in terras putamus, & sic homines patrum similes exstitisse? vellem diceretis. deorum cognationem agnoscerem non inuitus. Nihil tale dicitis: sed casu esse factum vt deorum similes essemus. Et nunc argumenta quærenda sunt, quibus hoc refellatur? Vtinam tam facile vera inuenire possim, quàm falsa conuincere. Etenim enumerasti memoriter & copiosè, vt mihi

quidem

quidem admirari liberet in homine esse Roma no tantam scientiam, vsque à Thalete Milesio de natura deorum philosophorum sententias. omnes ne tibi illi delirare visi sunt, qui sine manibus & pedibus constare deum posse decreuerunt? Ne hoc quidem vos mouet considerantes quæ sit vtilitas, quæq; opportunitas in homine membrorum, vt iudicetis membris humanis deos non egere? Quî enim pedibus opus est sine ingressu? quid manibus, si nihil comprehẽdatur? quid reliqua descriptione omnium corporis partium, in qua nihil inane, nihil sine caussa, nihil supernacaneum est? Itaque nulla ars imitari solertiam naturæ potest. Habebit igitur linguam deus, & non loquetur: dentes, palatum, fauces nullum ad vsum: quæque procreationis caussa natura corpori affinxit, ea frustra habebit deus: nec externa magis, quàm interiora, cor, pulmones, iecur, cetera, quæ, detracta vtilitate, quid habent venustatis? quandoquidem hæc esse in deo propter pulchritudinem vultis. Istisne fidentes somnijs non modò Epicurus, & Metrodorus, & Hermachus contra Pythagoram, Platonem, Empedoclemq; dixerunt, sed meretricula etiã Leontium contra Theophrastum scribere ausa sit? *scito quidem illa sermone, & Attico. Sed tamẽ tãtum Epicuri hortus habuit licentiæ. etiam soletis queri: Zeno quidem etiã litigabat: quid dicam

dicam Albutium? nam Phædro nihil elegantius, nihil humanius. Sed stomachabatur senex, si quid asperius dixeram: cùm Epicurus contumeliosissimè Aristotelem vexarit, Phædoni Socratico turpissimè maledixerit, Metrodori sodalis sui fratrem Timocratem, quia nescio quid in philosophia dissentiret, totis voluminibus conciderit, in Democritum ipsum, quẽ secutus est, fuerit ingratus, Nausiphanem magistrum suum, à quo nihil didicerat, tam malè acceperit. Zeno quidem non eos solùm, qui tum erant, *Apolledorum, Sillum, ceterosq; figebat maledictis, sed Socratem ipsum parentem philosophiæ, Latino verbo vtens, scurrã Atticum fuisse dicebat. Chrysippum numquam nisi Chesippum vocabat. Tu ipse paullò antè, cùm tamquam senatum philosophorum citares, summos viros desipere, delirare, dementes esse dicebas. quorum si nemo verũ vidit de natura deorum, verendum est ne nulla sit omnino. Nã ista quæ vos dicitis, sunt tota cõmentitia, vix digna lucubratione aniculariũ. Nõ enim sentitis quàm multa vobis suscipiẽda sint, si impetraueritis vt concedamus eandẽ esse hominũ & deorũ figurã. Omnis cultus & curatio corporis erit eadẽ adhibenda deo, quæ adhibetur homini: ingressus, cursus, accubatio, inclinatio, sessio, comprehẽsio, ad extremum etiam sermo, & oratio. Nã quòd & mares deos, & feminas esse dicitis,

tis, quid sequatur videtis. Equidem mirari satis non possum vnde ad istas opiniones vestet ille princeps venerit. sed clamare non desinitis, retinendum hoc esse, deos vt beatus immortalisq; sit. Quid autem obstat quo minus sit beatus, si non sit bipes? aut ista siue beatitas, siue beatitudo dicenda est (vtrumq; omnino durum, sed vsu mollienda nobis verba sunt) verùm ea quæcũq; est, cur aut in solem illum, aut in hunc mundum, aut in aliquam mentem æternam, figura membrisq; corporis vacuam, cadere non potest? Nihil aliud dicis, nisi numquam vidi solem aut mundum beatum. Quid? mũdum præter hunc vmquámne vidisti? negabis. Cur igitur non sexcenta millia esse mundorũ, sed innumerabilia ausus es dicere? Ratio docuit. Ergo hoc eadem ratio non docebit, cùm præstantissima natura quæratur, eaq; beata, & æterna, quæ sola in diuina natura sint, vt immortalitate vincamur ab ea natura, sic animi præstantia vincì: atq; vt animi, itẽ corporis? Cur igitur, cũ ceteris rebus inferiores simus, forma pares sumus? Ad similitudinem enim deo propius accedebat humana virtus, quàm figura. An quidquã tam puerile dici potest (vt eundem locũ diutius vrgeã) quàm si ea genera belluarũ, quæ in rubro mari, Indiáve gignantur, nulla esse dicamus? Atqui ne curiosissimi quidem homines exquirendo audire tam multa possunt, quàm sunt multa, quæ terra,

terra, mari, paludibus, fluminibus exsistũt: quæ negemus esse, quia nũquam vidimus. Ipsa verò quàm nihil ad rem pertinet, quæ vos delectat maximè, similitudo? Quid canis nónne similis lupo? atque, vt Ennius,

Simia quàm similis turpissima bestia nobis?

at mores in vtroq; dispares. Elephanto belluarum nulla prudentior. at figura quæ vastior? de bestijs loquor. Quid? inter ipsos homines nónne & simillimis formis dispares mores, & moribus figura dissimilis? Etenim si semel, Vellei, suscepimus genus hoc argumenti, attende quò serpat. Tu enim sumebas nisi in hominis figura rationem inesse non posse. sumet alius, nisi in terrestri: nisi in eo qui natus sit: nisi in eo qui adoleuerit: nisi in eo qui didicerit: nisi in eo qui ex animo constet & corpore caduco, & infirmo: postremò nisi in homine atq; mortali. Quòd si in omnibus his rebus obsistis, quid est quòd te vna forma conturbet? His enim omnibus, quæ proposui, adiunctis, in homine rationem esse, & mentem videbas. quibus detractis, deum tamen nosse te dicis, modò lineamenta maneant. Hoc est non considerare, sed quasi sortiri quid loquare. Nisi fortè ne hoc quidem attendis, non modò in homine, sed etiam in arbore, quidquid superuacaneum sit, aut vsum non habeat, obstare. Quàm molestum est vno digito plus habere? quid ita? quia nec speciem,

nec vsum alium quinque desiderant. Tuus autem deus non digito uno redundat, sed capite, collo, ceruicibus, lateribus, aluo, tergo, poplitibus, manibus, pedibus, feminibus, cruribus. Si vt immortalis sit, quid hæc ad vitam membra pertinent? quid ipsa facies? magis illa, cerebrum, cor, pulmones, iecur. hæc enim sunt* domicilia vitæ. Oris quidem habitus ad vitæ firmitatem nihil pertinet. At eos vituperabas, qui ex operibus magnificis atq; præclaris, cùm ipsum mundum, cùm eius membra, cælum, terras, maria, cumq; horum insignia solem, lunam, stellasq; vidissent, cúmque temporum mutationes, maturitates, vicissitudinesq; cognouissent, suspicati essent aliquam excellentem esse, præstantemq; naturam, quæ hæc fecisset, moueret, regeret, gubernaret. qui etiam si aberrant à coniectura, video tamen quid sequantur. tu quod opus tandem magnum, & egregium habes, quod effectum diuina mente videatur, ex quo esse deos suspicere? Habeo, inquis, in animo insitam informationem quandam dei: & barbati quidem Iouis, galeatæ Mineruæ. Num igitur tales putas? Quanto melius hæc vulgus imperitorum, qui non membra solùm hominis deo tribuunt, sed vsum etiã membrorũ? Dant enim arcum, sagittas, hastam, clypeum, fuscinam, fulmen: & si actiones quæ sint deorum, non vident, nihil agentem tamen

deum non queunt cogitare. Ipsi qui irridentur Aegyptij nullam belluam, nisi ob aliquam vtilitatem, quam ex ea caperent, consecrauerunt. Ibes maximam vim serpentium cõficiunt, cùm sint aues excelsæ, cruribus rigidis, corneo proceroq; rostro: auertunt pestem ab Aegypto, cùm volucres angues ex vastitate Libyæ vento Africo inuectas interficiunt atque consumunt. Ex quo fit, vt illæ nec morsu viuæ noceant, nec odore mortuæ. Possum de ichneumonum vtilitate, de crocodilorum, de felium dicere: sed nolo esse longus. Ita concludam tamen, belluas à barbaris propter beneficium consecratas: vestrorum deorum non modò beneficium nullum exstare, sed ne factum quidem omnino. Nihil habet, inquit, negotij. Profecto Epicurus, quasi pueri delicati, nihil cessatione melius existimat: at ipsi tamen pueri, etiam cùm cessant, exercitatione aliqua ludicra delectantur: deum sic feriatum volumus cessatione torpere, vt si se commouerit, vereamur ne beatus esse non possit. Hæc oratio non modò deos spoliat motu, & actione diuina sed etiam homines inertes efficit: siquidem agens aliquid ne deus quidem esse beatus potest. Verum sit sanè, vt vultis, deus effigies hominis & imago: quod eius est domicilium? quæ sedes? qui locus? quæ deinde actio vitæ? quibus rebus, id quod vultis, beatus est? Vtatur enim suis bonis

oportet, & fruatur, qui beatus futurus est. Nam locus quidem ijs etiam naturis, quæ sine animis sunt, suus est cuique proprius, vt terra infimum teneat, hanc mundet aqua, *superior aeri, ignibus altissima ora reddatur. Bestiarum autem terrenæ sunt aliæ, partim aquatiles, aliæ quasi ancipites, in vtraque sede viuentes. sunt quædam etiam, *quæ igne nasci putentur, appareantq; in ardentibus fornacibus sæpe volitantes. Quæro igitur, vester deus primùm vbi habitet: deinde quæ caussa eum loco moueat: si modò mouetur aliquando: postremò cùm hoc proprium sit animantium, vt aliquid appetãt quod sit naturæ accommodatum, deus quid appetat: ad quam deniq; rem motu mentis, ac rationis vtatur: postremò, quo modo beatus sit, quo modo æternus. Quidquid enim horum attigerit, vlcus est. ita male instituta ratio exitum reperire non potest. Sic enim dicebas, speciem dei percipi cogitatione, non sensu, nec esse in ea vllam soliditatem, neq; eandem ad numerum permanere: eamq; esse eius visionem, vt similitudine, & transitione cernatur, neque deficiat vmquam ex infinitis corporibus similium accessio: ex eoq; fieri, vt in hac intenta mens nostra beatam illam naturam, & sempiternam putet. Hoc per ipsos deos, de quibus loquimur, quale tandem est? Nam si tantùmodo ad cogitationem valent, nec vllam habent

habent soliditatem, nec eminentiam: quid interest vtrum de hippocentauro, an de deo cogitemus? Omnem enim talem conformationem animi ceteri philosophi motum inanem vocant: vos autẽ aduentum in animos, & introitum imaginum dicitis. Vt igitur Ti. Gracchum cùm videor concionantem in Capitolio videre de M. Octauio deferentem sitellam, tum eum motum animi dico esse inanem: tu autem & Gracchi, & Octauij imagines remanere, quæ in Capitolium cùm peruenerint, tum ad animum meum referantur: hoc idem fieri in deo, cuius crebra facie pellantur animi, ex quo esse beati, atq; æterni intelligantur. Fac imagines esse quibus pulsentur animi: species duntaxat obijcitur quædam. num etiam cur beata sit? cur æterna? Quæ autem istæ imagines vestræ, aut vnde? à Democrito omnino hæc licentia. Sed & ille reprehensus à multis est, nec vos exitum reperitis, totháq; res vacillat & claudicat. Nã quid est, quod minus probari possit, quàm omnium in me incidere imagines, Homeri, Archilochi, Romuli, Numæ, Pythagoræ, Platonis, nec ex forma, qua illi fuerunt? Quo modo ergo illi, & quorum imagines? Orpheũ poëtam docet Aristoteles numquam fuisse, & hoc Orphicum carmen Pythagorici ferunt cuiusdam fuisse Cercopis. At Orpheus, id est imago eius, vt vos vultis, in animum meum sæpe incurrit. Quid, quòd

eiusdem hominis in meum aliæ, aliæ in tuum? quid, quòd earum rerum, quæ nũquam omnino fuerunt, neq; esse potuerunt, vt Scyllæ, vt Chimeræ? quid, quòd hominum, locorum, vrbium earum quas nunquam vidimus? quid, quòd, simul ac mihi collibitũ est, præsto est imago? quid, quòd etiam ad dormientem veniunt inuocatæ? Tota res, Vellei, nugatoria est. vos autem non modò oculis imagines, sed etiam animis inculcatis: tanta est impunitas garriendi. At quàm licenter? fluentiũ frequenter trãsitio fit visionum, vt è multis vna videatur. Puderet me dicere non intelligere, si vos ipsi intelligeretis, qui ista defenditis. Quo modo enim probas continenter imagines ferri? aut si continenter, quo modo æternæ? Innumerabilitas, inquis, suppeditat atomorum. Num eadem ergo ista facient, vt sint omnia sempiterna? confugis ad æquilibritatem. sic enim ἰσονομίαν, si placet, appellemus. & au, quoniam sit natura mortalis, immortalem etiam esse oportere. Isto modo, quoniam homines mortales sunt, sint aliqui immortales: & quoniam nascuntur in terra, nascantur & in aqua: & quia sunt, quæ intereant, sint quæ conseruent. Sint sanè: sed ea conseruent, quæ sunt. deos istos esse non sentio. Omnis tamen ista rerum effigies ex individuis quo modo corporibus oritur? quæ etiã si essent, quæ nulla sunt, pellere se ipsa, & agitari inter se con

cursu fortasse possent: formare, figurare, colorare, animare non possent. Nullo igitur modo immortalem deum efficitis. Videamus nunc de beato. Sine virtute certè nullo modo. virtus autem actuosa, & deus vester nihil agens. expers virtutis igitur: ita ne beatus quidem. Quæ ergo vita? suppeditatio, inquis, bonorum, nullo malorum interuentu. Quorum tandem bonorum? voluptatum, credo: nempe ad corpus pertinentium: nullam enim nouistis nisi profectam à corpore, & redeuntem ad corpus animi voluptatem. Non arbitror te, Vellei, similem esse Epicureorum reliquorum, *quos pudeat earum Epicuri vocum, quibus ille testatur se ne intelligere quidem vllum bonum quod sit seiunctum à delicatis et obscenis voluptatibus: quas quidem nõ erubescens persequitur omnes nominatim. Quem cibum igitur, aut quas potiones, aut quas vocum, et florum varietates, aut quos tactus, quos odores adhibebis ad deos, vt eos perfundas voluptatibus? At poëtæ quidẽ nectar, ambrosiam, epulas comparant, & aut Iuuentatem, aut Ganymedem pocula ministrantem. Tu autem, Epicure, quid facies? Neque enim vnde habeat ista deus tu° video, nec quo modo vtatur. Locupletior igitur hominum natura ad beatè viuendum est, quàm deorum, quòd pluribus generibus fruitur voluptatum. At has leuiores ducis voluptates, quibus quasi titillatio

(Epicuri enim hoc verbũ) sensibus adhibetur. Quousque ludis? nam Philo noster ferre non poterat aspernari Epicureos molles, & delicatas voluptates: summa enim memoria pronuntiabat plurimas Epicuri sentẽtias ijs ipsis verbis quibus erant scriptæ. Metrodori verò, qui est Epicuri collega sapientiæ, multa impudentiora recitabat. Accusat enim Timocratem fratrem suũ Metrodorus, quòd dubitet omnia, quæ ad beatam vitam pertineant, vẽtre metiri: neque id semel dicit, sed sæpius. Annuere te video: nota enim tibi sunt, proferrem libros, si negares. Neq; nunc reprehendo, quòd ad voluptatem omnia referantur: alia est ea quæstio. sed doceo, deos vestros esse voluptatis expertes: ita vestro iudicio, ne beatos quidem: At dolore vacant. Satin' est id ad illam abũdãtem bonũ, vitam beatissimam? Cogitant, inquis, assiduè beatos esse se: habẽt enim nihil aliud quod agi tent in mente. Comprehende igitur animo, & propone ante oculos deum nihil aliud in omni æternitate, nisi, Mihi pulcher est, & Ego beatus sum, cogitãtem. nec tamen video, quo modo videatur iste deus beatus, cùm sine vlla intermissione pulsetur, agiteturq; incursione atomorum sempiterna, cumq; ex ipso imagines *semper affluant, ita nec beatus est vester deus, nec æternus. At etiã de sanctitate, de pietate aduersus deos libros scripsit Epicurus. At quo modo

modo in hũ loquitur? Vt *Corũcaniũ, aut Scævolam pontifices maximos te audire dicas: non eum, qui sustulerit omnem funditus religionem: nec manibus, vt Xerxes, sed rationibus, deorũ immortalium templa & aras euerterit. Quid est enim cur deos ab hominibus colendos dicas, *cùm dij nõ modò hominibus nõ consulant, sed omnino nihil curẽt, nihil agãt? At est eorũ eximia quædam præstansq; natura, vt ea debeat ipsa per se ad se colendam elicere sapientem. An quidquam eximium potest esse in ea natura, quæ sua voluptate lætans, nihil nec actura sit vmquam, neq; agat, neq; egerit? Quæ porrò pietas ei debetur, à quo nihil acceperis? aut quid omnino, cuius nullum meritum sit, ei deberi potest? Est enim pietas, iustitiæ aduersum deos: cum quibus quid potest nobis esse iuris, cùm homini nulla cum deo sit cõmunitas? Sanctitas autem est scientia colendorum deorum: qui quamobrem colendi sint, nõ intelligo, nullo nec accepto ab ijs, nec sperato bono. Quid est autẽ quòd eos veneremur propter admirationem eius naturæ, in qua egregium nihil videmus? Nam superstitione, quod gloriari soletis, facilè est liberare, cùm sustuleris omnem vim deorum. Nisi fortè Diagoram aut Theodorum, qui omnino deos esse negabant, censes superstitiosos esse potuisse. Ego ne Protagorã quidem, cui neutrum liquerit, nec esse deos, nec nõ esse.

Horum enim sententiæ omnium non modò superstitionem tollunt, in qua inest timor inanis deorum: sed etiam religionem, quæ deorum cultu pio continetur. Quid? ij qui dixerunt totam de dijs immortalibus opinionem fictam esse ab hominibus sapientibus reipub. caussa, vt quos ratio non posset, eos ad officium religio duceret: nónne omnem religionem funditus sustulerũt? Quid *Prodicus Chius? qui ea quæ prodessent hominum vitæ, deorum in numero habita esse dixit, quam tandem religionem reliquit? Quid qui aut fortes, aut claros, aut potẽtes viros tradunt post mortem ad deos peruenisse, eosq; esse ipsos, quos nos colere, precari, veneraríq; soleamus? nónne expertes sunt religionũ omnium? quæ ratio maximè tractata ab *Euhemero est: quem nostier & interpretatus, & secutus est præter ceteros Ennius. Ab Euhemero autem & mortes, & sepulturæ demonstrantur deorum. vtrum igitur hic confirmasse religionem videtur, an penitus totam sustulisse? Omitto Eleusinem sanctam illam, & augustam,

Vbi initiantur gentes orarum vltimæ:

Præterea Samothraciam, eaq; quæ Lemni noctvrno aditu occulta coluntur siluestribus sepibus densa, quibus explicatis, ad rationemq; reuocatis, rerum magis natura cognoscitur, quàm deorum. Mihi quidem etiam Democritus, vir magnus in primis, cuius fontibus Epicurus hortu

hortulos suos irrigauit, *nutare videtur in natura deorum. Tum enim censet imagines diuinitate præditas inesse vniuersitati rerũ: tũ principia mentesq;, quæ sunt in eodem vniuerso, deos esse dicit: tum animãtes imagines, quæ vel prodesse nobis solent, vel nocere: tum ingentes quasdã imagines, tantasq; vt vniuersum mũdum complectantur extrinsecus. Quæ quidem omnia sunt patria Democriti, quàm Democrito digniora. Quis enim istas imagines conprehendere animo potest? quis admirari? quis aut cultu, aut religione dignas iudicare? Epicurus verò ex animis hominum extraxit radicitus religionem, cùm dijs immortalibus & opem, & gratiam sustulit. Cùm enim optimam & præstantissimam naturam dei dicat esse, negat idẽ esse in deo gratiam: tollit id quod maximè proprium est optimæ præstantissimæq; naturæ. Quid enim est melius, aut quid præstantius bonitate, & beneficẽtia? qua cùm carere deum vultis, neminem deo nec deum, nec hominem carum, neminem ab eo amari, neminem diligi vultis. Ita fit, vt non modò homines à dijs, sed ipsi dij inter se ab alijs alij negligantur. Quanto Stoici melius, qui à vobis reprehenduntur? Censent autem sapientes sapiẽtibus etiam ignotis esse amicos. Nihil est enim virtute amabilius: quã qui adeptus erit, vbicumq; erit gentiũ, à nobis diligetur. Vos autem

quid

quid mali datis, cùm imbecillitatem, gratificationem, & beneuolentiam ponitis? Vt enim omittam vim, & naturam deorum, ne homines quidem censeris, nisi imbecilli essent, futuros beneficos, & benignos fuisse. Nulla est caritas naturalis inter bonos. Carũ ipsum verbum est amoris: ex quo amicitiæ nomen est ductum: quam si ad fructum nostrum referemus, non ad illius commoda, quem diligimus: non erit ista amicitia, sed mercatura quædam vtilitatum suarum. Prata & arua, & pecudum greges diliguntur isto modo, quòd fructus ex eis capiuntur: hominum caritas, & amicitia gratuita est. Quanto igitur magis deorum, qui nulla re egentes, & inter se diligunt, & hominibus consulunt? quod ni ita sit, quid veneramur, quid precamur deos? cur sacris pontifices, cur auspicijs augures præsunt? quid optamus à dijs immortalibus? quid vouemus? At etiam Epicuri liber est de sanctitate. Ludimur ab homine non tam faceto, quàm ad scribendi licentiam libero: quæ enim potest esse sanctitas, si dij humana non curant? Quæ autem animans natura, nihil curans? Verius est igitur illud nimirum, quod familiaris omnium nostrum Posidonius disserit in libro quinto de natura deorum, nullos esse deos Epicuro videri: quæq; is de dijs immortalibus dixerit, invidiæ detestandæ gratia dixisse. Neq; enim tam desipiẽs fuisset,

set, vt * homunculis similem deum fingeret, lineamentis dumtaxat extremis, nõ habitu solido: membris hominis præditum omnibus, vsu membrorum ne minimo quidem: exilem quendam atque perlucidam, nihil cuiquam tribuentem, nihil gratificantem, omnino nihil curantem, nihil agentem. Quæ natura primum nulla esse potest: idq; videns Epicurus, re tollit, oratione relinquit deos. Deinde si maximè talis est deus, vt nulla gratia, nulla hominum caritate teneatur, valeat. quid enim dicam, propitius sit? Esse enim propitius potest nemini, quoniã, vt dicitis, omnis in imbecillitate est, & gratia, & caritas.

M. T. CICERONIS
DE NATVRA DEORVM
AD M. BRVTVM,
LIBER II.

QVAE cùm Cotta dixisset, tum Velleius, Næ ego, inquit, incautus, qui cum Academico, & eodem rhetore cõgredi conatus sum. nam neque indisertum Academicum pertimuissem, nec sine ista philosophia rhetorem quãuis eloquentem. Neque enim flumine conturbor inanium verborum, nec subtilitate sententiarum, si orationis est siccitas. Tu autem Cotta vtraq; re valuisti: corona tibi, & iudices defuerunt:

sed

sed ad ista diàs. Nunc Lucilium, si ipsi commodum est, audiamus. Tum Balbus, Eundem, inquit, mallem audire Cottam, dum, quæ eloquentia falsos deos sustulerit, eadẽ veros inducat: est enim & philosophi, & pontificis, & Cottæ, de dijs immortalibus habere non errantem & vagam, vt Academici, sed, vt nostri, stabilem certamq; sententiã. Nam contra Epicurum satis superq; dictum est, sed aueo audire, tu ipse Cotta quid sentias. An, inquit, oblitus es, quod initio dixerim, facilius me, talibus præsertim de rebus, quid non sentirem, quàm quid sentirem, posse dicere? Quod si haberem aliquid, quod liqueret: tamen te audire vicissim vellem, cùm ipse tam multa dixissem. Tum Balbus, Geram tibi morem, & agam quàm breuissimè potero. etenim conuictus Epicuri erroribus, longa de mea disputatione detracta oratio est. Omnino diuidunt nostri totam istam de dijs immortalibus quæstionem in partes quattuor. Primùm docent esse deos: deinde quales sint: tum mundum ab his administrari: postremò consulere eos rebus humanis. Nos autem hoc sermone, quæ priora duo sunt, sumamus: tertium, & quartum, quia maiora sunt, puto in aliud esse tempus differenda. Minimè verò, inquit Cotta: nam & otiosi sumus, & ijs de rebus agimus, quæ sunt etiam negotijs anteponendæ. Tum Lucilius, Ne egere quid

quidem videtur, inquit, oratione prima pars. quid enim potest esse tam apertum, tamq; perspicuum, cùm cælum suspeximus, cælestiaq; contemplati sumus, quàm esse aliquod numen præstantissimæ mẽtis, quo hæc regantur? Quod ni ita esset, quî potuisset assensu omnium dicere Ennius?

Aspice hoc sublime candens, quem inuocant omnes Iouem.

illum verò & Iouem, & dominatorem rerum, & omnia nutu regentem, & vt idem Ennius,

-patrem diuumq; hominumq;,

& præsentem, ac præpotentem deum. quod qui dubitat, haud sanè intelligo, cur non idem, sol sit, an nullus sit, dubitare possit. Quid enim est hoc illo euidentius? quod nisi cognitum comprehensumq; animis haberemus, non tam stabilis opinio permaneret, nec confirmaretur diuturnitate temporis, nec vna cum sæculis, ætatibusq; hominũ inueterare potuisset. Etenim videmus ceteras opiniones fictas, atq; vanas diuturnitate extabuisse. Quis enim Hippocentaurum fuisse, aut Chimæram putat? quæ ve anus tam excors inueniri potest, quæ illa, quæ quondam credebantur, apud inferos portenta extimescat? Opinionum enim commenta delet dies, naturæ iudicia confirmat. Itaque & in nostro populo, & in ceteris deorum cultus religionumque sanctitates exsistunt in dies maiores, atq;

atq; meliores. idq; euenit non temere, nec casu, sed quod præsentiam sæpe diui suam declarant: vt & apud Regillum bello Latinorũ, cùm A. Postumius dictator cum Octauio Mamilio Tusculano prælio dimicaret, in nostra acie Castor, & Pollux ex equis pugnare visi sunt. & recentiore memoria ijdem Tyndaridæ Persem victum nuntiauerunt. P. enim Vatienus, auus huiusce adolescentis, cùm è præfectura Reatina Romam venienti noctu duo iuuenes cum equis albis dixissent, Regem Persem illo die captum, senatui nuntiauit: & primo, quasi temere de repub. locutus esset, in carcerem coniectus est: post à Paullo literis allatis, cùm idem dies constitisset, & agro à senatu, & vacatione donatus est. Atque etiam cùm ad fluuium Sagram Crotoniatas Locri maximo prælio deuicissent, eo ipso die auditam esse eam pugnam ludis Olympiæ memoriæ proditum est. Sæpe Faunorum voces exauditæ: sæpe visæ formæ deorum, quemuis aut nõ hebetem, aut impium deos præsentes esse confiteri coëgerũt. Prædictiones verò, & præsensiones rerum futurarũ, quid aliud declarant, nisi hominibus ea, quæ sint, ostendi, monstrari, portendi, prædici, ex quo illa ostenta, monstra, portenta, prodigia dicuntur? Quòd si ea ficta credimus licentia fabularum, Mopsum, Tiresiam, Amphiaraum, Calchantem, Helenum, quos tamẽ augures ne ipsæ quidem fabulæ

fabulæ asciuissent, si res omnino repudiarent: ne domesticis quidem exemplis docti numen deorum comprobabimus? Nihil nos P. Claudij bello Punico primo temeritas mouebit? qui etiam per iocum deos irridens, cùm cauea liberati pulli non pascerentur, mergi eos in aquam iussit vt biberẽt, quoniam esse nollent. qui risus classe deuicta multas ipsi lacrymas, magnam populo R. cladem attulit. Quid? collega eius Iunius eodem bello nõne tempestate classem amisit, cùm auspicijs non paruisset? Itaque P. Claudius à populo condemnatus est, Iunius necem sibi ipse cõsciuit. *C. Flaminium Cælius religione neglecta cecidisse apud Thrasimenum scribit, cum magno reipub. vulnere. Quorum exitio intelligi potest, eorum imperijs rempub. amplificatam, qui religionibus paruissent. Et, si conferre volumus nostra cum externis, ceteris rebus aut pares, aut etiam inferiores reperiemur: religione, id est cultu deorum, multo superiores. An Attij Nauij lituus ille, quo ad inneligandum suem regiones vineæ terminauit, contemnendus est? Crederem, nisi eius augurio rex *Hostilius maxima bella gessisset. Sed negligentia nobilitatis, auguriorum disciplina omissa, veritas auspiciorum spreta est, species tantùm retenta. Itaq; maximæ reipub. partes, in his bella, quibus reipublicæ salus continetur, nullis auspicijs administrantur,

e nullæ

nulla perennia seruantur, nullæ ex acuminibus, nulli viri vocantur. Ex quo in procinctu testamenta perierunt. Tum enim bella gerere nostri duces incipiunt, cùm auspicia posuerunt. At verò apud maiores tanta religionis vis fuit, vt quidam imperatores etiam se ipsos dijs immortalibus capite velato verbis certis pro republica deuouerent. Multa ex Sibyllinis vaticinationibus, multa ex haruspicum responsis commemorare possum, quibus ea confirmentur, quæ dubia nemini debent esse. Atqui, & nostrorum augurum, & Etruscorum, & haruspicum disciplinam Pub. Scipione, C. Figulo consulibus res ipsa probauit. quos cùm Tiberius Gracchus consul iterum crearet, primus rogatorum, vt eos retulit, ibidem est repente mortuus. Gracchus cùm comitia nihilo minus peregisset, remq; illam in religionem populo venisse sentiret, ad senatum retulit: senatus, quos ad soleret, referendũ censuit. haruspices introducti, responderũt, nõ fuisse iustum comitiorum rogatorem. Tum Gracchus, vt è patre audiebam, incensus ira, Itáne verò ego non iustus, qui & consul rogaui, & augur, & auspicato? An vos Thusci ac barbari auspiciorum pop. Rom. ius tenetis, & interpretes esse comitiorũ potestis? Itaq; tum illos exire iussit: pòst autem ex prouincia litteras ad collegium misit, se, cùm legeret libros, recordatum

tum esse vitio sibi tabernaculum captum fuisse in hortis Scipionis: quòd cum pomærium postea intrasset habendi senatus caussa, in redeundo cùm idem pomærium transiret, auspicari esset oblitus: itaq; vitio creatos esse consules. Augures rem ad senatũ: senatus, vt abdicarent: consules abdicauerunt. Quæ quærimus exempla maiora? Vir sapientissimus, atq; haud scio an omnium præstãtissimus, peccatum suum, quod celari posset, cõfiteri maluit, quã hærere in rep. religionem: consules summũ imperiũ statim deponere, quàm id tenere punctum temporis cõtra religionẽ. Magna augurũ auctoritas: quid haruspicũ ars nónne diuina? Hæc innumerabilia ex eodẽ genere qui videat, nónne cogatur confiteri deos esse? Quorũ enim interpretes sunt, eos ipsos esse certè necesse est. deorum autem interpretes sunt: deos igitur esse fateamur. At fortasse non omnia eueniunt, quæ prædicta sunt: * ne ægri quidem, quia nõ omnes conualescunt, iccirco ars nulla medicina est. Signa ostenduntur à dijs rerum futurarum. in his si qui errauerunt, nõ deorum natura, sed hominum coniectura peccauit. Itaque inter omnes omnium gentium sententia constat. omnibus enim innatũ est, & in animo quasi insculptum, esse deos. quales sint, varium est: esse nemo negat. Cleãthes quidẽ noster quatuor de caussis dixit in animis hominum informatas deorũ esse notiones. Primam posuit eã de

quæ modò dixi, quæ orta esset ex præsensione rerum futurarum: alteram, quam ceperimus ex magnitudine commodorum, quæ percipiuntur cæli temperatione, fecunditate terrarum, aliarumq; commoditatum complurium copia: tertiam, quæ terreret animos fulminibus, tempestatibus, nimbis, niuibus, grandinibus, vastitate, pestilentia, terræmotibus, & sæpe fremitibus, lapideiq; imbribus, & guttis imbrium quasi cruentis, tum lapidibus, aut repentinis terrarum hiatibus, tum præter naturam hominum, pecudumq; portentis, tum facibus visis cælestibus, tum stellis ijs, quas Græci cometas, nostri crinitas vocant: quæ nuper bello Octauiano magnarum fuerunt calamitatum prænuntiæ: tum sole geminato, quod, vt è patre audiui, Tuditano & Aquillio consulibus euenerat: quo quidem anno P. Africanus sol alter exstinctus est, quibus exterriti homines vim quandam esse cælestem, & diuinam suspicati sunt. Quartam caussam esse, eamq; vel maximam, æquabilitatem motus, conuersionem cæli, solis, lunæ, siderumq; omnium distinctionem, * varietatem, pulchritudinem, ordinem: quarum rerum aspectus ipse satis indicaret non esse fortuita. Vt si quis in domum aliquam, aut in gymnasium, aut in forum venerit: cùm videat omnium rerum rationem, modum, disciplinam, non possit ea sine

sine caussa fieri iudicare, sed esse aliquem intelligat, qui præsit, & cui pareatur: multo magis in tantis motibus, tantisq; vicissitudinibus, tam multarum rerum, atque tantarum ordinibus, in quibus nihil vmquam immensa, & infinita vetustas mentita sit, statuat necesse est, ab aliqua mente tantos naturæ motus gubernari. Chrysippus quidem, quamquam est acerrimo ingenio, tamen ea dicit, vt ab ipsa natura didicisse, non, vt ipse reperisse videatur. Si enim, inquit, est aliquid in rerum natura, quod hominis mens, quod ratio, quod vis, quod potestas humana efficere non possit: est certè id, quod illud efficit, homine melius. Atqui res cælestes, omnesq; eæ, quarum est ordo sempiternus, ab homine confici non possunt. Est igitur id, quo illa conficiuntur, homine melius. Id autem quid potius dixerim, quàm deum? Etenim si dij nõ sunt, quid esse potest in rerum natura homine melius? in eo enim solo ratio est, qua nihil potest esse præstantius. Esse autem hominem, qui nihil in omni mundo melius esse, quàm se putet, desipientis arrogantiæ est. Ergo est aliquid melius. Est igitur profectò deus. An verò si domum magnam pulchramq; videris, nõ possis adduci, vt etiã si dominum non videas, muribus illam & mustellis ædificatam putes: tãtum verò ornatum mũdi, tantam varietatem, pulchritudi-

nemq; rerum cælestium, tantam vim, & magnitudinem maris, atq; terrarũ, si tuum, ac non deorum immortalium domicilium putes: nónne planè despere videare? An, ne hoc quidem intelligimus, omnia supera esse meliora? terram autem esse infimam, quam crassissimus circumfundat aër, vt ob eã ipsam caussam, quod etiam quibusdam regionibus, atq; vrbibus contingere videmus, hebetiora vt sint hominum ingenia propter cæli plenorem naturam, hoc idem generi humano euenerit, quòd in terra, hoc est in crassissima regione mundi collocati sint. & tamen ex ipsa hominum sollertia esse aliquam mentem, & eam quidem acriorem, & diuinam existimare debemus. Vnde enim hanc homo arripuit? vt ait apud Xenophontẽ Socrates. Quin & humorem, & calorem, qui est fusus in corpore, & terrenam ipsam viscerum soliditatem, animum denique illum spirabilem siquis quærat vnde habemus, apparet: quòd aliud à terra sumpsimus, aliud ab humore, aliud ab igne, aliud ab aëre eo, quẽ spiritu ducimus. Illud autem, quod vincit hæc omnia, rationem dico, & si placet pluribus verbis, mentem, consilium, cogitationem, prudentiam, vbi inueninus? vnde sustulimus? An cetera mundus habebit omnia, hoc vnum quod plurimi est, non habebit? Atqui certè nihil omnium rerum melius est mundo, nihil præstabilius, nihil pulchrius: nec sõlùm

lùm nihil est, sed ne cogitari quidem quidquam melius potest. Et si ratione, & sapientia nihil est melius, necesse est hæc ineesse in eo, quod optimum esse concedimus. Quid verò tanta rerum consentiens, conspirans, continuata cognatio? quem non coget ea, quæ à me dicuntur, comprobare? Possétne vno tempore florere, deinde vicissim horrere terra, aut, tot rebus ipsis se immutantibus, solis accessus, discessusq; solstitiq; brumiq; cognosci, aut æstus maritimi, fretorumq; angustiæ ortu, aut obitu lunæ commoueri, aut vna totius cæli cõuersione cursus astrorum dispares conseruari? Hæc ita fieri omnibus inter se concinentibus mundi partibus profectò non possent, nisi ea vno diuino, & continuato spiritu continerentur. Atq; hæc cùm vberius disputantur, & fusius, vt mihi est in animo facere, facilius effugiunt Academicorum calumniam. cùm autem, vt Zeno solebat, breuius, angustiusq; concluduntur, tum apertiora sunt ad reprehendendum. Nam vt profluens amnis aut vix, aut nullo modo, concluſa autem aqua facile corrumpitur: sic orationis flumine reprehensoris vitia diluuntur, angustia autem concluſæ orationis non facile se ipsa tutatur. Hæc enim quæ dilatãtur à nobis, Zeno sic premebat, Quod ratiõe vtitur, id melius est, quàm id quod ratione non vtitur: nihil autem mundo melius: ratione igitur mundus vtitur. Similiter

effici potest, sapientem esse mundum, similiter beatum, similiter æternum. Omnia enim hæc meliora sunt, quàm ea, quæ sunt his carentia: nec mundo quidquam melius: ex quo efficitur esse mundum deum. Idemq; hoc modo, Nullius sensu carentis pars aliqua potest esse sentiens: mundi autem partes sentientes sunt: non igitur caret sensu mundus. Pergit idem, & vrget angustius: Nihil, inquit, quod animi, quodq; rationis est expers, id generare ex se potest animantem, compotemq; rationis: mundus autem generat animantes, compotesq; rationis: animans est igitur mundus, compósque rationis. Idemq; similitudine, vt sæpe solet, rationẽ conclusit hoc modo, Si ex oliua modulatè canentes tibiæ nascerentur, non dubitares, quin esset in oliua tibicinis quædam scientia. quid, si platani fidiculas ferrent numerosè sonantes? idem scilicet censeres, in platanis inesse musicam. Cur igitur mundus non animans, sapiensq; iudicetur, cùm ex se procreet animantes, atq; sapientes? Sed quoniam cœpi secus agere, atq; initio dixeram: negaram enim hanc primam partem egere oratione, quòd esset omnibus perspicuum, deos esse: tamen id ipsum rationibus physicis cõfirmari volo: sic enim res se habet, vt omnia, quæ alantur, & crescant, contineant in se vim caloris: sine qua neq; ali possent, neq; crescere. Nam omne, quod est calidum, & igneum, ciet-

tur, & agitur motu suo. quod autem alitur, & crescit, motu quodam vtitur certo, & æquabili: qui quamdiu remanet in nobis, tamdiu sensus, & vita remanet: refrigerato autem, & exstincto calore, occidimus ipsi, & exstinguimur. Quod quidem Cleanthes his etiam argumentis docet, quanta vis insit caloris in omni corpore. Negat enim vllum esse cibũ tam grauem, quin is die, & nocte concoquatur: cuius etiam in reliquijs inest calor, ijs quas natura respuerit. Iam verò venæ, & arteriæ micare non desinunt quasi quodam igneo motu: animaduersumq; sæpe est, cùm cor animantis alicuius euulsum, ita mobiliter palpitaret, vt imitaretur igneam celeritatem. Omne igitur quod viuit, siue animal, siue terra editum, id viuit propter inclusum in eo calorem. Ex quo intelligi debet, eam caloris naturam vim in se habere vitalem per omnem mundum pertinentem. Atq; id facilius cernemus toto genere hoc igneo, quod tranat omnia, subtiliùs explicato. Omnes igitur partes mundi tangam, quæ maximo calore fultæ sustinentur: quod primum in terrena natura perspici potest. Nam & lapidum conflictu, * atq; tritu elici ignem videmus: & recenti fossione

terram fumare calentem:

atq; etiam ex puteis iugibus aquam calidam trahi, & id maximè hibernis fieri temporibus,

quòd magna vis terræ cauernis contineatur caloris, eaq; hieme sit densior, ob eámque causam calorem insitum in terris contineat arctius. Longa est oratio, multæq; rationes, quibus doceri possit, omnia, quæ terra concipiat semina, quæq; ipsa ex se generata stirpibus infixa contineat, ea temperatione caloris & oriri, & augescere. Atque aquæ etiam admistum esse calorem, primùm ipse liquor, tum aquæ declarat effusio: quæ neque conglaciaret frigoribus, neque niue pruináq; concresceret, nisi eadem se admisto calore liquefacta, & dilapsa diffunderet. Itaque & Aquilonibus, reliquisq; frigoribus adiectis durescit humor: & idem vicissim mollitur tepefactus, & tabescit calore. Atque etiam maria agitata ventis ita tepescunt, vt intelligi facile possit in tantis illis humoribus inclusum esse calorem. Nec enim ille externus, & aduentitius habendus est tepor, sed ex intimis maris partibus agitatione excitatus: quod nostris quoque corporibus contingit, cùm motu, atque exercitatione recalescunt. * Ipse vero aër, qui natura est maximè frigidus, minime est expers caloris. Ille verò & multo quidem calore admistus est: ipse enim oritur ex respiratione aquarum: earum enim quasi vapor quidam aër habendus est. Is autem exsistit motu eius caloris, qui aquis continetur. quam similitudinem cernere possumus

mus in ijs aquis, quæ efferuescunt subditis ignibus. Iam verò reliquæ quarta pars mundi ea & ipsa tota natura feruida est, & ceteris naturis omnibus salutarem impertit & vitalem calorem. Ex quo concluditur, cùm omnes mundi partes sustineantur calore, mundum etiam ipsum simili, pariq; natura in tanta diuturnitate seruari: eoq; magis, quòd intelligi debet calidum illud, atq; igneum ita in omni fusum esse natura, vt in eo insit procreãdi vis, & causa gignendi: à quo & animantia omnia, & ea quorum stirpes terra continentur, & nasci sit necesse, & augescere. Natura est igitur, quæ contineat mundum omnem, eumq; tueatur, & ea quidem non sine sensu atq; ratione: omnem enim naturam necesse est, quæ non solitaria sit, neq; simplex, sed cum alio coniuncta, atque connexa, habere aliquem in se principatum, vt in homine mentem, in bellua quiddam simile mentis, vnde oriantur rerum appetitus. In arborum autem, & earum rerum, quæ gignuntur è terra, radicibus inesse principatus putatur. Principatum autem id dico, quod Græci ἡγεμονικὸν vocant: quo nihil in quoque genere nec potest, nec debet esse præstabilius. Itaq; necesse est illud etiã, in quo sit totius naturæ principatus, esse omnium optimum, omniumq; rerum potestate dominatuq; dignissimum. Videmus autem in partibus mũdi (nihil est enim in omni

omni mundo, quod non pars vniuersi sit) inesse sensum, & rationem. In ea parte igitur, in qua mundi est principatus, hæc inesse necesse est, & acriora quidem, atq; maiora. quocirca sapientem esse mundum necesse est; naturamq; eam, quæ res omnes complexa teneat, perfectione rationis excellere, eóque deum esse mundum, omnemq; vim mundi diuina natura contineri. Atque mundi feruor ille purior, perlucidior, mobiliorq; multo, ob easq; causas aptior ad sensus commouendos, quàm hic noster calor, quo hæc, quæ nota nobis sunt, retinentur, & vigent. Absurdum est igitur dicere, cùm homines, bestiæq; hoc calore teneantur, & propterea moueantur, & sentiant, mundum esse sine sensu, qui integro, & puro, & libero, eodemq; acerrimo, & mobilissimo ardore teneatur præsertim cùm is ardor, qui est mundi, non agitatus ab alio, neque externo pulsu, sed per se ipse, ac sua sponte moueatur. Nam quid potest esse mundo valentius, quòd pellat, atque moueat calorem eum, quo ille teneatur? Audiamus enim Platonem quasi quendam deum philosophorum: cui duos placet esse motus vnum suum, alterum externum: esse autem diuinius, quod ipsum ex se sua sponte moueatur, quàm quod pulsu agitetur alieno. Hunc autem motum in solis animis esse ponit, ab hoc principium motus esse ductum putat. Quapropter

quoniam ex mundi ardore motus omnis oritur, is autem ardor non alieno impulsu, sed sua sponte mouetur: animus sit necesse est. ex quo efficitur, animantem esse mundum. Atq; ex hoc quoq; intelligi poterit, in eo inesse intelligentiam, quòd certè est mundus melior, quàm vlla natura. Vt enim nulla pars corporis nostri est, quæ non sit minor, quàm nosmetipsi sumus: sic mundum vniuersum pluris esse necesse est, quàm partem aliquam vniuersi. Quod si ita est, sapiens sit mundus necesse est. nam ni ita esset, hominem, qui est mundi pars, quoniam rationis est particeps, pluris esse, quàm mundum omnem, oporteret. Atq; etiam si à primis inchoatisq; naturis ad vltimas perfectasq; volumus procedere, ad deorum naturam peruenimus necesse est. Primò enim animaduertimus à natura sustineri ea, quæ gignuntur è terra, quibus natura nihil tribuit amplius, quàm vt ea alendo, atque augendo tueretur. Bestijs autem sensum, & motum dedit, & cum quodam appetitu accessum ad res salutares, à pestiferis recessum: homini hoc amplius, quòd addidit rationem, qua regerentur animi appetitus, qui tum remitterentur, tum continerentur. Quartus autem gradus, & altissimus, eorum, qui natura boni, sapientesq; gignuntur: quibus à principio innascitur ratio recta, constansq;, quæ supra hominem putanda est, deoq; tribuenda, id est

est mundo: in quo necesse est perfectam illam atq; absolutam inesse rationem. Neq; enim dici potest, in vlla rerum institutione non esse aliquid extremum, atque perfectum: vt enim in vite, vt in pecude (nisi quæ vis obstitit) videmus naturam suo quodam itinere ad vltimum peruenire: atque vt pictura, & fabrica, ceteræq; artes habent quendam absoluti operis effectum: sic in omni natura, ac multo etiam magis, necesse est absolutum aliquid ac perfici. Etenim ceteris naturis multa externa, quo minus perficiantur, possunt obsistere: vniuersam autem naturam nulla res potest impedire: propterea quòd omnes naturæ ipsa cohibet, & continet. Quocirca necesse est esse illum quartum, & altissimum gradum, quò nulla vis possit accidere. is autem gradus est, in quo rerum omnium natura ponitur: quæ quoniam talis est, vt præsit omnibus, & eam nulla res possit impedire, necesse est intelligentem esse mundum, & quidem etiam sapientem. Quid autem est inscitius, quàm aut eam naturam, quæ omnes res sit complexa, non optimam dici: aut, cùm sit optima, non primùm animantem esse, deinde rationis, & consilij compotem: postremò sapientem? Qui enim aliter potest esse optima? Neque enim si stirpium simulis sit, aut etiam bestiarum optima putanda sit potius, quàm deterrima: nec verò si rationis particeps sit, nec sit tamen à principio sapiens,

piens, non sit deterior mundi potius, quàm humana condito. Homo enim sapiens fieri potest: mundus autem, si in æterno præteriti temporis spatio fuit insipiens, numquam profectò sapientia consequetur. ita erit homine deterior. quod quoniam absurdum est, & sapiens à principio mundus, & deus habendus est: Neq; enim est quidquam aliud præter mundum, cui nihil absit, quodq; vndique aptum, atq; perfectum, expletumq; sit omnibus suis numeris, & partibus: scite enim Chrysippus, vt clypei caussa inuolucrum, vaginam autem gladij, sic præter mundum cætera omnia aliorum caussa esse generata: vt eas fruges, atque fructus quos terra gignit, animantium caussa, animantes autem hominum; vt equum vehendi caussa, aranti bouem, venandi, & custodiendi canem. ipse autem homo ortus est ad mundum contemplandum, & imitandum, nullo modo perfectus, sed quædam particula perfecti. Sed mundus, quoniam omnia complexus est, nec est quidquam quod non insit in eo, perfectus vndiq; est. Quid igitur potest ei deesse, quod est optimum? nihil autem est mente, & ratione melius: ergo hæc mundo deesse non possunt. Bene igitur idem Chrysippus, qui similitudines adiungēs, omnia in perfectis, & maturis docet esse meliora, vt in equo, quàm in equulo, in cane, quàm in catulo, in viro, quàm in puero. Item quod in omni

mundo

mundo optimum sit, id in perfecto aliquo, atq; absoluto esse debere. est autẽ mundo nihil perfectius; nihil virtute melius: igitur mundi est propria virtus. Nec verò hominis natura perfecta est: & efficitur tamen in homine virtus. quanto igitur in mundo facilius? est ergo in eo virtus. Sapiens igitur est, & propterea deus. Atq; hac mundi diuinitate perspecta, tribuenda est sideribus eadem diuinitas: *quæ ex mobilissima, purissimaq; ætheris parte gignuntur. neque vlla præterea sunt admista natura, totaq; sunt calida, atque perlucida, vt eaquoque rectissimè, & animantia esse, & sentire, atq; intelligere dicantur. Atq; ea quidem tota esse ignea duorũ sensuum testimonio confirmari Cleanthes putat, tactus, & oculorum. Nam solis candor illustrior est quàm vllus ignis, quippe qui immenso mundo tam longè lateq; colluceat: & is eius tactus est, non vt tepefaciat solùm, sed etiam sæpe comburat: quorum neutrum faceret, nisi esset igneus. Ergo inquit, cùm sol igneus sit, Oceaniq; alatur humoribus, quia nullus ignis sine pastu aliquo possit permanere: necesse est, aut ei similis sit igni, quem adhibemus ad vsum: atq; ad victum: aut ei, qui corporibus animantium continetur. Atq; hic noster ignis, quem vsus vitæ requirit, confector est, & consumptor omnium. idemq; quocumq; inuasit, cuncta disturbat ac dissi-

dissipat. Contrà ille corporeus, vitalis, & salutaris omnia conseruat, alit, auget, sustinet, sensuq; afficit. Negat ergo esse dubium, horum ignium sol vtri similis sit, cũ is quoq; efficiat vt omnia floreant, & in suo quæque genere pubescant. Quare cum solis ignis similis eorũ ignium sit qui sunt in corporibus animantium, solem quoq; animantem esse oportet, & quidem reliqua astra quæ oriantur in ardore celesti, qui æther vel cælum nominatur. Cùm igitur aliorũ animantiũ ortus in terra sit, aliorũ in aqua, in aëre aliorum: absurdum esse Aristoteli videtur, in ea parte, quæ sit ad gignenda animalia aptissima, animal gigni nullum putare. Sidera autem æthereum locum obtinent: qui quoniam tenuissimus est, & semper agitatur, & viget, necesse est quod animal in eo gignatur, idem quoq; sensu acerrimo, & mobilitate celerrima esse. Quare cũ in æthere astra gignantur; consentaneũ est, in ijs sensum inesse, & intelligentiam. ex quo efficitur, in deorum numero astra esse ducenda. Etenim licet videre acutiora ingenia, & ad intelligendum aptiora eorum, qui terras incolant eas in quibus aër sit purus ac tenuis, quàm illorum qui vtantur crasso cælo atq; concreto. Quin etiam cibo, quo vtare interesse aliquid ad mentis aciem putant. Probabile est igitur, præstantem intelligentiam in sideribus esse, quæ & ætheream mundi partem

incolant, & marinis terrenisq; humoribus longo interuallo extenuatis alantur. Sensum autem astrorum, atq; intelligentiam maximè declarat ordo eorum, atque constantia. Nihil est enim quod ratione, & numero moueri possit sine consilio: in quo nihil est temerarium, nihil varium, nihil fortuitum. Ordo autem siderum, & in omni æternitate constantia, neque naturam significat: est enim plena rationis: neque fortunam, quæ amica varietati constantiam respuit. sequitur ergo vt ipsa sua sponte, suo sensu, ac diuinitate moueantur. Nec verò Aristoteles non laudandus in eo, quòd omnia, quæ mouentur, aut natura moueri censuit, aut vi, aut voluntate. moueri autem solem & lunam, & sidera omnia. Quæ autem natura mouerentur, hæc aut pondere deorsum, aut leuitate in sublime ferri: quorum neutrum astris contingeret: propterea quòd eorum motus in orbem circumferretur. Nec verò dici potest vi quadam maiore fieri, vt contra naturam astra moueantur. Quæ enim potest maior esse? Restat igitur, vt motus astrorum sit voluntarius. Quæ qui videat, non indoctè solùm, verùm etiam impiè faciat, si deos esse neget. Nec sanè multum interest, virum id neget, an eos omni procuratione, atque actione priuet. Mihi enim qui nihil agit, esse omnino non videtur. Esse igitur deos ita perspicuum est, vt id qui neget,

get, vix eum sanæ mentis existimem. Sanè restat, vt qualis eorum natura sit, consideremus: in quo nihil est difficilius, quàm à consuetudine oculorum aciem mentis abducere. Ea difficultas induxit & vulgò imperitos, & similes philosophos imperitorum, vt nisi figuris hominũ constitutis, nihil possent de dijs immortalibus cogitare. Cuius opinionis leuitas confutata à Cotta, non desiderat orationem meam. Sed cùm talem esse deum certa notione animi præsentiamus, primùm vt sit animans, deinde vt in omni natura nihil eo sit præstantius: ad hanc præsensionem notionemq; nostram, nihil video quod potius accommodem, quàm vt primùm hunc ipsum mundum, quo nihil fieri excellentius potest, animantem esse & deum iudicem. Hic quàm volet Epicurus iocetur, homo non aptissimus ad iocandum, *minimeq; respiciens patriam: & dicat se non posse intelligere qualis sit volubilis & rotundus deus: tamen ex hoc, quod ipse etiam probat, numquam me mouebit. Placet enim illi esse deos, quia necesse sit præstantem aliquam esse naturam, qua nihil sit melius. mundo autem certe nihil est melius. Nec dubium, quin quod animans sit, habeatq; sensum, & rationem, & mentem, id sit melius quàm id, quod his careat. Ita efficitur, animantem, sensus, mentis, rationis mundũ esse compotem, qua ra-

tione, deum esse mundum, concluditur. Sed hæc paullo pòst facilius cognoscentur ex ijs rebus ipsis, quas mundus efficit. Interea, Vellei, nolis quæso, præterire vos planè expertes esse doctrinæ. Conum tibi ais, & cylindrum, & pyramidem pulchriorem quàm sphærã videri. Nouum etiam oculorum iudicium habetis. Sed sint ista pulchriora dumtaxat aspectu, quod mihi tamen ipsum nõ videtur. Quid enim pulchrius ea figura, quæ sola omnes alias figuras complexa continet, quæq; nihil asperitatis habere, nihil offensionis potest, nihil incisum angulis, nihil anfractibus, nihil eminens, nihil lacunosum? Cumq; duæ formæ præstantes sint, ex solidis globis (sic enim σφαῖραν interpretari placet) ex planis autem circulus aut orbis, quod κύκλος Græcè dicitur: his duabus formis contingit solis, vt omnes earum partes sint inter se simillimæ, à medioq; tantum absit extremum, quantum idem à summo, quo nihil fieri potest aptius. Sed si hæc non videtis, quia numquam eruditum illum puluerem attigistis, annè hoc Physici quidem intelligere potuistis, hanc æqualitatem motus, constantiamq; ordinum in alia figura non potuisse seruari? Itaq; nihil potest esse indoctius, quàm quod à vobis affirmari solet: nec enim hunc ipsum mundum pro certo rotundum esse dicitis. nam posse fieri, vt sit alia figura: innumerabilesq; mundos, alios aliarum esse formarum. quæ si *bis bina quot essent didicisset Epicurus, certè non diceret. Sed dum palato quid sit optimum iudicat, *cæli palatum (vt ait Ennius) non suspexit. Nam cùm duo sint genera siderum, quorum alterum spatijs immutabilibus ab ortu ad occasum commeans, nullum vmquam cursus sui vestigium inflectat: alterum autem continuas conuersiones duas ijsdem spatijs cursibusq; conficiat: ex vtraque re & mundi volubilitas, quæ nisi in globosa firma esse non posset, & stellarum rotundi ambitus cognoscuntur, primusq; sol, qui astrorum obtinet principatum, ita mouetur, vt cùm terras larga luce compleuerit, easdem modò his, modò illis partibus opacet. Ipsa enim vmbra terræ soli officiens, noctem efficit. Nocturnorum autem spatiorum eadem est æqualitas, quæ diurnorum. eiusdemq; solis tum accessus modici, tum recessus, & frigoris, & caloris modum temperant. Circuitus enim solis orbium V. defectibus & LX. & CCC. quarta ferè diei parte addita, conuersionem conficiunt annuam. Inflectens autem sol cursum tum ad septemtriones, tum ad meridiem, æstates & hiemes efficit: & ea duo tempora, quorum alterum hiemi senescenti adiunctum est, alterum æstati. Ita ex quattuor temporum mutationibus omniũ, quæ terra mariq; gignuntur, initia caussaq; ducun-

tur. Iam solis annuos cursus spatijs mẽstruis luna consequitur: cuius tenuissimum lumen facit proximus accessus ad solem, degressus autem longissimus quisque plenissimum. Neq; solùm eius species ac forma mutatur, tũ crescendo, tum defectibus in initia recurrendo, sed etiam regio, quæ tum est aquilonaris, tum australis. In lunæ quoq; cursu est & brumæ quædam, & solstitij similitudo, multaq; ab ea manant & fluunt, quibus & animantes alantur augescantq; , & pubescant, maturitatémque assequantur, quæ oriuntur è terra. Maxime verò admirabiles sunt motus earum quinque stellarum quæ falsò vocantur errantes. Nihil enim errat, quod in omni æternitate conseruat progressus, & regressus, reliquosq; motus constantes & ratos. Quod eo est admirabilius in hũ stellis quas dicimus, quia tum occultantur, tum rursus aperiuntur: tum abeunt, tum recedunt: tum antecedunt, tum subsequuntur: tum celerius mouentur, tum tardius: tum omnino ne moueantur quidem, sed ad quoddam tempus insistunt. Quarum ex disparibus motionibus magnum annum mathematici nominauerunt: qui tum efficitur, cùm solis, & lunæ, & quinque errantium ad eandem inter se comparationem confectis omnium spatijs est facta conuersio. Quæ quàm longa sit, magna quæstio est: esse verò certam & definitam, necesse est. Nam ea

quæ Saturni stella dicitur, Φαινών; à Græcis nominatur, quæ à terra abest plurimũ, XXX. ferè annis cursum suum conficit. In quo cursu multa mirabiliter efficiens tũ antecedẽdo, tũ retardando, tum vespertinis temporibus delitescendo, tum matutinis rursum se aperiendo, nihil immutat sempiternis sæculorum statibus, quin eadem ijsdem temporibus efficiat. Infra autem hanc propius à terra Iouis stella fertur, * quæ Φαέθων dicitur: eáq; eundem XII. signorum orbem annis XII. conficit: easdemq; quas Saturni stella efficit in cursu varietates. Huic autem proximum inferiorem orbem tenet πυρόεις, quæ stella Martis appellatur: eáque IIII. & XX. mensibus, VI, vt opinor, diebus minus eundem lustrat orbem, quem duæ superiores. Infra hanc autem stella Mercurij est: ea στίλβων appellatur à Græcis: quæ anno ferè vertente signiferum lustrat orbem: neque à sole longius vmquam trium signi interuallo discedit, tum anteuertens, tum subsequens. Infima est quinque errantium terræque proxima stella Veneris: quæ φώσφορος & Græcè, Lucifer Latinè dicitur, cùm antegreditur solem: cùm subsequitur autem Hesperos. Ea cursum anno conficit, & latitudinem lustrans signiferi orbis, & longitudinem, quod idem faciunt stellæ superiores: neq; vmquam ab sole duorum signorum interuallo

longius discedit, tum antecedens, tum subsequens. Hanc igitur in stellis constantiam, hanc tantam tam variis cursibus in omni æternitate conuenientiam temporum non possum intelligere sine mente, ratione, consilio. Quæ cùm in sideribus inesse videamus, nõ possumus ea ipsa non in deorum numero reponere. Nec verò stellæ eæ, quæ inerrantes vocantur, non significant eandem mentem, atque prudentiam: quarum est quotidiana cõueniens constansq; conuersio: nec habent æthereos cursus, neque cælo inhærẽtes, vt plerique dicunt physicæ rationis ignari: non est enim ætheris ea natura, vt vi sua stellas complexa contorqueat. nam tenuis ac perlucens, & æquabili calore suffusus æther, non satis aptus ad stellas continendas videtur. Habent igitur suam sphæram stellæ inerrantes ab ætherea coniunctione secretam, & liberam. Earum autem perennes cursus, atque perpetui, cum admirabili incredibiliq; constantia, declarant in his vim, & mentem esse diuinam: vt hæc ipsa qui non sentiat deorum vim habere, is nihil omnino sensurus esse videatur. Nulla igitur in cælo nec fortuna, nec temeritas, nec errratio, nec vanitas inest: contraq; omnis ordo, veritas, ratio, constantia. Quæq; his vacant, ea * ementita & falsa plenaq; erroris eunt circum terras, infra lunam, quæ omnium vltima est, in terrisq; versatur. Cælestem ergo admirabilem

bilem ordinem incredibilémque constantiam, ex qua conseruatio, & salus omnium omnis oritur, qui vacare mente putat, is ipse mentis expers habendus est. Haud ergo, vt opinor, errauero, si à principe inuestigandæ veritatis huius disputationis principium duxero. Zeno igitur ita naturam definit, vt eam dicat ignem esse artificiosum ad gignendum progredientem via. Censet enim artis maximè proprium esse creare, & gignere: quodq; in operibus nostrarum artium manus efficiat, id multo artificiosiùs naturam efficere, id est, vt dixi, ignem artificiosum, magistrum artium reliquarum. Atque hac quidem ratione omnis natura artificiosa est, quòd habet quasi viam quandam, & sectam, quam sequatur. Ipsius verò mundi, qui omnia complexu suo coërcet & continet, natura non artificiosa solùm, sed planè artifex, ab eodem Zenone dicitur consultrix, & prouida vtilitatum, opportunitatumq; omniũ. Atque vt ceteræ naturæ suis seminibus quæque gignuntur, augescunt, continentur: sic natura mundi omnes motus habet voluntarios, conatusq;, & appetitiones, quas ὁρμὰς Græci vocant, & his consentaneas actiones sic adhibet, vt nosmetipsi, qui animis mouemur, & sensibus. Talis igitur mens mundi cùm sit, ob eámque causſam prouidentia appellari rectè possit (Græcè enim πρόνοια dicitur) hæc po-

tissimum prouidet, & in his maximè est occupata: primùm vt mundus quamaptissimus sit ad permanendũ: deinde vt nulla re egeat: maximè autem vt in eo eximia pulchritudo sit, atque omnis ornatus. Dictum est de vniuerso mundo: dictum est etiam de sideribus: vt iam propemodum appareat multitudo nec cessantium deorum, nec ea quæ agant molientium cum labore operoso, ac molesto. Non enim venis, & neruis, & ossibus continentur, nec ijs escis, aut potionibus vescuntur, vt aut nimis acres, aut nimis concretos humores colliganti: nec ijs corporibus sunt, vt aut casus, aut ictus extimescant, aut morbos metuant ex defatigatione membrorum. Quæ verens Epicurus μονογράμμους deos, & nihil agentes commentus est. Illi autem pulcherrima forma præditi, purissimaq; in regione cæli collocati, ita feruntur moderantúrque cursus, vt ad omnia conseruãda, & tuenda consensisse videantur. Multæ autem aliæ naturæ deorum ex magnis beneficijs eorum non sine caussa & à Græciæ sapientibus, & à maioribus nostris constitutæ nominataq; sunt. Quidquid enim magnam vtilitatem generi afferret humano, id non sine diuina bonitate erga homines fieri arbitrabantur. Itaque tum illud, quod erat à deo natum, nomine ipsius dei nuncupabant, vt cùm fruges Cererem appellamus, vinum autem

tem Liberum: ex quo illud Terentij,

Sine Cerere, & Libero friget Venus.

Tum autem res ipsa in qua vis ineſt maior aliqua sic appellatur, vt ea ipsa vis nominetur deus, vt Fides, vt Mens, quas in Capitolio dedicatas videmus proximè à M. Aemilio Scauro; antè autem ab Atilio Calatino erat Fides consecrata. Vides Virtutis templum. vides Honoris à M. Marcello renouatum: quod multò antè annis erat bello Ligustico à Q. Maximo dedicatum. Quid Opis? quid Salutis? quid Concordiæ, Libertati, Victoriæ? quarum omnium rerum quia vis erat tãta, vt sine deo regi non posset, ipsa res deorum nomen obtinuit. Quo ex genere Cupidinis, & Voluptatis & Lubentinæ Veneris vocabula consecrata sunt, vitiosarum rerum neque naturalium: quanquam Velleius aliter existimat: sed tamen ea ipsa vitia naturam vehementius sæpe pulsant. Vtilitatum igitur magnitudine constituti sunt ij dij, qui vtilitates quasque gignebant. Atque his quidem nominibus, quæ paullo antè dicta sunt à me, quæ vis sit in quoque declaratur deo. Suscepit autem vita hominum, consuetudoq; communis, vt beneficijs excellentes viros in cælum fama, ac voluntate tolleret. Hinc Hercules, hinc Castor & Pollux, hinc Aesculapius, hinc Liber etiam: hunc dico Liberum Semele natum, non eum quem nostri maior

maiores augustè sanctéq; Liberum cum Cerere & Libera consecrauerunt: quod quale sit ex mysteriis intelligi potest: sed quòd ex nobis natos liberos appellamus, iccirco Cerere nati nominati sunt Liber & Libera: quod in Libero seruant, in Libera non item. Hunc etiam Romulus, quem quidem eundem esse Quirinum putant: quorum cùm remanerent animi, atque æternitate fruerentur, diu rite sunt habiti, cùm & optimi essent, & æterni. Alia quoque ex ratione, & quidem physica, magna fluxit multitudo deorum: qui induti specie humana fabulas poëtis suppeditauerùt, hominum autem vitam superstitione omni referserunt. Atque hic locus à Zenone tractatus, pòst à Cleanthe, & Chrysippo pluribus verbis explicatus est. Nam vetus hæc opinio Græciam oppleuit, exsectum Cælum à filio Saturno, vinctum autẽ Saturnum ipsum à filio Ioue. Physica ratio nõ inelegans inclusa est in impias fabulas. Cælestem enim altissimam, æthereamq; naturam, id est, igneam, quæ per sese omnia gigneret, vacare voluerunt ea parte corporis quæ coniunctione alterius egeret ad procreãdum. Saturnũ autem eum esse voluerũt, qui cursum, & cõuersionem spatiorũ, ac temporũ contineret: qui deus Græcè id ipsum nomẽ habet: χρόνος enim dicitur: qui est idem χρόνος, temporis spatium. Saturnus autẽ est appellatus, quòd saturetur annis: ex se

ex se enim natos comesse fingitur solitus, quia cõsumit ætas temporum spatia, annisq; præteritis insaturabiliter expletur. Vinctus est autem à Ioue, ne immoderatos cursus haberet, atq; vt eum siderum vinculis alligaret. Sed ipse Iupiter, id est iuuans pater, quem conuersis casibus appellamus à iuuando Iouem, à poëtis patet diuumq; hominumq; dicitur, à maioribus autem nostris, optimus, maximus, & quidem antè optimus, id est beneficentissimus, quàm maximus: quia maius est, certeq; gratius prodesse omnibus, quàm opes magnas habere. Hũc igitur Ennius, vt suprà dixi, nũcupat ita dicẽs,

Aspice hoc sublime candens, quem inuocant omnes Iouem.

Planiusq; alio loco idem,

Cui qđ in me est exsecrabor hoc *quo lucet, quidquid est.

Hunc etiam augures nostri cùm dicunt, Ioue fulgente, tonante: dicunt enim cælo fulgente, tonante. Euripides autem, vt multa præclarè, sic hoc breuiter,

*Vides sublime fusum, immoderatũ æthera, Qui tenero terram circumuectu amplectitur: Hunc summum habeto diuum: hunc perhibeto Iouem.

Aër autem, vt Stoici disputant, interiectus inter mare, & cælum, Iunonis nomine consecratur, quæ est soror & coniux Iouis, quòd & simili

militudo est ætheris, & cum eo summa coniunctio. Effœminarunt autem eum, Iunoniq; tribuerũt, quòd nihil est eo mollius. Sed Iunonem à iuuando credo nominatam. Aqua restabat & terra, vt essent ex fabulis tria regna diuisa. Datum est igitur Neptuno alterum, Iouis, vt volunt, fratri, maritimum omne regnum: nomenq; productũ, vt Portunus à portu, sic Neptunus à nãdo, paullum primis litteris immutatis. Terrena autem vis omnis, atque natura Diti patri dedicata est: qui Dis, vt apud Græcos Πλούτων, quia & recidant omnia in terras, & oriãtur è terris. *Is rapuit Proserpinam, quod Græcorum nomen est: ea enim est, quæ Περσεφόνη Græcè nominatur: quam frugum semen esse volunt, absconditamq; quæri à matre fingunt. Mater autem est à gerendis frugibus Ceres, tanquam geres: casuq; prima littera itidẽ immutata, vt à Græcis. nam ab illis quoq; Δημήτηρ, quasi γεωμήτηρ nominata est. Iam qui magna verteret, Mauors: Minerua autem quæ vel minueret, vel minaretur. Cumq; in omnibus rebus vim haberent maximã primas & extrema, principem in sacrificãdo *Ianum esse voluerũt, quod ab eundo nomẽ est ductum: ex quo trãsitiones peruiæ, Iani: foresq; in liminibus profanarum ædium, ianuæ nominantur. Nã Vestæ nomen à Græcis: ea est enim, quæ ab illis ἑστία dicitur. Vis autem eius ad aras, & focos

focos pertinet. Itaque in ea dea, quæ est rerum custos intimarum, omnis & precatio, & sacrificatio extrema est. Nec longè absunt ab hac vi dij penates, siue à penu ducto nomine (est enim omne quo vescuntur homines penus) siue ab eo quòd penitus insident, ex quo etiam penetrales à poetis vocantur. Iam Apollinis nomen est Græcum, quem Solem esse volunt. Dianam autem & Lunam eandem esse putant: cùm Sol dictus sit, vel quia solus ex omnibus sideribus est tantus, vel quia cùm est exortus, obscuratis omnibus solus apparet: Luna à lucendo nominata sit: eadem est enim Lucina. Itaque vt apud Græcos Dianam, eamq; Luciferam, *sic apud nostros, Iunonem Lucinam in pariendo nuocant: quæ eadem Diana anniuaga dicitur, non à venando, sed quòd in septem numeratur tamquã vagantibus. Diana dicta, quia noctu quasi diem efficeret. Adhibetur autem ad partus, quòd ij matures cunt aut septem nonnumquam, aut plerumque nouem lunæ cursibus: qui quia mensa spatia conficiunt, menses nominantur. concinnéque, vt multa, *Timæus, qui cùm in historia dixisset, qua nocte natus Alexander esset, eadem, Dianæ Ephesiæ templum defla grauisse: adiunxit, minimè id esse mirandum, quòd Diana, cùm in partu Olympiadis adesse voluisset, *abfuisset domo. Quæ autem dea ad res omnes

veniret

Universidad de Deusto Biblioteca

ueniret, Venerem nostri nominauerunt: atque ex ea potius venustas, quàm Venus ex venustate. Videtisne igitur, vt à physicis rebus bene atque vtiliter inuentis tracta ratio sit ad commentitios, & fictos deos? Quæ res genuit falsas opiniones erroresq; turbulentos, & superstitioneis pænè aniles. Et formæ enim nobis deorũ & ætates, & vestitus ornatusq; noti sunt: genera præterea, coniugia, cognationes, omniaq; traducta ad similitudinem imbecillitatis humanæ. Nam, & perturbatis animis inducuntur: accipimus enim deorum cupiditates, ægritudines, iracundias. Nec verò, vt fabulæ ferunt, dij bellis prælijsq; caruerunt: nec solùm, vt apud Homerum, cùm duos exercitus contrarios alij dij ex alia parte defenderent: sed etiam, vt cum Titanis, vt cum gigantibus, propria bella gesserunt. Hæc & dicuntur, & creduntur stultissimè, & plena sunt futilitatis summæq; leuitatis. Sed tamen his fabulis spretis, ac repudiatis, deus pertinens per naturam cuiusq; rei, per terras Ceres, per maria Neptunus, alij per alia, poterunt intelligi qui, quales q; sint, quoq; eos nomine consuetudo nuncupauerit, quos deos & venerari, & colere debemus. Cultus autem deorum est optimus, idemq; castissimus, atque sanctissimus, plenissimusq; pietatis, vt eos semper pura, integra, incorrupta & mẽte, & voce veneremur. *Non enim

enim philosophi solùm, verùm etiam maiores nostri superstitionem à religione separauerunt. nam qui totos dies precabantur & immolabãt, vt sui liberi sibi superstites essent, superstitiosi sunt appellati: quod nomen patuit postea latius. Qui autem omnia quæ ad cultum deorum pertinerent, diligenter pertractarent & tamquã relegerẽt, sunt dicti religiosi ex relegendo, vt elegantes ex eligẽdo, tamquam à diligendo diligentes, ex intelligẽdo, intelligentes. His enim in verbis omnibus inest vis legendi eadem, quæ in religioso. Ita factum est in superstitioso, & religioso, alterum vitij nomen, alterum laudis. Ac mihi videor satis, & esse deos, & quales essent, ostendisse. Proximum est vt doceam, deorum prouidentia mundũ administrari. Magnus sanè locus, & à vestris Cotta vexatus: ac nimirũ vobiscum omne certamen est. Nam vobis, Velleius, minus notum est, quemadmodum quidque dicatur. Vestra enim solùm legitis, vestra amatis: ceteros cauſſa incognita condemnatis. velut à te ipso heſterno die dictum est, anum futidicam προνοιαν à Stoicis induci, id est prouidentiam. Quod eo errore dixisti, quia existimas ab his prouidentiam fingi quasi quandã deam singularem quæ mundum omnem gubernet & regat: sed id præcisè dicitur. vt, si quis dicat Atheniensium rempub. consilio regi, desit illud, Ariopagi:

sic cùm dicimus prouidentia mundum administrari, deesse arbitrator, deorum. Plenè autem & perfectè sic dici existimato, prouidentia deorum mundum administrari. Ita falsum istum quo caret vestra natio, in irridendis nobis nolitote consumere, & mehercle, si me audiatis, ne experiamini quidem. non decet: non datum est: non potestis. Nec verò hoc in te vnum conuenit moribus domesticis, ac nostrorum hominum vrbanitate limatum, sed cùm in reliquos vestros, tum in eum maximè, qui ista peperit, hominem sine arte, sine litteris, insultantem in omnes, sine acumine vllo, sine auctoritate, sine lepore. Dico igitur prouidentia deorum mundum, & omnes mundi partes & initio constitutas esse, & omni tempore administrari: eamq; disputationem tres in partes nostri ferè diuidunt: quarum pars prima est, quæ ducitur ab ea ratione, quæ docet esse deos: quo concesso, confitendum est, eorum consilio mundum administrari. Secunda est autem, quæ docet omnes res subiectas esse naturæ sentienti, ab eaq; omnia pulcherrimè geri. quo cõstituto, sequitur ab animãtibus principijs eam esse generatam. Tertius locus est, qui ducitur ex admiratione rerum cælestium, atque terrestrium. Primùm igitur aut negandum est, deos esse, quod & Democritus simulacra, & Epicurus imagines inducens quodam pacto

pacto negat: aut qui deos esse concedant, ijs fatendum est, eos aliquid agere: idq; præclarum. Nihil est autem præclarius mundi administratione: deorum igitur consilio administratur mundus. Quod si aliter est, aliquid profectò sit necesse est melius, & maiore vi prædutum, quàm deos, quale id cumq; est, sine mamma natura, siue necessitas vi magna incitata, hæc pulcherrima opera efficiens, quæ videmus. Non est igitur natura deorum præpotens, neque excellens, siquidem ea subiecta est ei vel necessitati, vel naturæ, qua cælum, maria, terræq; regantur. nihil autem est præstantius deo: ab eo igitur necesse est mundi regi. Nulli igitur est naturæ obediens, aut subiectus deus: omnem ergo regit ipse naturam. Etenim si concedimus intelligentes esse deos; concedimus etiam prouidentes, & rerum quidem maximarum. Ergo vtrum ignorãt, quæ res maximæ sint, quoq; hæ modo tractandæ & tuendæ, an vim nõ habent, qua tantas res sustineant, & gerant? At & ignoratio rerum aliena naturæ deorum est, & sustinendi muneris propter imbecillitatem difficultas minime cadit in maiestatem deorum. ex quo efficitur id quod volumus, deorum prouidentia mundum administrari. Atqui necesse est, cùm sint dij, si modò sint, vt profectò sunt, animantes esse, nec solùm animantes, sed etiam rationis compotes, inter seq; quasi ciuili

conciliatione, & societate coniunctos, vnum mundum, vt communem rempub. atq; vrbem aliquam regentes. Sequitur vt eadem sit in his quæ in genere humano ratio, eadẽ veritas vtro biq; sit, eademq; lex: quæ est recti præceptio, prauiq; depulsio. Ex quo intelligitur prudentiam quoq;, & mentem à dijs ad homines peruenisse: ob eamq; caussam maiorem institutis mens, fides, virtus, concordia, cõsecratæ & publicè dedicatæ sunt. Quæ quî conuenit penes deos esse negare, cùm eorum augusta, & sancta simulacra veneremur? Quod si inest in hominum genere mens, fides, virtus, concordia: vnde hæc in terras nisi à superis defluere potuerunt? Cumq; sit in nobis consilium, ratio, prudentia, necesse est deos hæc ipsa habere maiora, nec habere solùm, sed etiam his vti in maximis & optimis rebus. Nil autem est nec maius, nec melius mũdo. necesse est ergo eum deorum consilio & prouidentia administrari. Vostremo, cùm satis docuerimus hos esse deos, quorum insignem vim, & illustrem faciem videremus, solem dico & lunam, & vagas stellas, & inerrantes, & cælum, & mundum ipsum, & earum rerũ vim, quæ inessent in omni mundo cum magno vsu, & commoditate generis humani: efficitur omnia regi diuina mente, atq; prouidentia. Ac de prima quidem parte satis dictum est. Sequitur vt doceam, omnia subiecta

iecta esse naturæ, eaq; ab ea pulcherrimè regi. Sed quid sit ipsa natura, explicandum est antè breuiter, quo facilius id quod docere volumus, intelligi possit. Namque alij naturam censent esse vim quandam sine ratione, cientem motus in corporibus necessarios: alij autem vim participem rationis atq; ordinis tamquam via progredientem, declarantemq; quid cuiusque rei caussa efficiat, quid sequatur: cuius sollertiam nulla ars, nulla manus, nemo opifex consequi possit imitando. Seminis enim vim esse tantam, vt id, quamquam sit perexiguum, tamen si inciderit in concipientem, comprehendentemq; naturam, nactumq; sit materiam qua ali augeriq; possit, ita fingat, & efficiat in suo quidque genere, partim vt tantummodo per stirpes alantur suas, partim vt moueri etiam, & sentire, & appetere possint, & ex sese similia sui gignere. Sunt autem qui omnia naturæ nomine appellent, vt Epicurus, qui ita diuidit, omnium, quæ sint, naturam esse corpora, & inane, quæq; his accidant. Sed nos, cùm dicimus natura constare, administrariq; mundum, non ita dicimus, vt glebam aut fragmentum lapidis, aut aliquid eiusmodi nulla cohærendi natura, sed vt arborem, vt animal, in quibus nulla temeritas, sed ordo apparet, & artis quædam similitudo. Quòd si ea quæ à terra stirpibus continentur, arte

naturæ viuant, & vigent: profectò ipsa terra eadem vi continetur, & arte naturæ, quippe quæ grauidata seminibus omnia pariat, & fundat ex sese, stirpes amplexa alat, & augeat, ipsaq; alatur vicissim à superis, externúq; naturis. Eiusdemq; exspirationibus aër alitur, & æther, & omnia sidera. Ita si terra natura tenetur, & viget, eadem ratio in reliquo mundo est: stirpes enim terræ inhærent: animantes autem aspiratione aëris sustinentur, ipseq; aër nobiscum videt, nobiscum audit, nobiscum sonat: nihil enim eorum sine eo fieri potest. Quinetiam mouetur nobiscum. quacumq; enim imus, quacumq; mouemur, videtur quasi locum dare, & cedere. quæq; in medium locum mundi, qui est infimus, & quæ à medio in superum, quæq; conuersione rotunda circum medium feruntur, ea continentem mundi efficiunt, vnamq; naturam. Et cùm quattuor sint genera corporum, vicissitudine eorũ mundi continuata natura est. Nam ex terra aqua, ex aqua oritur aër, ex aëre æther: deinde retrorsum vicissim ex æthere aër, ex aëre aqua, ex aqua terra infima. Sic naturis his, ex quibus omnia constant, sursum deorsum, vltro citroq; commeantibus, mundi partium coniunctio continetur, quæ aut sempiterna sit necesse est hoc eodem ornatu, quem videmus: aut certe perdiuturna, permanens ad longinquum, & immen

immensum pænè tempus: quorum vtrumuis vt sit, sequitur natura mundum administrari. Quæ enim classium nauigatio, aut quæ instructio exercitus, aut rursus (vt ea quæ natura efficit conferamus) quæ procreatio vitis, aut arboris, quæ porrò animantis figura, conformatioq; membrorum, tantam naturæ sollertiam significat, quantam ipse mundus? Aut igitur nihil est, quod sentiente natura regatur; aut mundum regi confitendum est. Etenim qui reliquas naturas omnes earumq; semina contineat, qui potest ipse non natura administrari? vt, si quis dentes, & pubertatem natura dicat exsistere, ipsum autem hominem, cui ea exsistant, non constare natura; non intelligat ea, quæ efferant aliquid ex se, perfectiorem habere naturam, quàm ea, quæ ex ijs efferantur. Omnium autem rerum, quæ natura administrantur seminator, & sator, & parens, vt ita dicam, atque educator, & altor est mundus: omniaq;, sicut membra, & partes suas, nutricatur, & continet. Quòd si mundi partes natura administrãtur, necesse est mundum ipsum natura administrari: cuius quidem administratio nihil habet in se, quod reprehendi possit: ex ijs enim naturis, quæ erant, quod effici potuit, optimum, effectum est. Doceat ergo aliquis potuisse melius. sed nemo vmquã docebit. & siquis corrigere aliquid volet, aut deteriùs faciet,

faciet, aut id quod fieri non potuit, desiderabit. Quòd si omnes mundi partes ita constitutæ sunt, vt neq; ad vsum meliores potuerint esse, neque ad speciem pulchriores: videamus vtrum ea fortuita sint, an eo statu, quo cohærere nullo modo potuerint, nisi sensu moderante, diuinaq; prouidentia. Si ergo meliora sunt ea, quæ natura, quàm illa, quæ arte perfecta sunt, nec ars efficit quidquam sine ratione: ne natura quidem rationis expers est habenda. Quî igitur cõuenit signum, aut tabulam pictam cùm aspexeris, scire adhibitam esse artem: cumq; procul cursum nauigij videris, non dubitare quin id ratione, atq; arte moueatur: aut cùm solarium vel descriptum, aut ex aqua cõtemplere, intelligere declarari horas arte, non casu: mundum autem, qui & has ipsas artes, & earum artifices, & cuncta complectatur, consilij & rationis esse expertem putare? Quòd si in Scythiam, aut in Britanniam sphæram aliquis tulerit, hanc, quam nuper familiaris noster effecit Posidonius, cuius singulæ conuersiones idem efficiũt in sole & in luna, & in quinque stellis errantibus, quod efficitur in cælo singulis diebus, & noctibus: quis in illa barbarie dubitet quin ea sphæra sit perfecta ratione? Hi autem dubitant de mundo, ex quo oriuntur, & fiunt omnia, casune ipse sit effectus, aut necessitate aliqua, an ratione, an mente diuina: & Archim

chimedem arbitrantur plus valuisse in imitandis sphæræ conuersionibus, quàm naturam in efficiendis, præsertim cùm multis partibus sint illa perfecta, quàm hæc simulata sollertiùs. Atque ille apud Attium pastor, qui nauem numquam antè vidisset, vt procul diuinum, & nouum vehiculum Argonautarum è monte conspexit, primò admirans, & perterritus hoc modo loquitur,

-tanta moles labitur
Fremebũda ex alto, ingenti sonitu, & spiritu
Præ se vndas voluit: vertices vi suscitat:
Ruit prolapsa: pelagus respergit: reflat:
Ita dum interruptum credas nimbũ voluier,
Dum quod sublime ventis expulsum rapi
Saxum, aut procellis, vel globosos turbines
Exsistere ictos vndis concursantibus,
Nisi quas terrestreis pontus strageis conciet:
Aut fortè Triton fuscina * euerrens specus,
Subter radices penitus vndanti in freto
Molem ex profundo saxeam ad cælum vomit.

Dubitat primò, quæ sit ea natura, quam cernit ignotam: idemq; iuuenibus visis, auditoq; nautico cantu,

*Sicut inciti, atq; alacres rostris perfremunt
Delphini.- Item alia multa.
-Siluani melo
Consimilẽ ad aures cantũ, & auditũ refert.

Ergo vt hic primo aspectu inanimum quiddam

sensuq; vacuum se putat cernere; pòst autem signis certioribus, quale sit id de quo dubitauerat, incipit suspicari: sic philosophi debuerũt, si forte eos primus aspectus mundi conturbauerat, posteà, cùm vidissent motus eius finitos, & æquabiles, omniaq; ratiõ ordinibus moderatã, immutabiliq; constantia; intelligere inesse aliquem non solùm habitatorem in hac cælesti ac diuina domo, sed etiam rectorem, & moderatorem, & tamquam architectum tanti operis tantiq; muneris. Nunc autem mihi videntur ne suspicari quidem, quanta sit admirabilitas cælestium rerum, atque terrestrium. *Principiò enim terra sita in media parte mundi circumfusa vndiq; est hac animabili, spirabiliq; natura, cui nomen est aër, Græcum illud quidem, sed receptum iam tamen vsu à nostris: tritum est enim pro Latino. Hunc rursus amplectitur immensus æther, qui constat ex altissimis ignibus. mutuemur hoc quoque verbum, dicaturq; tam æther Latinè, quàm dicitur, aër: etsi interpretatur Pacuuius,

Hoc, quod memoro, nostri cælum, Graij perhibent æthera.

Quasi verò non Graius hoc dicat. At Latinè loquitur. siquidem nos non quasi Græcè loquentem audiamus. Docet idem alio loco,

Graiugena de isto aperit ipsa oratio.

Sed ad maiora redeamus. Ex æthere igitur innu-

innumerabiles flammæ siderum exsistunt: quorum est princeps sol, omnia clarissima luce collustrans, multis partibus maior, atq; amplior, quàm terra vniuersa: deinde reliqua sidera magnitudinibus immensis. Atque hi tanti ignes, tamq; multi, non modò nihil nocent terris rebusq; terrestribus; sed ita prosunt, vt si mota loco sint, conflagrare terras necesse sit à tantis ardoribus moderatione, & temperatione sublata. Hic ego non mirer esse quemquam, qui sibi persuadeat corpora quædam solida, atq; individua vi, & grauitate ferri, mundumq; effici ornatissimum, & pulcherrimum ex eorũ corporum concursione fortuita? Hoc qui existimat fieri potuisse, non intelligo cur non idẽ putet, si innumerabiles vnius, & viginti formæ literarũ vel aureæ, vel quales libet aliquò conijciantur, posse ex his in terram excussis annales Ennij, vt deinceps legi possint, effici: quod nescio an ne in vno quidem versu possit tantũ valere fortuna. Illi autem quemadmodum asseuerant ex corpusculis, non colore, non qualitate aliqua, quàm ποιότητα Græci vocant, non sensu præditis, sed concurrentibus temere, atque casu, mundum esse perfectum, vel innumerabiles potius in omni puncto temporis alios nasci, alios interire? Quòd si mundum efficere potest concursus atomorum, cur porticum, cur templum, cur domum, cur vrbem nõ

potest

potest, quæ sunt minus operosa, & multo quidem faciliora? Certè ita temere de mundo effutiant, vt mihi quidem numquam hunc admirabilem cæli ornatum, qui locus est proximus, suspexisse videantur. Præclarè ergo Aristoteles, Si essent, inquit, qui sub terra semper habitauissent bonis, & illustribus domicilijs, quæ essent ornata signis, atque picturis, instructáq; rebus ijs omnibus, quibus abundant ij, qui beati putantur, nec tamen exissent vnquam supra terram, accepissent autem fama, & auditione esse quoddam numen, & vim deorum; deinde aliquo tempore patefactis terræ faucibus, ex illis abditis sedibus euadere in hæc loca, quæ nos incolimus, atque exire potuissent; cùm repente terram, & maria, cælúmque vidissent, nubium magnitudinem, ventorumq; vim cognouissent, aspexissentque solem, eiusq; tum magnitudinem pulchritudinemq;, tum etiam efficientiam cognouissent, quòd is diem efficeret, toto cælo luce diffusa; cùm autem terras nox opacasset, tum cælum totum cernerent astris distinctum, & ornatum, lunæq; luminum varietatem tum crescentis, tum senescentis, eorumq; omnium ortus, & occasus, atque in omni æternitate ratos, immutabilesq; cursus: hæc cùm viderent, profectò & esse deos, & hæc tanta opera deorũ esse arbitrarentur. Atque hæc quidem ille. Nos autem tenebras cogitemus

temus tãtas, quãtæ quondã eruptione Aetnæorum ignium finitimas regiones obscurauisse dicuntur, vt per biduum nemo hominem homo agnosceret: cùm autem tertio die sol illuxisset, tum vt renixisse sibi viderentur. *Quòd si hoc idem ex æternis tenebris contingeret, vt subitò lucem aspiceremus: quænam species cæli videretur? Sed assiduitate quotidiana, & consuetudine oculorum assuescunt animi: neque admirantur, neq; requirunt rationes earum rerum, quas semper vident: perinde quasi nouitas nos magis, quàm magnitudo rerum debeat ad exquirendas causas excitare. Quis enim hũc hominem dixerit, qui cùm tam certos cæli motus, tam ratos astrorum ordines, tamq; omnia inter se connexa, & apta viderit, neget in his vllam inesse rationem, eaq; casu fieri dicat, quæ quanto consilio gerantur, nullo consilio assequi possumus? An cùm machinatione quadam moueri aliquid videmus, vt sphæram, vt horas, vt alia permulta? non dubitamus quin illa opera sint rationis: cùm autem impetum cæli admirabili cum celeritate moueri vertíq; videamus constantissimè conficientem vicissitudines anniuersarias cum summa salute, & conseruatione rerum omnium, dubitamus quin ea non solùm ratione fiant, sed etiam excellenti quadam diuinaq; ratione? Licet enim iam remota subtilitate disputandi, oculis quodãmodo contemplari

plari pulchritudinem rerum earum quas diuina prouidentia dicimus constitutas. Ac principio terra vniuersa cernatur locata in media mundi sede, solida, & globosa, & vndique ipsa in sese nutibus suis conglobata, vestita floribus herbis, arboribus, fructibus: quorũ omnium incredibilis multitudo insatiabili varietate distinguitur. Adde huc fontium gelidas perennitates, liquores perlucidos amnium, riparum vestitus viridissimos, speluncarum concauas altitudines, saxorum asperitates, impendentium montiũ altitudines, immensitatesq; camporum. adde etiam reconditas auri, argentiq; venas, infinitamq; vim marmoris. Quæ verò & quam varia genera bestiarum, vel cicurum vel ferarum? qui volucrum lapsus, atque cantus? qui pecudum pastus? quæ vita siluestrium? Quid iam de hominum genere dicam? qui quasi cultores terræ constituti, non patiuntur eam nec immanitate belluarum efferari, nec sirpium asperitate vastari: quorumq; operibus agri, insulæ, litoraq; colluent distincta tectis, & vrbibus. quæ si, vt animis, sic oculis videre possemus, nemo cunctam intuens terram de diuina ratione dubitaret. At verò quanta maris est pulchritudo? quæ species vniuersi? quæ multitudo, & varietas insularum? quæ amœnitates orarum & litorũ? quot genera, quamq; disparia partim submersarum, partim fluitantium

tium, & innatantium belluarum, partim ad saxa natiuis testis inherentium? ipsum autem mare sic terram appetens litoribus cludit, vt vna ex duabus naturis constata videatur. Exinde mari finitimus aër die, & nocte distinguitur, isq; tum fusus, & extenuatus in sublime fertur: tum autem concretus in nubes cogitur, humoremq; colligens terram auget imbribus: tum effluens huc, & illuc ventos efficit. idem annuas frigorum, & calorum facit varietates. idemq; & volatus alitum sustinet, & spiritu ductus alit, & sustentat animantes. restat vltimus, & à domicilijs nostris altissimus, omnia cingens, & coërcens cæli complexus, qui idẽ æther vocatur, extrema ora, & determinatio mundi: in quo cum admirabilitate maxima igneæ formæ cursus ordinatos definiũt. ex quibus sol, cuius magnitudine multis partibus terra superatur, circum eam ipsam voluitur: isq; oriens, & occidens, diem noctemq; conficit: & modò accedens, tum autẽ recedens, binas in singulis annis reuersiones ab extremo contrarias facit: quarũ interuallo tum quasi tristitia quædam contrahit terram, tum vicissim lætificat, vt cum cælo hilarata videatur. Luna autem, quæ est, vt ostendũt mathematici, maior quàm dimidia pars terræ, iisdem spatijs vagatur, quibus sol: sed tum congrediens cum sole, tum degrediẽs, & eam lucẽ quam à sole accipit, mittit in

terras

terras, & varias ipsa mutationes lucis habet-atq; etiam tum subiecta, atq; opposita soli, radios eius, & lumen obscurat, tum ipsa incidens in vmbram terræ, cùm est è regione solis, interpositu interiecluq; terræ repète deficit, ùsdemq; spatijs hæ stellæ, quas vagas dicimus, circũ terram feruntur, eodemq; modo oriuntur, & occidunt. quarum motus tum incitãtur, tum retardantur, sæpe etiam insistunt. quo spectaculo nihil potest admirabilius esse, nihil pulchrius. Sequitur stellarum inerrantium maxima multitudo: quarum ita descripta distinctio est, vt ex notarum figurarũ similitudine nomina inuenerint. Atq; hoc loco me intuens, Vtar, inquit, carminibus Arati, eis quæ à te admodum adolescentulo conuersa, ita me delectant quia Latina sunt, vt multa ex ijs memoria teneam. Ergo vt oculis assiduè videmus sine vlla mutatione, aut varietate,

Cetera labuntur celeri cælestia motu,
Cum Cælóq; simul noctesq; diesq; feruntur.

quorum contemplatione nullius expleri potest animus naturæ constantiam videre cupientis.

Extremusq; adeò duplici de cardine vertex
Dicitur esse polus.

hunc circum ἄεχλοι duæ feruntur, numquam occidentes.

Ex his altera apud Graios Cynosura vocat.
Altera dicitur esse Helice.

Cuius

Cuius quidem clarissimas stellas totis noctibus cernimus,

Quas nostri septem soliti vocitare Triones.

Paribusq; stellis similiter distinctis eundem cæli verticem lustrat parua Cynosura.

Hac fidunt duce nocturna Phœnices in alto.
Sed prior illa magis stellis distincta refulget,
Et late prima confestim à nocte videtur.
Hæc verò parua est: sed nautis vsus in hac est.
Nam cursu interiore breui conuertitur orbe.

Et quo sit earum stellarum admirabilior aspectus,

Has inter, veluti rapido cũ gurgite flumen,
Toruu' Draco serpit subter, supraq; reuoluẽs
Sese, conficiensq; sinus è corpore flexos.

Eius cùm totius est præclara species, in primis suspicienda est figura capitis, atq; ardor oculorum.

Huic non vna modò caput ornans stella relucet,
Verùm tempora sunt duplici fulgore notata,
E trucibusq; oculis duo feruida lumina flagrant,
Atq; vno mentum radianti sidere lucet:
Obstipum caput, & tereti ceruice reflexum
Obtutum in cauda maioris figere dicas.

Et reliquum quidem corpus draconis totis noctibus cernimus.

Hoc caput hic paullum sese subitoq; recondit,

Ortus vbi, atque obitus parte admiscentur in vna.
Id autem caput,
Attingens defessa velut mœrentis imago
Vertitur. quam quidem Graeci
Engonasin vocitãt genibus quia nixa feratur.
Hic illo eximio posita est fulgore corona.
Atq; hæc quidem à tergo: propter caput autem
Anguitenens:
Quẽ claro perhibẽt Ophiuchũ nomine Graij.
Hic pressu duplici palmarũ continet Anguẽ,
Eius & ipse manet religatus corpore toto:
Namque virum medium serpens sub pectora cingit.
Ille tamen nitens grauiter vestigia ponit,
Atque oculos vrget pedibus pectusq; Nepai.
Septentriones autem sequitur
Arctophylax, vulgo qui dicitur esse Bootes
Quòd quasi temone adiunctam præ se quatit Arctum.
Dein quæ sequuntur. Huic Booti enim
-subter præcordia fixa videtur
Stella micans radijs Arctiurus nomine claro: cui subiecta fertur
Spicũ illustre tenens splendẽti corpore Virgo.
Atq; ita demetata signa sunt, vt in tantis descriptionibus diuina sollertia appareat.
Et natos geminos imposes sub caput Arcti,
Subiectus media est Cãcer, pedibusq; tenetur

Magnu' Leo tremulã quatiẽs è corpore flammã.
Auriga
Sub læua Geminorũ obductus parte feretur.
Aduersũ caput huic Helice truculẽta tuetur.
At Capra læuum humerum* claro obtinet.
Tum quæ sequuntur.
Verum hæc est magno atque illustri prædita signo.
Contra Hædi exiguum iaciunt mortalibus ignem.
cuius sub pedibus
Corniger est validò* cõnexus corpore Taurus.
Eius caput stellis conspersum est frequentibus.
Has Graeci stellas Hyadas vocitare fuerunt.
à pluendo: ver enim est pluere, nostri imperitè suculas, quasi à suibus essent, non ab imbribus nominatæ. Minorem autem Septẽtrionem Cepheus passu palmis tergo subsequitur.
Nãq; ipsũ ad tergũ Cynosuræ vertitur Arcti.
hunc antecedit
Obscura specie stellarum Cassiopea.
Hãc autem illustri versatur corpore propter
Andromeda, aufugiens aspectum mœsta parentis.
Huic Equus ille iubam quatiens fulgore micanti
Summum contingit caput aluo: stellaq; iungens
Vna tenet duplices communi lumine formas,

Aeternum ex astris cupiens connectere nodū.
Exin contortis Aries cum cornibus hæret.
Quem propter
Pisces, quorum alter paullū prælabitur antè,
Et magis horriferis Aquilonis tangitur alis.
Ad pedes Andromedæ Perseus describitur,
*Quem summa ab regione Aquilonis flamina pulsant.
Cuius propter læuum genu
Vergilias tenui cùm luce videbis.
Inde Fides leuiter posita, & cōnexa videtur.
Inde est ales auis lato sub tegmine cæli.
Capiti autem Equi proximat Aquarij dextra, totusq; deinceps Aquarius.
Tum gelidum valido de pectore frigus anhelans
Corpore semifero magno Capricornus ī orbe.
Quem cùm perpetuo vestiuit lumine Titan,
Brumali flectens contorquet tēpore currum.
Hinc autem aspicitur,
Vt sese emergens ostendat Scorpius altè,
Posteriore trahens flexum vi corporis arcum.
Quē propter nitens pennis conuoluitur alis.
At propter se aquila ardenti cum corpore portat.
Deinde Delphinus,
Exinde Orion obliquo corpore nitens.
Quem subsequens
Feruidus ille Canis stellarum luce refulget.

Post lepus subsequitur
Curriculum nūquam defisso corpore sedans.
At Canis ad caudam serpens prolabitur Argo.
Hāc Aries tegit, & squamoso corpore Pisces,
Fluminis illustri tangentem corpore ripas.
*Quam longè serpentem, & manantem aspicies, proceraq; vincla videbis,
Quæ retinent Pisces caudarū à parte locata.
Inde Nepæ cernes propter fulgentis acumen
Aram, quā flatu permulcet spiritus Austri.
Propter quæ Centaurus
Cedit Equi parteis pperās submergere Chelis.
Hinc dextram porgens, quadrupes quà vasta tenetur,
Tendit, & illustrē truculētus cedit ad aram.
Hic sese infernis è partibus erigit Hydra:
cuius longè corpus est fusum:
In medioq; sinu fulgens cratera relucet.
Extremam nitens plumato corpore Corui
Rostro tundit: & hic Geminis est ille sub ipsis,
Ante canē, Graio Procyon qui nomine fertur.
Hæc omnis descriptio siderum, atque hic tantus cæli ornatus, ex corporibus huc, & illuc casu, & temere concursantibus potuisse effici cuiquā sano videri potest? *Aut verò alia, quæ natura mentis, & rationis expers hæc efficere potuit, quæ nō modò vt fierent, ratione egerūt, sed intelligi qualia sint, sine summa ratione

non possunt? Nec verò hæc solùm admirabilia, sed nihil maius, quàm quòd ita stabilis est mundus, atque ita cohæret ad permanendum, vt nihil ne excogitari quidem possit aptius. Omnes enim partes eius vndique medium locum capessentes, nituntur æqualiter: maximè autem corpora inter se iuncta permanent, cùm quodam quasi vinculo circumdata colligantur: quod facit ea natura, quæ per omnem mundum omnia mente, & ratione conficiens funditur, & ad medium rapit, & conuertit extrema. Quocirca, si mundus globosus est, ob eámque causſam omnes eius partes vndique*æquales ipsæ per se, atque inter se continentur: contingere idem terræ necesse est, vt omnibus eius partibus in medium vergentibus (id autem medium infimum in sphæra est) nihil interrumpat, quo labefactari possit tanta contentio grauitatis & ponderum. Eadem q; ratione mare, cùm supra terram sit, medium tamen terræ locum expetẽs, conglobatur vndique æqualiter, neque redundat vmquam, neque effunditur. Huic autem continens aër fertur ille quidem leuitate sublimi, sed tamen in omnes partes se ipse fundit. itaque & mari continuatus, & iunctus est, & natura fertur ad cælum: cuius tenuitate, & calore temperatus, vitalem, et salutarem spiritum præbet animantibus. quem complexa summa pars cæli, quæ

quæ æther dicitur, & suum retinet ardorem tenuem, & nulla admistione cõcretum, & cum aëris extremitate cõiungitur. In æthere autem astra voluuntur: quæ se & nixu suo conglobata continent, & forma ipsa, figuraq;, suæ momenta sustentant: sunt enim rotunda: quibus formis, vt antè dixisse videor, minime noceri potest. Sunt autem stellæ natura flammeæ. quocirca terræ, maris, aquarum vaporibus aluntur ij, qui à sole ex agris tepefactis, & ex aquis excitantur: quibus altæ renouataq; stellæ, atque omnis æther refundũt eadem, & rursum trahũt* in idem, nihil vt ferè intereat, aut admodum paullum, quod astrorum ignes, & ætheris flamma consumant. Ex quo euenturum nostri putant id, de quo Panætium addubitare dicebant, vt ad extremum omnis mũdus ignesceret, cùm humore consumpto neque terra ali posset, *neque remearet aër, cuius ortus aqua omni exhausta esse non posset: ita relinqui nihil præter ignem: à*quo rursum animante, ac deo renouatio mundi fieret: atque idem ornatus oriretur. Nolo in stellarum ratione multus vobis videri, maximeq; earum quæ errare dicuntur: quarum tantus est concẽtus ex dissimillimis motibus, vt cùm summa Saturni refrigeret, media Martis incendat, his interiecta Iouis illustret, & temperet, infra q; Martem duæ soli obediant, ipse sol mundum

omnem sua luce compleat, ab eoq; luna illuminata grauiditates, & partus afferat, maturitatesq; gignendi. Quæ copulatio rerum, & quasi consentiens ad mundi incolumitatem coagmentatio naturæ, quem non commouet, hunc horum nihil vmquam reputauisse cerebro scio. Age, vt à cælestibus rebus ad terrestres veniamus: quid est in his, in quo non naturæ ratio intelligētis appareat? Principiò eorum quæ gignuntur è terra stirpes & stabilitatem dant iis quæ sustinent, & ex terra succum trahunt, quo alantur ea, quæ radicibus continentur, obducunturq; libro, aut cortice trunci, quo sint à frigoribus, & à caloribus tutiores. Iam verò vites sic clauiculis adminicula tamquam manibus apprehendunt, atque ita se erigunt vt animantes. quinetiam à caulibus brassicisq; si propè sati sunt, vt à pestiferis, & nocentibus refugere dicuntur, nec eos vlla ex parte contingere. Animantium verò quanta varietas est? quanta ad eam rem vis, vt in suo quæque genere permaneant? quarum aliæ corijs tectæ sunt, aliæ villis vestitæ, aliæ spinis hirsutæ: pluma alias, alias squama videmus obductas: alias esse cornibus armatas, alias habere effugia pernarum: Pastum autem animantibus largè, & copiosè natura eum, qui cuiq; aptus erat, comparauit. Enumerare possum ad eum pastum capessendum conficiendumq; quæ sit in figuris

guris animantium, & quàm sollers subtilisq; descriptio partium, quamq; admirabilis fabrica membrorum. Omnia enim, quæ quidem intus inclusa sunt, ita nata atq; ita locata sunt, vt nihil eorum superuacaneum sit, nihil ad vitam retinendam non necessarium. Dedit autem eadem natura belluis & sensum, & appetitum, vt altero conatum haberent ad naturales pastus capessendos, altero secernerent pestifera à salutaribus. Iā verò alia animalia gradiendo, alia serpendo ad pastum accedunt, alia volando, alia nando: cibumq; partim oris hiatu, & dētibus ipsis capessunt, partim vnguium tenacitate arripiunt, partim aduncitate rostrorum: alia sugunt, alia carpunt, alia vorant, alia mandunt. Atque etiam aliorum ea est humilitas, vt cibum terrestrem rostris facilè contingant. quæ autem altiora sunt, vt anseres, vt cygni, vt grues, vt cameli, adiuuantur proceritate collorum. Manus etiam datæ elephantis, quia propter magnitudinem corporis difficiles aditus habebant ad pastum. At, quibus bestijs erat is cibus, vt alius generis bestijs vescerētur: aut vires natura dedit, aut celeritatem. data est quibusdam etiam machinatio quædam atq; sollertia: vt in araneolis, aliæ quasi rete texunt, vt siquid inhæserit, conficiāt: aliæ autem vt ex inopinato obseruāt, & siquid incidit, arripiunt, idq; consumunt. Pinna verò

(sic enim Græcè dicitur) duabus grandibus patula conchis cum parua squilla quasi societatem coit comparandi cibi. Itaque cùm pisciculi parui in conchã hiantem innatauerint, tum admonita à squilla pinna morsu comprimit conchas. Sic dissimillimis bestiolis communiter cibus quæritur. in quo admirandum est, congressúne aliquo inter se, an iam inde ab ortu naturæ ipsæ congregatæ sint. Est etiam admiratio nonnulla in bestijs aquatilibus ijs, quæ gignuntur in terra: veluti crocodili, fluuiatilesq; testudines, quædamq; serpentes ortæ extra aquam: simul ac primùm niti possunt, aquam persequuntur. Quinetiam anatum oua gallinus sæpe supponimus: ex quibus pulli orti primùm aluntur ab ijs, vt à matribus: deinde eas relinquũt à quibus excluſi sũtq; sunt: & effugiunt, cùm primũ aquam quasi naturalem domum videre potuerunt. Tantam ingenuit animantibus conseruandi sui natura custodiam. Legi etiam scriptum, esse auem quandam quæ Platalea nominetur: eam sibi cibum quærere aduolantem ad eas aues, quæ se in mari mergẽrent: quæ cùm emersissent, piscemq; cepissent, vsque eò premere earum capita mordicus, dum illæ captum amitterent, id quod ipsa inuaderet. Eademq; hæc auis scribitur conchis se solere complere, easq;, cùm stomachi calore concoxerit, euomere, atq; ita eligere ex ijs quæ sunt esculenta. Ranæ autem marinæ dicũtur obruere sese arena solere, & moueri prope aquam: ad quas, quasi ad escam pisces cùm accesserint, confici à ranis, atque consumi. Miluo est quoddam bellum naturale cum coruo. Ergo alter alterius vbicumque nactus est oua, frangit. Illud verò ab Aristotele animaduersum, à quo pleraque quis potest non mirari? grues cùm loca calidiora petentes maria transmittunt, trianguli formam efficere: eius autem summo angulo aër ab ijs aduersus pellitur: deinde sensim ab vtroque latere tãquam remis, ita pennis cursus auium leuatur. Basis autem trianguli, quam grues efficiunt, ea tamquam à puppi ventis adiuuatur, hæq; in tergo præuolantium colla, & capita reponunt. quod quia ipse dux facere non potest, quia non habet vbi nitatur, reuolat vt ipse quoq; quiescat. in eius locum* succedit ex ijs, quæ acquieuerunt: eáque vicissitudo in omni cursu conseruatur. Multa eiusmodi proferre possum: sed genus ipsum videtis. Iam verò illa etiam notiora, quanto se opere custodiant bestiæ, vt in pastu circumspectent: vt in cubilibus delitescant. atque illa mirabilia. Quod ea quæ nuper, id est paucis antè sæculis medicorum ingenijs reperta sunt? *Vomitione canes purgantur, aluo se ibes Aegyptiæ curant. Auditum est pãtheras quæ in barbaria venenata cæno caperentur,

remed

remedium quoddam habere, quo cùm essent vsæ, non morerentur: capras autẽ in Creta feras cùm essent confixæ venenatis sagittis, herbam quærere quæ dictamus vocaretur: quam cùm gustauissent, sagittas excidere dicunt è corpore. ceruæq; paullo antè partum perpurgant se quadam herbula, quæ seselis dicitur. Iam illa cernimus, vt contra metum, & vim suis se armis quæq; defendat. cornibus tauri, apri dentibus, morsu leones, aliæ fuga se, aliæ occultatione tutantur: atramenti effusione sepiæ, torpore torpedines: multæ etiam insectanteis odoris intolerabili fœditate depellunt. Vt verò perpetuus mundi esset ornatus, magna adhibita cura est à prouidẽtia deorum, vt semper essent & bestiarum genera, & arborum, omniumq; rerum, quæ altè aut radicibus à terra, aut stirpibus continerentur. Quæ quidem omnia eam vim seminis habẽt in se, vt ex vno plura generentur; idq; semen ineluſum est in intima parte earum baccarũ quæ ex quaque stirpe funduntur: ijsdemq; seminibus & homines affatim vescuntur, & terræ eiusdem generis stirpium renouatione complentur. Quid loquar quanta ratio in bestijs ad perpetuam conseruationem earum generis appareat? Nam primùm aliæ mares, aliæ feminæ sunt: quod perpetuitatis causſa machinata natura est. Deinde partes corporis & ad procreandum, &

& ad concipiendum aptissimæ & in mari & in femina commiscendorum corporum miræ libidines. Cùm autem in locis semen insedit, rapit omnem ferè cibum ad sese, eóque septum fingit animal: quod cùm ex vtero elapsum excidit, in ijs animantibus, quæ lacte aluntur, omnis ferè cibus matrum lacteſcere incipit: eáque quæ paullo antè nata sunt, sine magistro, duce natura mammas appetunt, earumq; vbertate saturantur. Atque vt intelligamus nihil horum esse fortuitum, & hæc omnia esse prouidæ sollertiq; naturæ: quæ multiplices fetus procreant, vt sues, vt canes, his mammarum data est multitudo: quas easdem paucas habent eæ bestiæ, quæ pauca gignunt. Quid dicam quantus amor bestiarum sit in educandis custodiendisque ijs, quæ procreauerint, vsque ad eum finem, dum possint se ipsa defendere? Et si pisces, vt aiunt, oua cùm genuerunt, relinquunt: facile enim illa aqua & sustinentur, & fetum fundunt. Testudines autem, & crocodilos dicunt, cùm in terra partum ediderint, obruere oua, deinde discedere. ita & nascuntur, & educantur ipsa per sese. Iam gallinæ, auesq; reliquæ & quietum requirunt ad pariendum locum, & cubilia sibi nidosq; construunt, eosq; quàm possunt molliſsimè substernunt, vt quàm facillimè oua seruentur: ex quibus pullos cùm excluserint, ita

tuent

tuentur, vt & pennis foueant, ne frigore lædantur: &, si est calor, à sole se opponant. Cùm autẽ pulli pinnulis vti possunt, tum volatus eorum matres prosequuntur, reliqua cura liberantur. Accedit etiam ad nonnullorum animantium, & earum rerum, quas terra gignit, conseruationem, & salutem, hominum etiam sollertia, & diligentia. Nam multæ & pecudes, & stirpes sunt, quæ sine procuratione hominum saluæ esse non possunt. Magnæ etiam opportunitates ad cultum hominũ, atq; abundantiam aliæ alijs in locis reperiuntur. Aegyptum Nilus irrigat, & cùm tota æstate obrutam, opplet. amq; tenuerit, tũ recedit, mollitosq; & oblimatos agros ad serendũ relinquit. Mesopotamiam fertilem efficit Euphrates, in quam quotãnos quasi noues agros inuehit. Indus verò, qui est omnium fluminum maximus, non aquâ solùm agros lætificat, & mitigat, sed eos etiam conserit. magnam enim vim seminum secum frumenti, & similium dicitur deportare. Multaq; alia in alijs locis cõmemorabilia proferre possum, multos fertiles agros alios aliorum fœcundos. Sed illa quanta benignitas naturæ, quòd tam multa ad vescendum, tam varia, tamq; iucunda gignit? neque ea vno tempore anni: vt semper & nouitate delectemur, & copia. Quàm tempestiuos autem dedit, quàm salutares non modò hominum, sed etiam pecud

pecudum generi, ijs deniq; omnibus, quæ oriuntur è terra, ventos Etesias? quorum flatu nimij temperantur calores. ab ijsdem etiam maritimi cursus celeres, & certi diriguntur. Multa prætereunda sunt: & tamen multa dicuntur: enumerari enim non possunt fluminum opportunitates, æstus maritimi, multum accedentes & recedentes, montes vestiti atque siluestres, salinæ ab ora maritima remotissimæ, medicamentorum salutarium plenissimæ terræ, artes deniq; innumerabiles ad victum, & ad vitam necessariæ. Iam diei noctisq; vicissitudo conseruat animantes, tribuens aliud agendi tempus, aliud quiescendi. Sic vndique omni ratione concluditur, mente consilioq; diuino omnia in hoc mũdo ad salutem omnium conseruationemq; admirabiliter administrari. Sin quæret quispiam, cuiusnam caussa tantarum rerum molitio facta sit, arborúmne & herbarum, quæ, quamquam sine sensu sunt, tamen à natura sustinentur? At id quidem absurdum est. An bestiarum? nihilo probabilius, deos mutarum, & nihil intelligentium caussa tantum laborasse. Quorum igitur caussa quis dixerit effectum esse mundum? Eorum scilicet animantium, quæ ratione vtuntur. Hi sunt dij, & homines, quibus profectò nihil est melius. Ratio est enim, quæ præstat omnibus. Itaq; fit credibile, deorum & hominum caussa factum

factum esse mundum, quæq; in eo sint omnia. Facilius q; intelligetur à dijs immortalibus hominibus esse prouisum, si erit tota hominis fabricatio perspecta, omniq; humanæ naturæ figura, atque perspectio. Nam cùm tribus rebus animantium vita teneatur, cibo, potione, spiritu: ad hæc omnia percipienda os est aptissimum, quod adiunctu naribus spiritu augetur. Dentibus autem in ore constructis manditur, atq; ab his extenuatur & * molitur cibus. Eorum aduersi acuti morsu diuidunt escas; intimi autẽ conficiũt, qui genuini vocantur: quæ confectio etiam à lingua adiuuari videtur. Linguam autem ad radices eius hærẽs excipit stomachus, quò primùm illabuntur ea, quæ accepta sunt ore. is vtraq; ex parte tonsillas attingens, palato extremo atque intimo terminatur, atque is agitatione et motibus linguæ cùm depulsum, & quasi detrusum cibum accepit, depellit. Ipsius autẽ partes eæ, quæ sunt infra id quod deuoratur, dilatantur: quæ autem supra, contrahuntur. Sed cùm aspera arteria (sic enim à medicis appellatur) ostium habeat adiunctum linguæ radicibus, paullo supra, quàm ad linguam stomachus annectitur: eáque ad pulmones vsq; pertineat, excipiatq; animam eam, quæ ducta sit spiritu, eandemq; à pulmonibus respiret, & reddat: tegitur quasi quodam operculo, quod ob eam caussam datum est, ne si quid in eam cibi forte incidisset, spiritus impediretur. Sed cùm alui natura subiecta stomacho, cibi, & potionis sit receptaculum, pulmones autem, & cor extrinsecus spiritum adducant: in aluo multa sunt mirabiliter effecta, quæ constant fere è neruis. Est autem multiplex, & tortuosa, arcetq;, & continet, siue illud aridum est, siue humidum quod recipit; vt id mutari & concoqui facile possit: eaq; tum astringitur, tum relaxatur, atque omne quod accepit, cogit, & confundit: vt facile, & calore, quem multum habet, & terendo cibo, & præterea spiritu omnia cocta, atque confecta in reliquum corpus diuidantur. In pulmonibus autem inest raritas quædam, & assimilis spongijs mollitudo ad hauriendum spiritum aptissima: * quitum se contrahunt aspirantes, tum spiritu dilatant, vt frequenter ducatur cibus animalis, quo maximè aluntur animantes. Ex intestinis autem, & aluo secretus à reliquo cibo succus is quo alimur, permanat ad iecur per quasdam à medio intestino vsque ad portas iecoris (sic enim appellant) ductas & directas vias, quæ pertinent ad iecur, eiq; adhærent. Atque inde aliæ pertinentes sunt, per quas cadit cibus à iecore delapsus. Ab eo cibo cùm est secreta bilis, ijq; humores, qui ex renibus profunduntur, reliqua se in sanguinem vertunt, ad easdemq; portas iecoris confluunt, ad quas

omnes

omnes eius viæ pertinent: per quas lapsus cibus in hoc ipso loco in eam venam, quæ cauæ appellatur, confunditur, perq; eam ad cor confectus iam, coactusq; perlabitur. A corde autem in totũ corpus distribuitur, per venas admodum multas, in omnes partes corporis pertinentes. Quemadmodum autẽ reliquiæ cibi depellantur, tum astringentibus se intestinis, tum relaxantibus, haud sanè difficile dictu est: sed tamen prætereundum est, nequid habeat iniucũditatis oratio. Illa potius explicetur incredibilis fabrica naturæ. Nã quæ spiritu in pulmones anima ducitur, ea calescit primùm ab ipso spiritu, deinde coagitatione pulmonum: ex eaq; pars redditur respirando, pars concipitur cordis parte quadam, quam ventriculum cordis appellant. cui similis alter adiunctus est, in quem sanguis à iecore per venam illam cauam influit. eoq; modo ex his partibus, & sanguis per venas in omne corpus diffunditur, & spiritus per arterias. Vtræque autem crebræ multæq; toto corpore intextæ vim quandam incredibilem artificiosi operis diuiniq; testantur. Quid dicam de ossibus? quæ subiecta corpori mirabiles commissuras habent, & ad stabilitatem aptas, & ad artus finiendos accommodatas, & ad motum, & ad omnem corporis actionem. Huc adde neruos, à quibus artus continentur: eorúmque implicationem toto corp

corpore pertinentem: qui sicut venæ, & arteriæ à corde tractæ, & profectæ in corpus omne ducuntur. Ad hanc prouidentiam naturæ tam diligentem, támque sollertem, adiungi multa possunt, è quibus intelligatur quantæ res hominibus à deo, quamq; eximiæ tributæ sint: qui primùm eos humo excitatos celsos, & erectos constituit, vt deorum cognitionem, cælum intuentes, capere possent. Sunt enim è terra homines non, vt incolæ, atque habitatores, sed quasi spectatores superarum rerum, atque cælestium: quarum spectaculum ad nullum aliud genus animantium pertinet. Sensus autem interpretes, ac nuntij rerum in capite tamquam in arce mirifice ad vsus necessarios & facti, & collocati sunt. Nam oculi, tamquam speculatores, altissimum locum obtinent: ex quo plurima conspicientes, fungantur suo munere. Et aures cum sonum recipere debeant, qui natura in sublime fertur, rectè in altis corporum partibus collocatæ sunt. Itemq; nares, eo quòd omnis odor ad superiora fertur, rectè sursum sunt: & quòd cibi, & potionis iudicium magnum earum est, non sine causſa vicinitatem oris secutæ sunt. Iam gustatus, qui sentire eorum, quibus vescimur, genera debet, habitat in ea parte oris, qua esculentis & poculentis iter natura patefecit. Tactus autem toto corpore æquabiliter fusus est, vt omnes

ictus, omnesq; nimios, & frigoris, & caloris appulsus sentire possimus. Atque, vt in aedificijs architecti auertunt ab oculis, & naribus dominorum ea, quae profluentia necessariò tetri essent aliquid habitura: sic natura res similes procul amandauit à sensibus. Quis verò opifex praeter naturam, qua nihil potest esse callidius, tãtam sollertiam persequi potuisset in sensibus? quae primùm oculos membranis tenuissimis vestiuit & sepsit: quas primùm perlucidas fecit, vt per eas cerni posset: firmas autẽ, vt cõtinerẽtur. Sed lubricos oculos fecit, & mobiles, vt & declinarent, si quid noceret; & aspectum quò vellent, facile cõuerterent: aciesq; ipsa qua cernimus, quae pupilla vocatur, ita parua est, vt ea, quae nocere possint, facile vitet. palpebraeq; quae sunt tegumenta oculorum mollissimae tactu ne laederent aciem, aptissime factae & ad claudendas pupillas, nequid incideret, & ad aperiendas: idq; prouidit vt identidẽ fieri posset cum maxima celeritate. Munitaeq; sunt palpebrae tamquam vallo pilorum: quibus & apertis oculis, si quid incideret repelleretur, & somno conniuentibus, cùm oculis ad cernendum non egeremus, vt qui tamquam inuoluti quiescerent. Latent praeterea vtiliter, & excelsis vndique partibus sepiuntur. Primùm enim superiora superciliys obducta sudorem à capite & fronte defluentem repellunt. Genae deinde

deinde ab inferiore parte tutantur subiectae, leuiterq; èminentes. Nasus ita locatus est, vt quasi murus oculis interiectus esse videatur. Auditus autem semper patet. eius enim sensu etiam dormientes egemus. à quo cùm sonus est acceptus, etiam è somno excitamur. Flexuosum iter habet nequid intrare possit, si simplex, & directum pateret. Prouisum etiam, vt si qua minima bestiola conaretur irrumpere, in sordibus aurium tamquam in visco inhaereret. Extra autem eminent, quae appellantur aures, & tegendi caussa factae tutandiq; sensus, & ne adiectae voces laberentur, atque errarent, priusquam sensus ab his pulsus esset. Sed duros, & quasi corneolos habent introitus, multiq; cum flexibus, quòd his naturis relatus amplificatur sonus. Quocirca & in fidibus testudine resonatur, aut cornu: & ex tortuosis locis, & inclusis referuntur ampliores. Similiter nares, quae semper propter necessarias vtilitates patent, contractiores habent introitus, nequid in eas, quod noceat, possit peruadere: humoremq; semper habent ad pulueren multaq; alia repellenda non inutilem. Gustatus praeclarè septus est: ore enim continetur, & ad vsum apte, & ad incolumitatis custodiam. Omniq; sensus hominum multo antecellit sensibus bestiarum. Primùm enim oculi in ijs artibus, quarum iudicium est oculorum

lorum; in pictis, fictis, cælatisq; formis, in corporum etiam motione, atq; gestu multa cernūs subtilius: colorum etiam, & figurarum tum venustatem, atque ordinem, &, vt ita dicam, decentiam oculi indicant: atq; etiam alia maiora. nam & virtutes, & vitia cognoscunt: iratum, propitium, lætantem, dolentem, fortem, ignauum, audacem, timidumq; cognoscunt. Aurium item est admirabile quoddam artificiosumq; iudicium, quo iudicatur & in vocis, & in tibiarum neruorumq; cantibus varietas sonorum, interualla, distinctio, & vocis genera permulta, canorum, fuscum: læue, asperum: graue, acutum: flexibile, durū: quæ hominum solùm auribus iudicantur. Nariumq; item & gustandi, * & apertè tangendi magna iudicia sunt: ad quos sensus capiendos, & perfruendos plures etiam, quàm vellem, artes repertæ sunt. Perspicuum est enim quò compositiones vnguentorum, quò ciborum conditiones, quò corporum lenocinia processerint. Iam verò animum ipsum mentemq; hominis, rationem, consilium, prudentiam, qui nō diuina cura perfecta esse perspicit, is ipsis rebus mihi videtur carere. De quo dum disputarem, tuam mihi dari velim Cottæ eloquentiam. Quo enim tu illa modo diceres? quanta primùm intelligentia, deinde consequentium rerum cum primis coniunctio, & comprehensio esset in nobis: ex quo vide

videlicet quid ex quibusque rebus efficiatur, idq; ratione, concludimus, singulasq; res definimus, circunscripteq; complectimur: ex quo scientia intelligitur, quam vim habeat, qualis sit: qua ne in deo quidem est res vlla præstantior. Quanta verò illa sunt, quæ vos Academici infirmatis, & tollitis, quòd & sensibus, & animo ea, quæ extra sunt, percipimus atq; comprehendimus. Ex quibus collatis inter se, & comparatis artes quoq; efficimus, partim ad vsum vitæ, partim ad oblectationem necessarias. Iam verò domina rerum (vt vos soletis dicere) eloquendi vis quàm est præclara, quamq; diuina! quæ primùm efficit vt ea quæ ignoramus discere, & ea quæ scimus, alios docere possimus. Deinde hac cohortamur, hac persuademus, hac consolamur afflictos, hac deducimus perterritos à timore, hac gestientes comprimimus, hac cupiditates iracundiasq; reuellimus: hæc nos iuris, legum, vrbium societate deuinxit, hæc à vita immani, & fera segregauit. Ad vsum autem orationis incredibile est, nisi diligenter attenderis, quanta opera machinata natura sit. Primùm enim à pulmonibus arteria vsq; ad os intimum pertinet: per quam vox * principium à mente ducēs, percipitur, & funditur. Deinde in ore sita lingua est finita dētibus. ea vocē immoderatè profusam fingit, & terminat: quæ sonos vocis distinctos, &

pressos efficit, cùm & ad dentes, & ad alias partes pellit oris. Itaque plectri similem linguam nostri solent dicere, chordarum dentes, nares cornibus ŭs, qui ad neruos resonant in cantibus. Quàm verò aptas, quamq; multarum artium ministras manus natura homini dedit? Digitorum enim contractio facilis, faciliusq; porrectio, propter molles commissuras, & artus nullo in motu laborat. Itaque ad pingendum, ad fingendum, ad sculpendum, ad neruorum eliciendos sonos, ac tibiarum, apta manus est admotione digitorum. Atque hæc oblectationis, illa necessitatis, cultus dico agrorum exstructionesq; tectorum, tegumenta corporum, vel texta vel suta, omnemq; fabricam æris, & ferri. Ex quo intelligitur, adinuenta animo, percepta sensibus, adhibitis opificum manibus omnia nos consecutos, vt tecti, vt vestiti, vt salui esse possemus: vrbes, muros, domicilia, delubra haberemus. Iam verò operibus hominum, id est manibus, cibi etiam varietas inuenitur, & copia. Nam & agri multa ferunt manu quæsita, quæ vel statim consumantur, vel mãdentur condita vetustati. & præterea vescimur bestijs & terrenis, & aquatilibus, & volatilibus, partim capiendo, partim alendo. Efficimus etiam domitu nostro quadrupedum vectiones, quorum celeritas, atq; vis nobis ipsis affert vim, & celeritatem. Nos onera

onera quibusdam bestijs, nos iuga imponimus: nos elephantorum acutissimis sensibus, nos sagacitate canum ad vtilitatem nostram abutimur: nos è terra cauernis ferrum elicimus, rem ad colendos agros necessariam: nos æris, argenti, auri venas penitus abditas inuenimus, & ad vsum aptas, & ad ornatum decoras. Arborum autem consectione, omniq; materia, & culta, & siluestri, partim ad calefaciendum corpus igni adhibita, & ad mitigandum cibum vtimur, partim ad ædificandum, vt tectis septi frigora caloresq; pellamus. Magnos verò vsus affert ad nauigia facienda, quorum cursibus suppeditantur omnes vndique ad vitæ copiæ: quasq; res violentissimas natura genuit, earum moderationem nos soli habemus, maris atque ventorum, propter nauticarum rerum scientiam: plurimisq; maritimis rebus fruimur, atque vtimur. Terrenorum item commodorum omnis est in homine dominatus. Nos campis, nos montibus fruimur: nostri sunt amnes, nostri lacus: nos fruges serimus, nos arbores: nos aquarum inductionibus terris fecunditatem damus, nos flumina arcemus, dirigimus, auertimus: nostris denique manibus in rerum natura quasi alteram naturam efficere conamur. Quid verò? hominum ratio non in cælum vsque penetrauit? Soli enim ex animantibus

nos astrorũ ortus, obitus, cursusq; cognouimus. Ab hominũ genere finitus est dies, mensis, annus: defectiones solis & lunæ cognitæ, prædictæq; in omne posterum tempus, quæ, quantæ, quando futuræ sint. Quæ cõtuens animus accipit ab his cognitionẽ deorũ, ex qua oritur pietas: cui cõiuncta iustitia est, reliquæq; virtutes: ex quibus vita beata exsistit par & similis deorum, nulla re, nisi immortalitate, quæ nihil ad bene viuendũ pertinet, cedens cælestibus. Quibus rebus expositis, satis docuisse videor, hominis natura quãto omnes anteiret animãtes. Ex quo debet intelligi, nec figuram situmq; membrorũ, nec ingeny mentisq; vim talem effici potuisse fortuna. Restat vt dicam, atq; aliquando perorem, omnia quæ sint in hoc mundo, quibus vtantur homines, hominum caussa facta esse, & parata. *Principio ipse mundus deorum hominumq; caussa factus est: quæq; in eo sunt omnia, ea parata ad fructum hominum & inuenta sunt. Est enim mundus quasi communis deorum, atq; hominũ domus, aut vrbs vtrorumq;. Soli enim ratione vtentes iure, ac lege viuunt. Vt igitur Athenas, & Lacedæmonem Athenienſium Lacedæmoniorumq; caussa putandum est conditas esse: omniaq; quæ sint in his vrbibus eorum populorum recte esse dicuntur: sic quæcumq; sunt in omni mundo, deorum, atq;

atq; hominum putanda sunt. Iam verò circuitus solis, & lunæ, reliquorumq; siderum, quamquam etiam ad mundi cohærentiam pertinent, tamen, & spectaculum hominibus præbent: nulla est enim insatiabilior species, nulla pulchrior, & ad rationẽ sollertiam q; præstantior. Eorum enim cursus demetiti, maturitates temporũ, & varietates, mutationesq; cognouimus. quæ si hominibus solis nota sunt, hominũ caussa facta esse iudicanda sunt. Terra verò sata frugibus, & vario leguminũ genere, quæ maxima largitate fundit, ea feraĩmne an hominum caussa gignere videtur? Quid de vitibus oliuetisq; dicam? quarum vberrimi lætissimiq; fructus nihil omnino ab bestias pertinent. Neque enim serendi, neque colendi, nec tempestiuè demetendi, percipiendiq; fructus, neque condendi, ac reponendi vlla pecudum scientia est: earumque omnium rerum hominum est, & vsus, & cura. Vt fides igitur & tibias eorum caussa factas dicendum est, qui illis vti possunt: sic ea quæ diximus, solis ijs confitendum est esse parata, qui vtuntur. Nec, si quæ bestiæ furantur aliquid ex his aut rapiunt, illarum quoque caussa ea nata esse dicemus. Neque enim homines murium aut formicarum caussa frumentum condunt, sed coniugum, & liberorum, & familiarum suarum. Itaq; bestiæ furtim, vt dixi, fruuntur, domini palam & liberè.

Homi

Hominum igitur causſa eas rerum copias comparatas fatendum eſt. Niſi fortè tanta vbertas & varietas pomorum, eorumq; iucundus non guſtatus ſolùm, ſed odoratus etiam, & aſpectus, dubitationem affert quin hominibus ſolis ea natura donauerit. tantumq; abeſt vt hæc beſtiarum etiam cauſſa parata ſint, vt ipſas beſtias hominum gratia generatas eſſe videamus. Quid enim oues aliud afferunt, niſi vt earum villis confectis, atque contextis homines veſtiantur? quæ quidem neque ali, neq; ſuſtentari, neq; vllum fructum edere ex ſe ſine cultu hominum, & curatione potuiſſent. Canũ verò tam fida cuſtodia, tamq; amans dominorum adulatio, tantumq; odium in externos, & tam incredibilis ad inueſtigandum ſagacitas narium, tanta alacritas in venando quid ſignificat aliud, niſi ſe ad hominum commoditates eſſe generatos? Quid de bobus loquar? quorum ipſa terga declarant non eſſe ſe ad onus accipiendum figurata: ceruices autem natæ ad iugum, tum vires humerorum, & latitudines ad aratra extrahenda: quibus cùm terræ ſubigerentur fiſſione glebarum, ab illo aureo genere, vt poëtæ loquuntur, vis numquam vlla afferebatur.

Ferrea tum verò proles exorta repente eſt,
Auſaq; funeſtum prima eſt fabricarier enſem,
Et guſtare manu victum domitumq; iuuencum.

Tanta putabatur vtilitas percipi ex bobus, vt eorum viſceribus veſci ſcelus haberetur. Longum eſt mulorum perſequi vtilitates & aſinorum, quæ certè ad hominum vſum paratæ ſunt. Sus verò quid habet præter eſcam? *cui quidẽ ne putreſceret, animam ipſam pro ſale datam dicit eſſe Chryſippus. Qua pecude, quòd erat ad veſcẽdum hominibus apta, nihil genuit natura fecundius. Quid multitudinem ſuauitatemq; piſcium dicam? quid auium? ex quibus tanta percipitur voluptas, vt interdum Pronœa noſtra Epicurea fuiſſe videatur. Atque hæ ne caperentur quidem, niſi hominum ratione atque ſolertia: quamquam aues quaſdam & altes, & oſcines, vt noſtri augures appellant, rerum augurandarũ cauſſa eſſe natas putemus. Iam verò *immanes, & feras belluas nãciſcimur venando, vt & veſcamur ijs, & exerceamur in venando ad ſimilitudinem bellicæ diſciplinæ, & vtamur domitis, & condoceſactis, vt elephantis, multaq; ex earum corporibus remedia, morbis, & vulneribus eligamus, ſicut ex quibuſdam ſtirpibus, & herbis, quarum vtilitates longinqui temporis vſu, & periclitatione percipimus. Totã licet animis tamquam oculis luſtrare terram, mariaq; omnia cernere, & ſpatia frugifera atq; immenſa camporum.

porum, vestitusq; densissimos montium, pecudum pastus, tum incredibili cursus maritimos celeritate. Nec verò tantùm supra terram: sed etiam in intimis eius tenebris plurimarum rerum latet vtilitas, quæ ad vsum hominũ ortæ, ab hominibus solis inuenitur. Illud verò quod vterq; vestrum fortasse arripiet ad reprehendendũ: Cotta, quia Carneades libenter in Stoicos inuehebatur: Velleius, quia nihil tam irridet Epicurus, quàm prædictionẽ rerum futurarum: mihi videtur vel maximè confirmare deorum prouidentia consuli rebus humanis. Est enim profectò diuinatio, quæ multis locis, rebus, temporibus apparet, tum in priuatis, tum maximè in publicis. Multa cernunt haruspices: multa augures prouident: multa oraculis declarantur, multa vaticinationibus, multa somnijs, multa portentis: quibus cognitis, * multa sæpe res hominum sententia, atque vtilitate partæ, multa etiam pericula depulsa sunt. Hæc igitur siue vis, siue ars, siue natura, ad scientiam rerum futurarum homini profectò est, nec ab alio alicui, quàm à dijs immortalibus data. Quæ si singula vos fortè non mouent, vniuersa certè inter se connexa, atque cõiuncta mouere debebunt. Nec verò vniuerso generi hominum solùm, sed etiam singulis à dijs immortalibus consuli, & prouideri solet: licet enim contrahere vniuersitatem generis humani,

humani, eamq; gradatim ad pauciores, postremò deducere ad singulos. Nam si omnibus hominibus, qui vbique sunt, quacumq; in ora, ac parte terrarum ab huiusce terræ, quam nos incolimus continuatione distantium, deos consulere censemus ob eas causas, quas antè diximus: his quoq; hominibus consulunt, qui has nobiscum terras ab Oriente ad occidentem colunt. Sin autem his consulunt, qui quasi magnam quandam insulam incolunt, quam nos orbem terræ vocamus: etiam illis consulunt qui partes eius insulæ tenent, Europam, Asiam, Africam. Ergo & earum partes diligunt, vt Romam, Athenas, Spartam, Rhodum: & earum vrbium separatim ab vniuersis singulos diligunt, vt Pyrrhi bello Curium, Fabricium, Coruncanium: primo Punico Calatinum, Duillium, Metellum, Lutatium: secundo Maximum, Marcellum, Africanum: post hos Paullum, Gracchum, Catonem, patrumq; memoria Scipionẽ, Lælium: multosq; præterea, & nostra ciuitas, & Græcia tulit singulares viros, quorum neminem nisi iuuante deo talem fuisse credendum est. Quæ ratio poëtas, maximeq; Homerum impulit, vt principibus heroũ Vlyxi, Diomedi, Agamemnoni, Achilli, certos deos discriminum, & periculorum comites adiungeret. Præterea ipsorum deorum sæpe præsentiæ, quales suprà commemorauí, declarant ab his

& ci

& ciuitatibus, & singulis hominibus consuli. Quod quidem intelligitur etiam significationibus rerum futurarum, quæ tum dormientibus, tum vigilantibus portenduntur. Multa præterea ostentis, multa extis admonemur, multisq; rebus alijs, quas diuturnus vsus ita notauit, vt artem diuinationis efficeret. Nemo igitur vir magnus sine aliquo afflatu diuino vmquam fuit. Nec verò ita refellendum est, vt si segetibus aut vinetis cuiuspiam tempestas nocuerit, aut si quid è vitæ commodis casus abstulerit, eum cui quidhorum acciderit, aut inuisum deo, aut neglectũ à deo iudicemus. Magna dij curant, parua negligunt. magnis autem viris prosperè eueniunt semper omnes res: siquidem satis à nostris, & à principe philosophorum Socrate dictũ est de vbertatibus virtutis, & copijs. Hæc mihi ferè in mentem veniebant quæ dicenda putarem de natura deorum. Tu autem Cotta, si me audias, eandem causſam agas, teq; & principem ciuem putes, & pontificem esse cogites. & quoniam in vtramq; partem vobis licet disputare, hanc potius sumas, eámque facultatem dissereẽdi, quam tibi à rhetoricis exercitationibus acceptam amplificauit Academia, huc potius conferas. Mala enim, & impia consuetudo est contra deos disputandi, siue ex animo id fit, siue simulatè.

M. TVL-

M. T. CICERONIS DE NATVRA DEORVM LIBER III.

*

QVAE cùm Balbus dixisset, tum arridens Cotta, Serò, inquit, mihi Balbe, præcipis quid defendam. Ego enim, te disputante, quid contradicerem mecum ipse meditabar, neque tam refellendi tui causſa, quàm ea quæ minus intelligebam requirendi. Cùm autem suo cuique iudicio sit vtendum, difficile factu est me id sentire quod tu velis. Hic Velleius, Nescis, inquit, quanta cum exspectatione, Cotta, sim te auditurus. Iucundus enim Balbo nostro sermo tuus contra Epicurum fuit. Præbebo igitur me tibi vicissim attentum contra Stoicos auditorẽ: spero enim te, vt soles, bene paratum venire. Tum Cotta, * Si mehercule, inquit, Velleï: neque enim mihi par ratio cum Lucio est, ac tecum fuit. Quî tandem? inquit ille, Quia mihi videtur Epicurus vester de dijs immortalibus non magnopere pugnare, tantummodo negare deos esse non audet, ne quid inuidiæ subeat aut criminis. Cùm verò deos nihil agere, nihil curare confirmat, membrisq; humanis esse præditos, sed eorum membrorum vsum nullum habere: ludere videtur, satisq; putare si dixerit esse quandam beatam naturam & æternam. A

Balbo autem animaduertisti, credo, quàm multa dicta sint, quamq; etiam si minus vera, tamen apta inter se, & cohærentia. Itaq; cogito, vt dixi, non tam refellere eius orationem, quàm ea, quæ minus intellexi, requirere. Quare, Balbe, tibi permitto, respõderéne mihi malis de singulis rebus quærenti ex te ea, quæ parum accepi, an vniuersam audire orationem meam. Tum Balbus, Ego verò, siquid explanari tibi voles, respondere malo: sin me interrogare, nõ tam intelligendi caussa, quàm refellendi, vtrum voles faciam: vel ad singula quæ requires statim respondebo, vel cũ peroraris, ad omnia. Tum Cotta, Optime, inquit: quamobrem sic agamus, vt nos ipsa ducit oratio. Sed antequam de re, pauca de me. Non enim mediocriter moueor auctoritate tua, Balbe, orationeq; ea, quæ me in perorando cohortabatur, vt memnissem me & Cottam esse, & pontificem. Quod eo, credo, valebat, vt opiniones, quas à maioribus accepimus de dijs immortalibus, sacra, cæremonias, religionesq; defenderem. Ego verò eas defendam, semperq; defendi: nec me ex ea opinione quam à maioribus accepi de cultu deorum immortalium, vllius vmquam oratio aut docti aut indocti mouebit. Sed cùm de religione agitur, T. Coruncanium, P. Scipionem, P. Scæuolam pontifices maximos, non Zenonem aut Cleãthem, aut Chrysippum sequor, habeoq; C. Lælii

Lælii augurem, eundem sapientem, quem potius audiam de religione dicentem in illa oratione nobili, quàm quemquam principem Stoicorum. Cumq; omnis pop. Rom. religio in sacra & in auspicia diuisa sit, tertium adiũctum sit, si quid prædictionis caussa ex portentis & monstris Sibyllæ interpretes, haruspicésve monuerunt: harum ego religionum nullam vmquam contemnendam putaui: mihiq; ita persuasi Romulum auspicijs, Numam sacris constituto, fundamenta iecisse nostræ ciuitatis: quæ numquam profectò sine summa placatione deorum immortaliũ tanta esse potuisset. Habes, Balbe, quid Cotta, quid pontifex sentiat. Fac nũc ergo intelligam, tu quid sentias: à te enim philosophe rationem accipere debeo religionis: maioribus autẽ nostris, etiã nulla ratione reddita, credere. Tum Balbus, Quam igitur à me rationem, inquit, Cotta desideras? Et ille, Quadripertita, inquit, fuit diuisio tua. Primùm vt velles docere deos esse: deinde quales essent: tũ ab his mundum regi: postremo consulere eos rebus humanis. Hæc, si rectè memini, partitio fuit. Rectissimè, inquit Balbus: sed exspecto quid requiras. Tum Cotta, Primùm quidque videamus, inquit: etsi id est primùm quod inter omnes nisi admodum impios, conuenit, mihi quidem ex animo exuri non potest esse deos: id tamen quod mihi persuasum est, esse deos, auctoritate

maiorum: cur ita sit nihil tu me doces. Quid est, inquit Balbus, si tibi persuasum est, cur à me velis discere? Tum Cotta. Quia sic aggredior, inquit, ad hanc disputationem, quasi nihil vmquam audierim de dijs immortalibus, nihil cogitauerim: rudem me discipulum, & integrum accipe, & ea quæ requiro doce. Dic igitur quid requiras. Egóne? primum illud, Cur quod perspicuum in istam partem ne egere quidem oratione dixisses, quòd esset perspicuum & inter omnes constaret, de eo ipso tam multa dixeris. Quia te quoq; inquit, animaduerti, Cotta, sæpe, cùm in foro diceres, quàm plurimis posses argumentis onerare iudicem, si modò eam facultatem tibi daret caussa. atque hoc idem, & philosophi faciunt, & ego, vt potui, feci. Tu autem, qui id quæris, similiter facis, ac si me roges cur te duobus contuear oculis, & non altero tantùm, cùm idem vno assequi possim. Tum Cotta, Quàm simile istud sit, inquit, tu videris. nam ego neq; in caussis, si quid est euidens, de quo inter omnes cõueniat, argumentari soleo: perspicuitas enim argumentatione eleuatur: nec, si id facerem in caussis forensibus, idem facerem in hac subtilitate sermonis. Cur contuereris autem altero oculo caussa non esset, cùm idem obtutus esset amborum, & cùm rerum natura, quam tu sapientem esse vis, duo lumina ab animo ad oculos perforata nos habere

habere voluisset. Sed quia non confidebas tam esse id perspicuũ, quàm tu velis, propterea multis argumentis, deos esse docere voluisti. Mihi enim vnum satis erat, ita nobis maiores nostros tradidisse. Sed tu auctoritates omnes contẽnis, ratione pugnas. Patere igitur rationem meam cum tua ratione contendere. Affers hæc omnia argumenta, cur dij sint, remq; mea sentẽtia minime dubiã argumentando dubiam facis: mandaui enim memoriæ non numerum solùm, sed etiam ordinem argumentorũ tuorum. Primum fuit, cùm cælum suspexissemus, statim nos intelligere esse aliquod numen, quo hæc regantur. Ex hoc illud etiam,

Aspice hoc sublime candens, quem inuocant omnes Iouem. Quasi verò quisquam nostrum istum potius quàm Capitolinum, Iouem appellet: aut hoc perspicuũ sit, consletq; inter omnes, eos esse deos, quos tibi Velleius multiq; præterea ne animantes quidem esse concedant. Graue etiam argumentum tibi videbatur, quòd opinio de dijs immortalibus, & omniũ esset, & quotidie cresceret. Placet igitur tantas rẽs opinione stultorũ iudicari, vobis præsertim, qui illos insanos esse dicatis? At enim præsentes videmus deos, vt apud Regillum Postumius, in Salaria Vattienus, nescio quid etiam de Locrorum apud Sagram prælio. Quos igitur tu Tyndaridas appellabas, id est homines homine na-

tos: & quos Homerus, qui recens ab illorum ætate fuit, sepultos esse dicit Lacedæmone, eos tu canterijs albis nullis calonibus obuiam Vattieno venisse existimas, & victoriã pop. Rom. Vattieno potius homini rustico, quàm M. Catoni, qui tum erat princeps, nuntiauisse? Ergo & illud in silice, quod hodie apparet apud Regillum, tamquam vestigium vngulæ Castorũ equi credis esse? Nónne mauis illud credere, quod probari potest, animos præclarorum hominum, quales isti Tyndaridæ fuerunt, diuinos esse, & æternos, quàm eos, qui semel cremati essent, equitare, & in acie pugnare potuisse? Aut, si hoc fieri potuisse dicis, doceas oportet quo modo, nec fabellas aniles proferas. Tum Lucilius, An tibi, inquit, fabellæ videntur? Nónne ab A. Postumio ædem Castori & Polluci in foro dedicatam: nónne s. c. de Vattieno vides? Nam de Sagra Græcorum etiam est vulgare prouerbium: qui quæ affirmant, certiora esse dicunt quàm illa quæ apud Sagram. His igitur auctoribus nónne debes moueri? Tum Cotta, Rumoribus, inquit, mecum pugnas Balbe: ego autem à te rationes requiro. * Sequuntur quæ futura sunt. effugere enim nemo id potest, quod futurum est. Sæpe autem ne vtile est quidem scire quid futurum sit. miserum est enim nihil proficientem angi, nec habere ne spei quidem extremum,

tremum, & tamen commune solatium: præsertim cùm vos ijdẽ fato fieri dicatis omnia: quod autem semper ex omni æternitate verũ fuerit, id esse fatũ. Quid igitur iuuat, aut quid affert ad cauendum, scire aliquid futurum, cùm id certè futurum sit? Vnde porrò ista diuinatio? quis inuenit fissum iecoris? quis cornicis cantum notauit? quis sortes? Quibus ego credo: nec possum Attij Nauij, quem commemorabas, lituum contemnere. Sed quî ista intellecta sint, à philosophis debeo dicere; præsertim cùm isti plurimis de rebus diuinis mentiantur. At medici quoque, ita enim dicebas, sæpe fallunntur. Quid simile medicina, cuius ego rationem video: & diuinatio, quæ vnde oriatur nõ intelligo? Tu autem etiam Deciorum deuotionibus placatos deos esse censes. Quæ fuit eorum tanta iniquitas, vt placari populo Ro. nõ possent, nisi viri tales occidissent? Cõsilium illud imperatorum fuit, quod Græci στρατήγημα appellãt, sed eorum imperatorum qui patriæ consulerẽt, vitæ non parcerent: rebantur enim fore, vt exercitus imperatorẽ equo incitato se in hostes immittentem persequeretur: id quod euenit. Nam Fauni vocem equidem numquam audiui: tibi, si audiuisse te dicis, credam. etsi Faunus omnino quid sit, nescio. Non igitur adhuc, quantum quidem in te, Balbe, est, intelligo deos esse. quos equidem credo esse, sed nihil docent

Stoici. Nam Cleãthes, vt dicebas, quattuor modis formatas in animis hominum putat deorum esse notiones. Vnus is modus est, de quo satis dixi, qui est susceptus ex præsensione rerum futurarum. Alter ex perturbationibus tempestatum, & reliquis motibus. Tertius ex commoditate rerum, quas percipimus, et copia. Quartus ex astrorum ordine cæliq; cõstantia. De præsensione diximus: de perturbationibus cæleſtibus, & maritimis, & terrenis, nõ possumus dicere, cum ea fiãt, non esse multos, qui ea metuãt, & à dijs immortalibus fieri existiment. Sed nõ id quæritur, sintne aliqui, qui deos esse putent: dũ vtrum sint nécne quæritur. Nã reliquæ causſæ, quas Cleanthes affert, quarũ vna est de cõmodorũ, quæ capimus, copia; altera de temporum ordine cæliq; constantia: tum tractabuntur à nobis, cùm de prouidẽtia deorũ disputabimus, de quæ plurima à te, Balbe, dicta sunt: eodemq; illa etiam differemus, quod Chrysippum dicere aiebas, quoniam esset aliquid in rerum natura quod ab homine effici non posset, esse hominẽ aliquid melius: quæq; in domo pulchra cum pulchritudine mundi comparabas, & cùm totius mundi conuenientiam consensumq; afferebas, Zenonisq; breues, & acutulas conclusiones in eam partem sermonis, quam modò dixi, differemus. Eodemq; tempore illa omnia, quæ à te physicè dicta sunt de vi ignea, deq; eo calore ex

ex quo omnia generari dicebas, loco suo quærentur: omniaq; quæ à te nudiustertius dicta sunt, cùm docere velles deos esse, quare & mũdus vniuersus, & sol, & luna, & stellæ sensum, ac mentem haberent, in idem tempus reseruabo. A te autem illud etiam, atque etiam quæram, quibus rationibus tibi persuadeas deos esse. Tum Balbus, Equidem attulisse rationes mihi videor: sed eas tu ita refellis, vt cùm me interrogaturus esse videare, & ego me ad respondendum compararim, repente auertas orationem, nec des respondendi locum. Itaque maximæ res tacitæ præterierunt, de diuinatione, de fato: quibus de quæstionibus tu quidem strictim, nostri autem multa solent dicere. sed ab hac quæstione, quæ nunc in manibus est, separantur. Quare si videtur, noli agere confusè: vt hoc explicemus hac disputatione, quod quæritur. Optime, inquit Cotta. Itaq; quoniã quattuor in partes totam quæstionem diuisisti, de prima quidem diximus; consideremus secundam: quæ mihi talis videtur fuisse, vt cũ ostendere velles quales dij essent, ostenderes nullos esse. A consuetudine enim oculorum animum abducere difficilimum dicebas: sed cùm deo nihil præstantius esset, non dubitabas quin mundus esset deus, quòd nihil in rerum natura melius esset, modò possemus eum animantem cogitare, vel potius vt cetera oculis, sic

animo hoc cernere. Sed cùm mũdo negas quidquam esse melius, quid dicis melius? si pulchrius, assentior: si aptius ad vtilitates nostras, id quoq; assentior. sin autem id dicis, nihil esse mundo sapientius, nullo modo prorsus assentior. non quòd difficile sit mentem ab oculis seuocare: sed quo magis seuoco, eo minus id, quod tu vis, possum mente comprehendere. Nihil est mundo melius in rerũ natura. ne in terris quidem vrbe nostra. num igitur iccirco in vrbe esse rationem, cogitationem, mentem putas? aut, quoniam non sit, num iccirco existimas formicam anteponendam esse huic pulcherrimæ vrbi, quòd in vrbe sensus sit nullus, in formica non modò sensus, sed etiam mens, ratio, memoria? Videre oportet, Balbe, quid tibi concedatur, nõ te ipsum quod velis sumere. Istum enim locum tãtum illa vetus Zenonis breuis, & vt tibi videbatur, acuta conclusio dilatauit. Zeno enim ita concludit, Quod ratione vtitur melius est, quàm id, quod ratione non vtitur. nihil autem mundo melius. ratione igitur mundus vtitur. Hoc si placet, iam efficies vt mundus optimè librum legere videatur. Zenonis enim vestigijs hoc modo rationem poteris concludere. Quod litteratum est, id melius quàm quod nõ est litteratum. nihil autem mundo melius. litteratus igitur est mundus. Isto modo etiã disertus, & quidem mathematicus, musicus, omni

omni deniq; doctrina eruditus, postremò philosophus erit mundus. Sæpe dixit nihil fieri sine deo, nec vllã vim esse naturæ, vt sui dissimilia posset effingere. Concedam non modò animantem, & sapientem esse mundum, sed fidicinem etiã, & tibicinem, quoniam earum quoque artium homines ex eo procreantur. Nihil igitur affert pater iste Stoicorum, quare mundum ratione vti putemus, nec cur animantem quidem esse. Non est igitur mũdus deus: & tamen nihil est eo melius, nihil est eo pulchrius, nihil salutarius, nihil ornatius aspectu, motuq; constantius. Quòd si mundus vniuersus nõ est deus, ne stellæ quidem, quas tu innumerabiles in deorum numero reponebas: quarum te cursus æquabiles æterniq; delectabant: nec mehercule iniuria: sunt enim admirabili incredibilíq; constantia. Sed non omnia, Balbe, quæ cursus certos, & constantes habent, ea deo potius quàm naturæ tribuenda sunt. Quid Chalcidico Euripo in motu identidem reciprocando putas fieri posse constantius? Quid freto Siculiensi? Quid Oceani feruore illis in locis,

Europã Libyamq; rapax vbi diuidit vnda?

Quid æstus maritimi, vel Hispanienses, vel Britannici: eorumq; certis temporibus vel accessus, vel recessus, sine deo fieri nónne possunt? Vide quæso si omnis metus, omniaq;, quæ certis temporibus ordinem suum conseruant, diuina dicimus,

dicimus, ne tertianas quidem febres, & quartanas diuinas esse dicendum sit; quarum reuersione, & motu quid potest esse constantius? Sed omnium talium rerum ratio reddenda est: quod vos cùm facere non potestis, tamquam in aram confugitis ad deum. Et Chrysippus tibi acutè dicere videbatur, homo sine dubio versutus, & callidus. Versutos eos appello, quorum celeriter mens versatur: callidos autẽ, quorum tamquam manus opere, sic animus vsu concalluit. Is igitur, Si aliquid est, inquit, quod homo efficere non possit: qui id efficit, melior est homine. homo autẽ hæc, quæ in mundo sunt, efficere non potest: qui potuit igitur, is præstat homini. homini autem præstare quis possit, nisi deus? est igitur deus, Hæc omnia in eodem quo illa Zenonis, errore versantur. Quid enim sit melius, quid præstabilius, quid inter naturam, & rationem intersit, non distinguitur. Idemq; si dei non sint, negat esse in omni natura quidquam homine melius. id autem putare quemquam hominem, nihil homine esse melius, summæ arrogantiæ censet esse. Sit sanè arrogantis, plurus se putare quam mundum: at illud non modò non arrogantis, sed potius prudentis, intelligere se habere sensum, & rationem, & orationem: hæc eadem & caniculam non habere. Et si domus pulchra sit, intelligamus, eam domum, inquit, ædificatam esse, non nu-

ribus. Sic igitur mundum deorum domum existimare debemus. Ita prorsus existimarem, si illum ædificatum, non, quemadmodum docebo, à natura conformatum putarem. At enim quærit apud Xenophõtem Socrates, vnde animam arripuerimus, si nulla fuerit in mundo. Et ego quæro vnde orationem, vnde numeros, vnde cantus. Nisi verò loqui solem cum luna putamus cùm propius accesserit: aut ad harmoniam canere mundum, vt Pythagoras existimat. Naturæ ista sunt, Balbe, naturæ non artificiosè ambulantis, vt ait Zeno: quod quidem quale sit, iam videbimus: sed omnia cientis, & agitantis motibus, & mutationibus suis. Itaque illa mihi placebat oratio de conuenientia, consensuq; naturæ, quam quasi cognatione continuatam conspirare dicebas. Illud non probabam, quòd negabas id accidere potuisse, nisi ea vna diuino spiritu contineretur. Illa verò cohæret, & permanet naturæ viribus non deorum: estq; in ea iste quasi consensus, quam συμπάθειαν Græci vocant: sed ea quo sua sponte maior est, eo minus diuina ratione fieri existimanda est. Illa autem, quæ Carneades afferebat, quemadmodum dissoluit? Si nullum corpus immortale sit, nullum esse corpus sempiternum: corpus autem immortale nullum esse, ne individuum quidem, nec quod dirimi, distrahiq; non possit. Cumq;

omne animal patibilem naturam habeat, nullum est eorum, quod effugiat accipiendi aliquid extrinsecus, id est, quasi ferendi, et patiendi necessitatem. Et si omne animal mortale est, nullum est immortale. Et si omne animal secari ac diuidi potest, nullum est eorum indiuiduum, nullum æternum. Atqui omne animal ad accipiendam vim externam, & ferendam paratum est: mortale igitur omne animal, & dissolubile & diuiduum sit necesse est. Vt enim si omnis cera commutabilis esset, nihil esset cereum quod commutari nõ posset: item mihil argẽteum, nihil æneum, si commutabilis esset natura argenti & æris. similiter igitur, si omnia quæ sunt, ex quibus cuncta constant, mutabilia sunt, nullum corpus esse potest non mutabile. mutabilia autem sunt illa ex quibus omnia constant, vt nobis videtur: omne igitur corpus mutabile est. At si esset corpus aliquod immortale, non esset omne mutabile. Ita efficitur, vt omne corpus mortale sit. Etenim omne corpus aut aqua, aut aër, aut ignis, aut terra est, aut id quod est concretum ex his, aut ex aliqua parte eorum: horum autem nihil est quod non intereat: nam & terrenum omne diuiditur, & humor ita mollis est, vt facile comprimi collidiq; possit: ignis verò & aër omni impulsu facillimè pellitur, naturáque cedens est maximè & dissipabilis. Præterea omnia hæc tum intereunt,

tereunt, tum in naturam aliam conuertuntur: quod fit, cùm terra in aquam se vertit, & cùm ex aqua oritur aër, & cùm ex aëre æther, cumq; eadem vicissim retro commeant. Quòd si ea intereunt, ex quibus constat omne animal, nullũ est animal sempiternum. Et, vt hæc omittamus, tamen animal nullum inueniri potest, quod neq; natum vmquam sit, & semper sit futurum: omne enim animal sensus habet: sentit igitur & calida & frigida, & dulcia & amara, nec potest vllo sensu iucunda accipere, & nõ accipere contraria. Si igitur voluptatis sensum capit, doloris etiam capit: quod autem dolorem accipit, id accipiat etiam interitum necesse est. omne igitur animal cõfitendum est esse mortale. Præterea, si quid est quod nec voluptatem sentiat, nec dolorem, id animal esse nõ potest. sin autem quod animal est, id illa necesse est sentiat: & quod ea sentiat, non potest esse æternum: & omne animal sentit: nullum igitur animal est æternum. Præterea nullum potest esse animal, in quo non & appetitio sit, & declinatio naturalis. appetuntur autem quæ secundum naturam sunt, declinantur contraria: & omne animal appetit quædam, & fugit à quibusdam. quod autem refugit, id contra naturam est: & quod est contra naturam, id habet vim interimendi. omne ergo animal intereat necesse est. Innumerabilia

sunt

sunt, ex quibus effici, cogíque possit, nihil esse quod sensum habeat, quin id intereat. Etenim ex ipsa, quæ sentiuntur, vt frigus, vt calor, vt voluptas, vt dolor, vt cetera, cùm amplificata sunt, interimunt: nec vllum animal est sine sensu: nullum igitur animal est æternum. Etenim aut simplex est natura animantis, vt vel terrena sit, vel ignea, vel animalis, vel humida: quod quale sit, ne intelligi quidem potest: aut concreta ex pluribus naturis, quarum suum quæque locũ habeat, quò naturæ vi efferatur, alia infimum, alia summum, alia medium. Hæc ad quoddam tempus cohærere possunt, semper autẽ nullo modo possunt: necesse est enim suum quæq; in locum natura rapiatur. nullum igitur animal est sempiternũ. Sed omnia vestri, Balbe, solent ad igneam vim referre, Heraclitum, vt opinor, sequentes: quem ipsum nõ omnes interpretantur vno modo. qui quoniam quid diceret intelligi noluit, omittamus. Vos autem ita dicitis, omnem vim esse ignem: itaque & animantes, cùm calor defecerit, tum interire: et in omni natura rerũ id viuere, id vigere, quod caleat. Ego autem non intelligo, quo modo calore exstincto corpora intereant, non intereant humore, aut spiritu amisso, præsertim cùm intereant etiam nimio calore. Quamobrem id quidem commune est de calido: verumtamen videamus exitum. Ita vultis, opinor, * nihil esse animal

animal extrinsecus in natura, atq; mundo præter ignem. quid magis, quam præter animam, vnde animantium quoque constet animus, ex quo anima dicitur? Quo modo autem hoc, quasi concedatur, sumitis, nihil esse animum nisi ignem? Probabilius enim videtur tale quiddam esse animum, vt sit ex igne, atq; anima temperatum. Quòd si ignis ex sese ipse animal est, nulla se alia admiscente natura, quoniam is cùm inest in corporibus nostris, efficit vt sentiamus: non potest ipse esse sine sensu. Rursus eadem dici possunt. quidquid est enim, quod sensum habeat, id necesse est sentiat & voluptatẽ, & dolorem: ad quem autem dolor veniat, ad eundem etiam interitum venire. ita fit, vt ne ignem quidem efficere possitis æternum. Quid enim? non eisdem vobis placet omnem ignem pastu indigere, nec permanere vllo modo posse nisi alatur? Ali autem solem, lunam, reliqua astra, aquis alia dulcibus, alia marinis? Eamq; caussam Cleanthes affert, cur se sol referat, nec longius progrediatur solstitiali orbe, itemq; brumali, ne longius discedat à cibo. Hoc totum quale sit, mox. Nunc autem concludatur illud, quod interire possit, id æternum non esse natura. ignem autem interiturum esse, nisi alatur. non esse igitur natura ignem sempiternum. Qualem autem deum intelligere nos possumus nulla virtute præditum? Quid enim?

prudentiámne deo tribuemus, quæ constat ex scientia rerum bonarum, & malarum, & nec bonarum, nec malarum? Cui mali nihil est nec esse potest, quid huic opus est delectu bonorum & malorum? Quid autem ratione? quid intelligentia? quibus vtimur ad eam rem, vt aperta obscura assequamur. At obscurum deo nihil potest esse. nam iustitia, quæ suum cuique distribuit, quid pertinet ad deos? Hominum enim societas & communitas, vt vos dicitis, iustitiam procreauit. Temperantia autẽ constat ex prætermittendis voluptatibus corporis: cui si locus in cælo est, est etiam voluptatibus. Nam fortis deus intelligi quî potest? in dolore, an in labore, an in periculo? quorum deum nihil attingit. Nec ratione igitur vtentem, nec virtute vlla præditum deum intelligere quî possumus? Nec verò vulgi, atq; imperitorum insciticm despicere possum, cũ ea considero, quæ dicuntur à Stoicis. Sunt enim illa imperitorum. * Piscem Syri venerantur. Omne ferè genus bestiarũ Aegyptij consecrauerunt. Iam verò in Græcia multos habent ex hominibus deos, * Alabandum Alabandi, Tenedi * Tenen: Leucotheam, quæ fuit Ino, & eius Palæmonem filium, cunctæ Græcia: Herculem, Aesculapium, Tyndaridas: Romulum nostri, aliosq; complures, quos quasi nouos, & ascriptitios ciues in cælum receptos putant. Hæc igitur indocti. Quid vos philoso

philosophi? qui meliora? Omitto illa: sunt enim præclara. Sit sanè deus ipse mundus. Hoc credo illud esse

-sublime candens, quẽ inuocant omnes Iouẽ.

Quare igitur plures adiungimus deos? quanta autem est eorum multitudo? Mihi quidem sanè multi videntur: singulas enim stellas numeras deos, eas q; aut belluarum nomine appellas, vt capram, vt lupam, vt taurũ, vt leonem: aut rerum *inanimatarum, vt Argon, vt aram, vt coronam. Sed vt hæc concedantur, reliqua quî tandem non modò concedi, sed omnino intelligi possunt? Cùm fruges Cererem: vinum Liberum dicimus, genere nos quidem sermonis vtimur vsitato: sed ecquem tam amentem esse putas, qui illud, quo vescatur deum credat esse? Nam quos ab hominibus peruenisse dicis ad deos, tu reddes rationem quemadmodum idem fieri potuerit, aut cur fieri desierit, & ego discam libenter. Quo modo nunc quidem est, non video quo pacto ille, cui in monte Oetæo illatæ lampades fuerunt, vt ait Attius, in domum æternam patris ex illo ardore peruenerit. quem tamen Homerus conueniri apud inferos facit ab Vlyxe, sicut ceteros qui excesserant vita. Quamquam quem potissimum Herculem colamus, scire sanè velim: plures enim tradunt nobis ij, qui interiores scrutantur & reconditas litteras: antiquissimum Ioue

natum, sed antiquissimo item Ioue: nam Ioues quoque plures in priscis Græcorum litteris inuenimus. Ex eo igitur, & Lisyto est is Hercules quem concertauisse cum Apolline de tripode accepimus. Alter traditur Nilo natus Aegyptius, quem aiunt Phrygias litteras conscripsisse. Tertius est *ex Idæo Dactylo, cui inferias afferunt. Quartus Iouis est, Asteriæ Latonæ sororis; quem Tyrij maximè colunt, cuius Carthaginem filiam ferunt. Quintus in India, qui Belus dicitur. Sextus hic ex Alcumena, quem Iupiter genuit: sed tertius Iupiter: quoniam, vt iam docebo, plures Ioues etiam accepimus. Quando enim me in hùc locum deduxit oratio, docebo meliora me didicisse de colendis dijs immortalibus iure pontificio, & maiorum more, capeduncules ijs, quas Numa nobis reliquit, de quibus in illa aureola oratiuncula dicit Lælius, quàm rationibus Stoicorum. Si enim vos sequar, dic quid ei respondeam, qui me sic roget, Si dij sunt, sintne etiam Nymphæ deæ? Si Nymphæ, Panisci etiam, & Satyri. Hi autem non sunt, ne Nymphæ quidem deæ igitur. At earum templa sunt publicè vota, & dedicata. Quid igitur? ne ceteri quidem ergo dij quorum templa sunt dedicata. Age porrò Iouem, & Neptunum deum numeras. ergo etiam Orcus frater eorum deus: & illi qui fluere apud inferos dicũtur, Acheron, Cocytus, Styx, Phlege

Phlegethon: tum Charon, tum Cerberus dij putandi. At id quidem repudiandum. ne Orcus quidem igitur. Quid dicitis ergo de fratribus? Hæc Carneades agebat, non vt deos tolleret: quid enim philosopho minus conueniens? sed vt Stoicos nihil de dijs explicare conuinceret. Itaque insequebatur. Quid enim aiebat, si ij fratres sunt in numero deorum, num de patre eorum Saturno negari potest? quem vulgo maximè ad occidentem colunt. Qui si est deus, patrem quoque eius Cælum esse deum confitendum est. Quòd si ita est, Cæli quoque parentes dij habendi sunt Aether, & Dies, eorumq; fratres, & sorores, qui à genealogis antiquis sic nominantur, amor, dolus, motus, labor, inuidentia, fatum, senectus, mors, tenebræ, miseria, querela, gratia, fraus, pertinacia, Parcæ, Hesperides, somnia: quos omnes Erebo, & Nocte natos ferunt. Aut igitur hæc monstra probanda sunt, aut prima illa tollenda. Quid? Apollinem, Vulcanum, Mercurium, ceteros deos esse dices; de Hercule, Aesculapio, Libero, Castore, Polluce dubitabis? At hi quidem coluntur æquè, atque illi, apud quosdam etiam multò magis. Ergo hi dij sunt habendi mortalibus nati matribus. Quid Aristæus, qui oliuæ dicitur inuentor, Apollinis filius: Theseus qui Neptuni: reliqui, quorum patres dij, non erunt in deorum numero? Quid, quorũ matres?

opinor etiam magis. Vt enim in iure ciuili, quæ est de matre libera, liber est: item iure naturæ qui de dea matre est, deus sit necesse est. Itaque Achillem Astypalea insula sanctissimum colit: qui si deus est, & Orpheus, & Rhesus dij sunt matre Musa nati. nisi forte maritimæ nuptiæ terrenis anteponuntur. Si hi dij non sunt, quia nusquam coluntur, quo modo illi sunt? Vide igitur ne virtutibus hominum isti honores habeantur, non immortalitatibus: quod tu quoq; Balbe, visus es dicere. Quo modo autem potes, si Latonam deam putes, Hecatem non putare, quæ matre Asteria est sorore Latonæ? An hæc quoq; dea est? vidimus enim eius aras delubraq; in Græcia. Sin hæc dea est, cur non Eumenides? quæ si deæ sunt, quarum & Athenis fanum est, & apud nos, vt ego interpretor lucus Furinæ, Furiæ deæ sunt, speculatrices, credo, & vindices ficinorum, & scelerum. Quòd si tales dij sunt, vt rebus humanis intersint, Natio quoque dea putanda est: cui cùm fana circuimus in agro Ardeati, rem diuinam facere solemus. quæ, quia partus matronarum tueatur, à nascentibus Natio nominata est. Ea si dea est, dij omnes illi, qui commemorabantur à te, honos, fides, mens, concordia: ergo etiam spes moneta, omniaq; quæ cogitatione nobismetipsis possumus fingere. Quod si verisimile non est: ne illud quidem est, hæc vnde fluxerunt. Quid autem dicis? si dij sunt illi, quos colimus, & accepimus, cur non eodem in genere Serapim, Isimq; numeremus? Quòd si ficimus, cur barbarorum deos repudiemus? Boues igitur, & equos, ibes, accipitres, aspidas, crocodilos, pisces, canes, lupos, feles, multas præterea belluas in deorum numero reponemus. quæ si reiciamus, illa quoque vnde hæc nata sunt, reiciemus. Quid deinde? Ino dea dicetur, quæ Leucothea à Græcis, à nobis Matuta dicitur, cùm sit Cadmi filia? Circe autem, & Pasiphaë è Perseide Oceani filia natæ, patre Sole, in deorum numero non habebuntur? Quamquam Circen quoq; coloni nostri Circeienses religiosè colunt. Ergo hanc deam dicis. Quid Medeæ respondebis? quæ duobus auis, Sole, & Oceano, Aeeta patre, matre Idyia procreata est? Quid huius Absyrto fratri, qui est apud Pacuuium Egialeus? Sed illud nomen veteris litteris vsitatius. Qui si dij non sunt, vereor quid agat Ino. Hæc enim omnia ex eodem fonte fluxerunt. An Amphiaraus deus erit, & Trophonius? Nostri quidem publicani, cùm essent agri in Bœotia deorum immortalium excepti lege censoria, negabant immortales esse vllos, qui aliquando homines fuissent. Sed si sunt hi dij, est certè Erichtheus, cuius Athenis, & delubrum vidimus, & sacerdotem. Quem si deum facimus, quid aut de Codro dubitare possumus, aut de ceteris, qui

pugnãtes, pro patriæ libertate ceciderũt? Quòd si probabile non est, ne illa quidem superiora, vnde hæc manant, probanda sunt. Atq; in plerisq; ciuitatibus intelligi potest, augendæ virtutis gratia quo libentius reip. caussa periculum adiret optimus quisq;, virorum fortium memoriam honore deorum immortalium consecratam. Ob eam enim ipsam caussam Erichtheus Athenis, filiæq; eius in numero deorum sunt. Itemq; *Leonaticum est delubrum Athenis, quòd Leocorion nominatur. Alabandenses quidem sanctius Alabandum colunt, à quo est vrbs illa condita, quàm quemquã nobilium deorum: apud quos non inurbanè Stratonicus, vt multa, cùm quidam ei molestus Alabandum deum esse confirmaret, Herculem negaret, Ergo, inquit, mihi Alabandus, tibi Hercules sit iratus. Illa autem, Balbe, quæ tu à cælo astriq; ducebas, quàm longè serpant non vides: solem deum esse, lunamq;: quorum alterum Apollinem Græci, alteram Dianam putant. Quòd si luna dea est: ergo etiam lucifer, cæteræq; errantes numerum deorũ obtinebunt. Igitur etiam inerrantes. *Cur autem arcus species non in deorũ numero reponatur? Est enim pulcher, & ob eam caussam, quia speciem habeat admirabilem, Thaumante dicitur esse nata. Cuius si diuina natura est, quid facies nubibus? Arcus enim ipse ex nubibus efficitur quodam modo coloratus, quarum vna etiam Centauros peperisse dicitur. Quòd si nubes retuleris in deos, referẽdæ certè erunt tempestates, quæ populi Rom. ritibus consecratæ sunt. Ergo imbres, nimbi, procellæ, turbines sunt dij putandi. Nostri quidem duces mare ingredientes immolare hostiam fluctibus consueuerunt. Tum si est Ceres à gerendo (ita enim dicebas) terra ipsa dea est, & ita habetur: quæ est enim alia Tellus? Si terra: mare etiam, quem Neptunum esse dicebas. Ergo & flumina, & fontes. Itaq; & fontis delubrum * Maso ex Corsica dedicauit: & in augurum precatione Tiberinum, Spinonem, * Anemonem, Nodinum, alia propinquorum fluminum nomina videmus. Ergo hoc aut in immensum serpet, aut nihil horum recipiemus, nec illa infinita ratio superstitionis probabitur. Nihil ergo horum probandum est. Dicamus igitur, Balbe, oportet contra illos etiam qui hos deos ex hominum genere in cælum translatos non re, sed opinione esse dicunt, quos augustè omnes sanctèq; veneramur. Principiò Ioues tres numerant ij, qui theologi nominantur: ex quibus primum, *& secundum natos in Arcadia: alterum patre Aethere, ex quo etiam Proserpinam natam ferunt, & Liberum: alterum patre Cælo, qui genuisse Mineruam dicitur, quam principem, & inuentricem belli ferunt: tertium Cretensem Saturni filium; cuius in

illa insula sepulcrum ostenditur. Διόσκουροι etiam apud Graios multis modis nominantur. Primi tres qui appellantur Anaces, Athenis ex Ioue rege antiquissimo & Proserpina nati, Trieopatreus, Eubuleus, Dionysius. Secundi, Ioue tertio nati ex Leda, Castor, & Pollux. Tertij dicuntur à nonnullis * Aleo & Melampus, Emolus, Atrei filij, qui Pelope natus fuit. Iam Musæ primæ quattuor, natæ Ioue altero, *Thelxiope, Mneme, Aæde, Melete. Secundæ Ioue tertio, & Mnemosyne procreatæ nouem. Tertiæ Ioue tertio Pieriæ natæ, & Antiopa: quas Pieridas, & Pierias solent poëtæ appellare, ijsdem nominibus, eodem numero quo proximæ superiores. Cumq; tu Solem, quia solus esset, appellatum esse dicas: Soles ipsi quàm multi à theologis profiruntur? Vnus eorum Ioue natus, nepos Aetheris: alter Hyperione: tertius Vulcano Nili filio, cuius vrbem Aegyptij volunt esse eam, quæ Heliopolis appellatur: quartus is quem heroicis temporibus Achanto Rhodi peperisse dicitur, auum Ialysi, Camiri, & Lindi: quintus, qui Colchis fertur Aeetam, & Circem procreauisse. *Vulcani item complures, primus cælo natus, ex quo Minerua Apollinem eum, cuius in tutela Athenas antiqui historici esse voluerunt. secundus Nilo natus Opas, vt Aegyptij appellant, quem custodem esse Aegypti volunt. tertius ex tertio Ioue,

& Iun

& Iunone, qui Lemni fabricæ traditur præfuisse. quartus Menalio natus, qui tenuit insulas propter Siciliam, quæ Vulcaniæ *nominantur. Mercurius vnus Cælo patre, Die matre natus: cuius obscenius excitata natura traditur, quòd aspectu Proserpinæ cõmotus sit. alter Valentis, & Phoronidis filius, is, *qui sub terris habetur: idem Trophonius. tertius Ioue tertio natus & Maia: ex quo, & Penelopa Pana natũ ferunt. quartus Nilo patre, quẽ Aegyptij nefas habent nominare. quintus, quem colunt Pheneatæ, qui Argum dicitur interemisse, ob eamq; caussam Aegypto præfuisse, atque Aegyptijs leges, & litteras tradidisse. Hũc Aegyptij Thoyth appellant: eodemq; nomine anni primus mensis apud eos vocatur. Aesculapiorum primus Apollinis, quem Arcades colunt, qui specillum inuenisse, primúsque vulnus obligauisse dicitur. secundus secundi Mercurij frater: is fulmine percussus dicitur humatus esse Cynosuris. tertius Arsippi, & Arsinoæ: qui primus purgationẽ alui, dẽtisq; euulsionem, vt ferunt, inuenit: cuius in Arcadia non longe à Lusio flumine sepulcrum & lucus ostenditur. Apollinum antiquissimus is, quem paullò antè ex Vulcano natum esse dixi, custodem Athenarum. alter Corybantis filius natus in Creta, cuius de illa insula cum Ioue ipso certamen fuisse traditur. tertius Ioue tertio natus,

& La

& Latona, quem ex Hyperboreis Delphos ferunt aduenisse. quartus in Arcadia, quem Arcades Nomionem appellant, quòd ab eo se leges ferunt accepisse. Dianæ item plures. prima Iouis, & Proserpinæ, quæ pinnatum Cupidinem genuisse dicitur. secunda notior, quam Ioue tertio, & Latona natã accepimus. tertiæ pater Vpis traditur, Glauce mater. eam Græci sæpe Vpim paterno nomine appellant. Dionysios multos habemus. primum è Ioue, & Proserpina natum. secundum Nilo, qui Nysam dicitur interemisse. tertium Caprio patre, eius regem Asiæ præfuisse dicunt: * cuius Abaxea sunt instituta. quartum Ioue & Luna, cui sacra Orphica putantur confici. quintum Niso natum, & Thione, à quo Trieterides constitutæ putantur. Venus prima Cælo & Die nata: cuius Elide delubrum videmus. altera spuma procreata, ex qua, & Mercurio Cupidinem secundum natum accepimus. tertia Ioue nata, & Dione, quæ nupsit Vulcano. Sed ex ea, & Marte natus Anteros dicitur. quarta Syria, Tiroq; concepta, quæ Astarte vocatur, quam Adonidi nupsisse traditum est. Minerua prima, quam Appollinis matrem suprà diximus. secunda orta Nilo, quam Aegyptij Saitæ colunt. tertia illa, quam Ioue generatam suprà diximus. quarta Ioue nata, & Coriphe Oceani filia, * quam Arcades Coriã nominant,

& quad

& quadrigarum inuentricem ferunt. Quinta Pallantis, quæ patrem dicitur interemisse virginitatem suam violare conantem, cui pinnarum talaria affigunt. Cupido primus Mercurio, & Diana prima natus dicitur. secundus Mercurio, & Venere secunda. tertius quidẽ est Anteros Marte, & Venere tertia. Atque hæc quidem, * atq; eiusmodi ex vetere Græciæ fama collecta sunt: quibus intelligis resistendum esse, ne perturbentur religiones. vestri autem non modò hæc non refellunt, verùm etiam confirmant, interpretando quorsum quidq; pertineat. Sed eò iam vnde huc degressi sumus, reuertamur. Num censes igitur subtiliore ratione opus esse ad hæc refellenda? Nam mentem, fidem, spem, virtutem, honorem, victoriam, salutem, concordiam, ceteraq; eiusmodi rerum vim habere videmus, non deorum. Aut enim in nobismet insunt ipsis, vt mens, vt spes, vt fides, vt virtus, vt concordia: aut optandæ nobis sunt, vt bonus, vt salus, vt victoria, quarum rerum vtilitate video etiam consecrata simulacra. Quare autem in his vis deorum insit, tum intelligam cùm cognouero. Quo in genere vel maxime est fortuna numeranda; quam nemo ab inconstantia, & temeritate seiunget: quæ digna certè nõ sunt deo. Iam verò quid vos illa delectat explicatio fabularum, & enodatio nominum? exsectum à filio Cælũ, vinctum itidem à

filio

filio Saturnum? Hæc & alia generis eiusdem ita defenditis, vt ij, qui ista finxerunt, nō modò non insani, sed etiam fuisse sapientes videātur. In enodandis autem nominibus, quod miserandum sit, laboratis. Saturnus, quia se saturat annis: Mauors, quia magna vertit: Minerua, quia minuit, aut quia minatur: Venus, quia venit ad omnia: Ceres à gerendo. Quàm periculosa consuetudo? in multis enim nominibus hærebitis. Quid Veioui facies? quid Vulcano? quamquam, quoniam Neptunum à nando appellandum putas, nullum erit nomen, quod non possis vna littera explicare vnde ductum sit. in quo quidem magis tu mihi natare visus es, quàm ipse Neptunus. Magnam molestiam suscepit, & minime necessariam primus Zeno, pòst Cleanthes, deinde Chrysippus, commentitiarum fabularum reddere rationem: vocabulorum, cur quidq; ita appellatum sit, causas explicare. Quod cùm facitis, illud profectò confitemini longe aliter rem se habere, atq; hominum opinio sit: eos enim, qui dij appellantur, rerum naturas esse, non figuras deorum. Qui tantus error fuit, vt pernicioſis etiam rebus, non modò nomen deorum tribueretur, sed etiam sacra constituerentur. Febris enim sānum * in Palatio, & ædem Larum, & aram malæ Fortunæ Esquilijs consecratam videmus. Omnis igitur talis à philosophia pellatur error, vt cùm de

de dijs immortalibus disputemus, dicamus digna dijs immortalibus, de quibus habeo ipse quid sentiam, non habeo autem quid ipse assentiar. Neptunum esse dicis animum cum intelligentia per mare pergentem. idem de Cerere. Istam autem intelligentiam aut maris, aut terræ non modò comprehendere animo, sed ne suspicione quidē possum attingere. Itaq; aliunde mihi quærendum est, vt & esse deos, & quales sint discere possim, quàm qualis tu eos esse velis. Videamus ea quæ sequuntur: primùm deorúmne prouidentia mundus regatur: deinde consulántne rebus humanis: hæc enim mihi ex tua partitione restant duo: de quibus si vobis videtur, accuratiùs differendum puto. Mihi verò, inquit Velleius, valde videtur. nam & maiora expecto, & his quæ dicta sunt, vehementer assentior. Tum Balbus, interpellare te, inquit, Cotta nolo: sed sumemus tempus aliud: efficiam profectò vt fateare.

sed.

multa desunt.

Nequaquam istuc istac ibit: magna inest certatio.

Nam vt ego illis supplicarem tanta blandiloquentia?

Niobe parúmne ratiocinari videtur, & sibi ipsa

ipsa nefariam pestem machinari? Illud verò quàm callida ratione,

Qui volt quod volt, ita dat se res, vt operam dabit.

qui est versus omnium seminator malorum.

Ille transuersa mẽte mihi hodie tradidit repagula,

Quibus ego iram omnem recludam, atq; illi perniciem dabo:

Mihi mærores, illi luctum: exitium illi, exilium mihi.

Hanc videlicet rationem, quam vos diuino beneficio homini solùm tributam dicitis, bestiæ non habent. Vidésne igitur quanto munere deorum simus affecti? Atq; eadem Medea patrem patriamq; fugiens:

*Postquam pater appropinquat, iamq; pænè vt comprehendatur, parat,

Puerum interea obtruncat, membraq; articulatim diuidit,

Perq; agros passim dispergit corpus: id ea gratia,

Vt dum nati dissipatos artus captaret parens,

Ipsa interea effugeret: illum vt mæror tardaret sequi,

Sibi salutem vt familiari pareret paricidio.

Huic vt scelus, sic nec ratio quidẽ defuit. Quid ille funestas epulas fratri comparans, nónne versat huc & illuc cogitatione rationem?

Maior

Maior mihi moles, maius miscendũ est malũ,

Quî illius acerbum cor contundam, & comprimam.

Nec tamen ille ipse est prætereundus, qui non sat habuit coniugem illexisse in stuprum: de qua rectè, & verissimè loquitur Atreus,

Quod re in summa summum esse arbitror

Periculum, matres coinquinari, regiam

Contaminari stirpem, admiscere genus.

At id ipsum quàm callidè qui regnum adulterio quæreret?

Addo (inquit) huc quòd mihi portento cælestum pater

Prodigium misit regni stabilimen mei,

Agnum inter pecudes aurea clarum coma

Quondã Thyestẽ clepere ausum esse è regia,

Qua in re adiutricem coniugem cepit sibi.

Videturne summa improbitate vsus non sine summa esse ratione? Nec verò scena solum referta est his sceleribus, sed multo vita communis pænè maioribus. Sentit domus vniuscuiusque, sentit forum, sentit curia, campus, socii, prouinciæ, vt, quemadmodum ratione rectè fiat, sic ratione peccetur: alterum, & à paucis, & rarò; alterum & sæpe, & à pluribus: vt satius fuerit nullam omnino nobis à dijs immortalibus datam esse rationem, quàm tanta cum pernicie datam. Vt vinum ægrotis, quia prodest rarò, nocet sæpissimè, melius est non

adhibere omnino, quàm spe dubiæ salutis in apertam perniciem incurrere: sic haud scio an melius fuerit humano generi motum illum celerem cogitationis, acumen, sollertiam, quam rationem vocamus, quoniam pestifera sit multis, admodum paucis salutaris, non dari omnino, quàm tam munificè, & tam largè dari. Quamobrem si mens, voluntas q; diuina circo consuluit hominibus, quòd ijs largita est rationem: ijs solis consuluit, quos bona ratione donauit: quos videmus, si modò vlli sunt, esse paucos: non placet autem paucis à dijs immortalibus esse consultum: sequitur ergo vt nemini consultum sit. Huic loco sic soletis occurrere. Non iccirco non optimè nobis à dijs esse prouisum, quòd multi eorum beneficio peruersè vterentur: etiam patrimonijs multos male vtimur, nec ob eam causam eos beneficium à patribus nullum habere. Quis illuc negat? aut quæ est in collatione ista similitudo? Nec enim Hercules Deianira nocere voluit, cùm ei tunicam sanguine Centauri tinctã dedit: nec prodesse Phæreo Iasoni, is qui gladio vomicam eius aperuit, quam sanare medici non poterant. Multi enim etiam cùm obesse vellent, profuerunt: & cùm prodesse, obfuerunt. Ita non fit ex eo, quod datur, vt voluntas eius, qui dederit appareat: nec si is qui accepit, bene vtitur, iccirco is, qui dedit, amicè dedit. Quæ enim libido, quæ auaritia

ritia, quod facimus aut suscipitur nisi consilio capto, aut sine animi motu, & cogitatione, id est, ratione perficitur? nam omnis opinio ratio est, & quidem bona ratio, si vera: malæ autem, si falsa est opinio. Sed à deo tantùm rationem habemus, si modò habemus: bonam autem rationem, aut non bonam, à nobis. Non enim vt patrimonium relinquitur, sic ratio homini est beneficio deorum data. Quid enim potius hominibus dedissent, si ijs nocere voluissent? Iniustitiæ autem, intemperantiæ, timiditatis quæ semina essent, si his vitijs ratio non subesset? Medea modò, & Atreus commemorabantur à nobis, heroicæ personæ, inita subductaq; ratione nefaria scelera meditantes. quid leuitates comicæ? parumne semper in ratione versantur? parumne subtiliter disputat ille in Eunucho?

-quid igitur faciam?

Excluſit, reuocat: redeam? non si me obsecret.

Ille vero in Synephebis Academicorum more contra communem opinionem non dubitat pugnare ratione, qui in amore summo, summaq; inopia suaue esse dixit.

Parentem habere auarum, illepidum, in liberos

Difficilem, qui te nec amet, nec studeat tui.

Atque huic incredibili sententiæ ratiunculas suggerit:

Aut tu illum fructu fallas: aut per litteras
Auertas aliquod nomen: aut per seruolum
Percutias pauidum: postremò, à parco patre
Quod sumas, quanto dissipas libentius?

Idemq; facilem, & liberalem patrem incommodum esse amanti filio dysputat: quem

Neq; quo pacto fallam, neq; quid inde auferam,
Nec quem dolum ad eum, aut machinam commoliar,
Scio quidquã: ita omnes meos dolos, fallacias,
Præstigias * præstrinxit commoditas patris.

Quid ergo isti doli, quid machinæ, quid fallaciæ, præstigiæq; nũ sine ratione esse potuerunt? O præclarum munus deorum: vt Phormio posset dicere,

Cedò senem: iam instructa mihi sunt in corde consilia omnia.

Sed exeamus è theatro: veniamus in forum: *sessum ite precor. quid vt iudicetur? qui tabularium incenderit. Quod facinus occultius? at se Q. Sosius splendidus eques R. ex agro Piceno feciſſe confessus est. Qui transcripserit tabulas publicas. id quoq; L. Alenius fecit, cùm chirographum sexprimorum imitatus est. Quid hoc homine sollertius? Cognosce alias quæstiones, auri Tolosani, coniurationis Iugurthinæ. Repete superiora, Tubuli de pecunia capta ob rem iudicandam: posteriora de incestu, rogatione

tione Peducea: tum hæc quotidiana, sicæ, venena, peculatus, testamentorum etiam lege noua quæstiones. Inde illa actio, Ope consilioq; tuo furtum aio factum esse; inde tot iudicia de fide mala, tutelæ, mandati, pro socio, fiduciæ: reliqua, quæ ex empto, aut vendito; conducto, aut locato contra fidem fiunt. Inde iudicium publicum rei priuatæ, lege Lectoria. Inde exercitium malitiarum omnium, iudicium de dolo malo: quod C. Aquillius familiaris noster protulit. quem dolum idem Aquillius tum teneri putat, cùm aliud sit simulatiũ, aliud actum. Hanc igitur à dijs immortalibus tantam arbitramur malorum sementem esse factã? Si enim rationem hominibus dij dederunt; & malitiam dederunt: est enim malitia versuta, & fallax nocendi ratio. idem autem dij fraudem dederunt, facinus, ceteraq;, quorum nihil nec suscipi sine ratione, nec effici potest. Vtinam igitur, vt illa anus optat,

ne in nemore Pelio securibus
Cæsa cecidisset abiegna ad terram trabes:

sic istam calliditatem hominibus dij ne dedissent: qua perpauci bene vtuntur; qui tamen ipsi sæpe à male vtentibus opprimuntur: innumerabiles autem improbè vtũtur: vt donum hoc diuinum rationis & consilij, ad fraudem hominibus, nõ ad bonitatem impertitum esse videatur. Sed vrgetis identidem, hominum esse istam

culpam, non deorum: vt, si medicus grauitatem morbi, gubernator vim tempestatis accuset. etsi hi quidem homunculi, sed tamen ridiculi. Quis enim te adhibuisset, dixerit quispiam, si ista nō essent? Contra deum licet disputare liberius. An hominum vitijs an esse culpam. Eam dedisses hominibus rationē, quæ vitia culpamq; excluderet. Vbi igitur locus fuit errori deorum? nam patrimonia spe bene tradēdi relinquimus, quæ possumus falli: deus falli quī potuit? An vt Sol in currum cùm Phaëthontem filium sustulit? aut Neptunus, cùm Theseus Hippolytum perdidit, cùm ter optādi à Neptuno patre habuisset potestatem? Poëtarum ista sunt: nos autem philosophi esse volumus rerum auctores, non fabularum. Atque ij tamen ipsi dij poëtici si scissent perniciosa fore illa filijs, peccasse in beneficio putarentur. Et, si verum est, quod Aristo Chius dicere solebat, Nocere audiētibus philosophos ijs, qui bene dicta male interpretarētur? posse enim asotos ex Arislippi, acerbos è Zenonis schola exire: prorsus si qui audierunt, vitiosi essent discessuri, quòd peruersè philosophorum disputationem interpretarētur: tacere præstaret philosophis, quā ijs, qui se audissent, nocere. Sic, si homines rationē bono cōsilio à dijs immortalibus datam, in fraudem malitiamq; cōuertunt: non dari illam, quàm dari humano generi melius fuit. vt, si medicus sciat eū ægrotum, tum, qui iussus sit vinū sumere, meracius sumpturum, statimq; periturum, magna sit in culpa: sic vestra ista prouidentia reprehendenda, quæ rationem dederit ijs, quos scierit ea peruerse & improbè vsuros. Nisi fortè dicitis eam nescisse. vtinam quidem: sed non audebitis: non enim ignoro, quāti eius nomē putetis. Sed hic quidem locus concludi iam potest. Nam si stultitia consensu omnium philosophorum maius est malum, quàm si omnia mala & fortunæ & corporis ex altera parte ponantur: sapientiam autem nemo assequitur: in summis malis omnes sumus, quibus vos optimè consultum à dijs immortalibus dicitis. Nā vt nihil interest, vtrum nemo valeat, an nemo possit valere: sic non intelligo quid interfit, vtrum nemo sit sapiens, an nemo esse possit. Ac nos quidem nimis multa de re apertissima. * Telamon autem vno versu locum totum conficit, vtrum dij homines negligant:

Nam si curent, bene bonis sit, male malis: quod nunc abest. Debebant illi quidem omnes bonos efficere, si quidem hominum generi consulebāt: sin id minus, bonis quidem certè consulere debebant. Cur igitur duos Scipiones, fortissimos, et optimos viros in Hispania Pœnus oppressit? cur Maximus extulit filium consularem? cur Marcellum Hannibal interemit? cur Paullum Cannæ sustulerunt? cur Pœnorum crudelitati

Reguli corpus est prǽbitum? cur Africanum domestici parietes non texerunt? Sed hæc vetera, & alia permulta, propiora videamus. Cur auunculus meus, vir innocentissimus, idemq; doctissimus P. Rutilius in exsilio est? cur sodalis meus interfectus domi suæ Drusus? cur temperantiæ, prudentiæq; specimen ante simulacrum Vestæ pontifex maximus est Q. Scæuola trucidatus? cur etiam antè tot ciuitatis principes à Cinna interempti? cur omnium perfidiosissimus C. Marius Q. Catulum præstantissima dignitate virum mori potuit iubere? Dies deficiat, si velim numerare quibus bonis male euenerit: nec minus, si cõmemorem quibus improbis optimè. Cur enim Marius tam feliciter septimùm consul domi suæ senex est mortuus? cur omniũ crudelissimus tam diu Cinna regnauit? At dedit pœnas. Prohiberi melius fuit impediriq; ne tot summos viros interficeret, quã ipsum aliquando pœnas dare. Summo cruciatu supplicioq; Varius homo importunissimus periit: sed quia Drusum ferro, Metellum veneno sustulerat, illos conseruari melius fuit, quàm pœnas sceleris Varium pendere. Duo de XL. Dionysius tyrannus annos fuit opulẽtissimæ, et beatissimæ ciuitatis. *Quàm multas ante hunc in ipso Græciæ flore Pisistratus, ac Phalaris, ac Apollodorus pœnas sustulit, multis quidem antè cruciatis, & necatis. Et prædones multi

sæpe pœnas dant: nec tamẽ possumus dicere, nõ plures captiuos acerbè, quã prædones necatos. Anaxarchum Democritum à Cyprio tyranno excarnificatum accepimus: Zenonem Eleatem in tormentis necatum. Quid dicam de Socrate? cuius morti illacrymari soleo Platonem legens. Vidésne igitur deorum iudicio si videntur humanas, discrimen esse sublatum? Diogenes quidẽ Cynicus dicere sosebat, Harpalum, qui temporibus illis prædo felix habebatur, cõtra deos testimonium dicere, quod in illa fortuna tamdiu viueret. Dionysius, de quo antè dixi, cùm fanũ Proserpinæ Locris expilauisset, nauigabat Syracusas: ísque cùm secundissimè cursum teneret, Videtísne, inquit, amici, quàm bona à dijs immortalibus nauigatio sacrilegis detur? Atque homo acutus, cùm bene planeq; percepisset, in eadem sentẽtia perseuerabat. qui cùm ad Peloponnesum classem appulisset, & in fanum venisset Iouis Olympij, aureum ei detraxit amiculum grandi pondere, quo Iouem ornarat ex manubijs Carthaginiẽsium tyrannus Gelo: atq; in eo etiam cauillatus est, *æstate graue esse aureum amiculum, hieme frigidum: eiq; laneum pallium iniecit, cùm id esse aptum ad omne anni tempus diceret. *Idemq; Aesculapij Epidauri barbam auream demi iussit, neque enim conuenire, barbatum esse filium, cùm in omnibus fanis pater imberbis esset. Iam

mensas argenteas de omnibus delubris iussit auferri: in quibus quòd more veteris Græciæ inscriptum esset *BONORVM deorum, vti se eorum bonitate velle dicebat. *Idē victoriolas aureas, & pateras, coronasq́; , quæ simulacrorum porrectis manibus sustinebātur, sine dubitatione tollebat: eāq; se accipere, non auferre dicebat. esse enim stultitiā, à quibus bona precaremur, ab ijs porrigentibus, & dātibus nolle sumere. Eundemq́; ferunt hæc, quæ dixi, sublata de fanis in forū protulisse, & per præconē vendidisse: exactaq́; pecunia edixisse, vt quod quisque à sacris haberet, id antè diem certam in suum quidq; fanum referret. ita ad impietatem in deos, in homines adiunxit iniuriam. Hunc igitur nec Olympius Iupiter fulmine percussit, nec Aesculapius misero diuturnoq́; morbo intabescentem interemit: atq; in suo lectulo mortuus, *in Tympanidis rogum illatus est: eamq́; potestatem, quam ipse per scelus erat nactus, quasi iustam, & legitimam, hereditatis loco filio tradidit. Inuita in hoc loco versatur oratio: videtur enim auctoritatem afferre peccādi: & rectè videretur, nisi & virtutis, & vitiorum sine vlla diuina ratione graue ipsius conscientiæ pondus esset: qua sublata, iacent omnia. Vt enim nec domus, nec respub. ratione quadam, & disciplina designata videatur, si in ea nec rectè factis præmia exstent vlla, nec supp

supplicia peccatis: sic mundi diuina in homines moderatio profectò nulla est, si in ea discrimen nullum est bonorum, & malorum. At enim minora dij negligunt, neque agellos singulorum, nec viticulas persequuntur, nec si vredo aut grando quippiam nocuit, id Ioui animaduertendum fuit. Ne in regnis quidem reges omnia minima curant. Sic enim dicitis, quasi ego paullò antè de fundo Formiano P. Rutilij sim questus, non de amissa salute. Atque hoc quidem omnes mortales sic habent, externas cōmoditates, vineta, segetes, oliueta, vbertatem frugum, & fructuum, omnem denique commoditatem, prosperitatemq́; vitæ à dijs se habere: virtutem autem nemo vmquam acceptam deo retulit. nimirum rectè: propter virtutem enim iure laudamur, & in virtute rectè gloriamur, quod non contingeret si id donum à deo, non à nobis haberemus. At verò aut honoribus aucti, aut re familiari, aut, si aliud quippiam nacti sumus fortuiti boni, aut depulimus mali, eùm dijs gratias agimus, tum nihil nostræ laudi assumptum arbitramur. Num quis quòd bonus vir esset, gratias dijs egit vmquā? at quòd diues, quòd honorat⁹, quòd incolumis. Iouemq́; optimum maximum ob eas res appellant, non quòd nos iustos, temperatos, sapientes efficiat, sed quòd saluos, incolumes, opulentos, copiosos: Neq; Herculi quisquam decumam vouit

nouit vmquam, si sapiens factus esset. quãquam *Pythagoras, cùm in geometria quiddam noui inuenisset, musis bouem immolasse dicitur. Sed id quidem non credo, quoniam ille ne Apollini quidem Delio hostiam immolare voluit, ne aram sanguine aspergeret. Ad rem autem vt redeam, iudicium hoc omnium mortalium est, fortunam à deo petendam; à se ipso sumendam esse sapientiam. Quamuis menti delubra, & virtuti, & fidei cõsecremus: tamen hæc in nobis ipsis sita videmus: spei, salutis, opis, victoriæ facultas à dijs expetenda est. Improborum igitur prosperitates, secundæq; res redarguunt (vt Diogenes dicebat) vim omnem deorum, ac potestatem. At nonnumquam bonos exitus habent boni. eos quidem ascribimus, attribuimusq; sine vlla ratione dijs immortalibus. At Diagoras, cùm Samothraciam venisset, atheos ille qui dicitur, atq; ei quidam amicus, Tu qui deos putas humana negligere, nõne animaduertis ex tot tabellis pictis, quàm multi votis vim tempestatis effugerint, in portumq; salui peruenerint? Ita fit, inquit. illi enim nusquam picti sunt, qui naufragium fecerunt, in marique perierunt. Idemq;, cùm ei nauiganti vectori aduersa tempestate timidi, & perterriti dicerent, non iniuria sibi illud accidere, qui illum in eandem nauem recepissent, ostendit eis in eodem cursu multas alias laborãtes; quæsiuitq; num

num etiam in ijs nauibus Diagoram vehi crederẽt. Sic enim sese res habet, vt ad prosperam aduersam'ue fortunam, qualis sis, aut quemadmodum vixeris, nihil interfit. Nõ animaduertunt, inquit, omnia dij: ne reges quidem. Quid est simile? reges enim si scientes prætermittunt, magna culpa est. At deo ne excusatio quidem est insciẽtiæ: quem vos præclarè defenditis, cùm dicitis eam vim deorum esse, vt etiam, si quis morte pœnas sceleris effugerit, expetantur eæ pœnæ à liberis, à nepotibus, à posteris. O miram æquitatem deorum! Ferrétne vlla ciuitas latorem istiusmodi legis, vt condemnaretur filius aut nepos, si pater aut auus deliquisset?

*Quinam Tantalidarum internecioni modus
Paretur? aut quænã vnquã ob mortẽ Myrtili
Pœnis luendis dabitur satias supplicij?

Vtrum poëtæ Stoicos deprauauerint, an Stoici poëtis dederint auctoritatem, non facilè dixerim: portenta enim et flagitia ab vtrisq; dicuntur. Neq; enim quem Hipponactis iambus læserat, aut qui erat Archilochi versu vulneratus, à deo immissum dolorẽ, nõ conceptum à se ipso cõtinebat; nec cùm Aegisthi libidinẽ, aut cùm Paridis videmus, à deo caussam requirimus, cùm culpæ pœne vocem audiamus. nec ego multorum ægrorum salutem nõ ab Hippocrate potius, quam ab Aesculapio datam iudico, nec Lacedæmoniorum disciplinam dicam vmquam

ab

ab Apolline potius Spartæ, quàm à Lycurgo datã. Critolaus, inquam, euertit Corinthum, Carthaginem Asdrubal. Hi duos illos oculos oræ maritimæ effoderunt: non iratus alicui, quem omnino irasci posse negatis deum. At subuenire certè potuit, & cõseruare vrbes tantas, atq; tales. Vos enim ipsi dicere soletis, nihil esse, quod deus efficere non possit, & quidem sine labore vllo: vt enim hominum membra nulla contentione, mente ipsa, ac voluntate moueantur, sic numine deorum omnia fingi, inoueri, mutariq; posse. Neq; id dicitis superstitiosè, atq; aniliter, sed physica constantiq; ratione: materiam enim rerum, ex qua, & in qua omnia sint, totam esse flexibilem, & commutabilem, vt nihil sit, quod non ex ea quamuis subitò fingi, conuertiq; possit. Eius autem vniuersæ fictricem, & moderatricem diuinam esse prouidentiam. hanc igitur quocumq; se moueat, efficere posse quidquid velit. Itaq; aut nescit quid possit, aut negligit res humanas, aut quid sit optimum nõ potest iudicare. Nũ curat singulos homines. non mirum: ne ciuitates quidem. non hanc ne nationes quidem, et gentes. Quòd si has etiam contemnet, quid mirum est omne ab eo genus humanũ esse contemptum? Sed quo modo ijdem dicitis, non omnia deos persequi, ijdem vultis, à dijs immortalibus hominibus dispartiri ac diuidi somnia? Iccirco somnia hæc tecũ, quia

quia vestra est de somniorũ veritate sentẽtia. Atq; ijdem etiam vota suscipi dicitis oportere. nẽpe singuli vouent. Audit igitur mens diuina etiam de singulis. Videtis ergo, eam nõ esse tam occupatam quàm putabatis? Eae esse distẽtam, cælum versantem, terram tuentem, maria moderantem. cur tam multos deos nihil agere, & cessare patitur? Cur nõ rebus humanis aliquos otiosos deos præfecit, qui à te, Balbe, innumerabiles explicati sunt? Hæc ferè dicere habui de natura deorum, non vt eam tollerem, sed vt intelligeretis, quàm esset obscura, & quàm difficiles explicatus haberet. Quæ cũ dixisset Cotta, finem fecit. Lucilius autem, Vehementius, inquit, tu quidem, Cotta inuectus es in meram Stoicorum rationem, quæ de prouidentia deorum ab illis sanctissimè, & prouidẽtissimè constituta est. sed quoniã aduesperascit; dabis diem nobis aliquem, vt contra ista dicamus: est enim mihi tecum pro aris & focis certamen, & pro deorum templis, atq; delubris, proq; vrbis muris, quos vos pontifices sanctos esse dicitis, diligentiusq; vrbem religione, quàm ipsis mœnibus cingitis. quæ deseri à me, dũ quidẽ spirare potero, nefas iudico. Tũ Cotta, Ego verò et opto redargui me Balbe, & ea, quæ disputaui, differre malui quã iudicare: et facile me à te vinci posse certo scio. Quippe, inquit Velleius, qui etiã somnia putet ad nos mitti ab Ioue: quæ ipsa tamẽ

tam.

tam leuia non sunt, quàm est Stoicorum de natura deorum oratio. Hæc cùm essent dicta, ita discessimus, vt Velleio Cottæ disputatio verior, mihi Balbi ad veritatis similitudinem videretur esse propensior.

M. T. CICERONIS DE DIVINATIONE LIBER I.

VETVS opinio est, iam vsque ab heroicis ducta temporibus, eaq; & populi Rom. & omnium gentium firmata cõsensu, versari quandam inter homines diuinationem, quàm Græci μαντικὴν appellant, id est præsensionem, & scientiam rerum futurarũ. Magnifica quædam res & salutaris, si modò est vlla, * quæq; proxima ad deorum vim natura mortali possit accedere. Itaq;, vt alia nos melius multa, quàm Græci, sic huic præstantissimæ rei nomen nostri à diuis, Græci, vt Plato interpretatur, à furore duxerunt. Gentem quidem nullam video, neq; tam humanam, atq; doctam, neque tam immanem, támque barbaram, quæ non significari futura, & à quibusdam intelligi, prædicíq; posse censeat. Principio Assyrij, vt ab vltimis auctoritatem repetam, propter planitiem magnitudinemq; regionum quas incolebant, cùm cælum ex

ex omni parte patens, atq; apertum intuerentur, traiectiones, motusq; stellarum obseruauerunt: quibus notatis, quid cuique significaretur, memoriæ prodiderunt. Qua in natione Chaldæi non ex artis, sed ex gentis vocabulo nominati, diuturna obseruatione siderũ, scientiam putantur effecisse, vt prædici posset quid cuique euenturum, & quo quisque fato natus esset. Eandem artem etiam Aegyptij longinquitate temporum innumerabilibus pænè seculis consecuti putantur. Cilicum autem, & Pisidarum gens, & his finitima Pamphylia, quibus nationibus præfuimus ipsi, volatibus auium, cantibusq;, vt certissimis signis declarari res futuras putant. Quam vero Græcia coloniam misit in * Aetoliam, Ioniam, Asiam, Siciliam, Italiam, sine Pythio aut Dodonæo, aut Ammonis oraculo? aut quod bellum susceptum ab ea sine consilio deorum est? Nec vnum genus est diuinationis publicè priuatímque celebratum. Nam, vt omittam ceteros populos, noster quàm multa genera complexus est? Principio huius vrbis parens Romulus non solùm auspicato vrbem condidisse, sed ipse etiam optimus augur fuisse traditur. Deinde auguribus, & reliqui reges vsi: & exactis regibus nihil publicè sine auspicijs, nec domi, nec militiæ gerebatur. Cumq; magna vis videretur esse & in impetrandis consulen-

n. disq;

disq; rebus, & in monstris interpretandis, ac procurandis in haruspicum disciplina: omnem hanc ex Etruria scientiam adhibebant, ne genus esset vllum diuinationis quod neglectũ ab ijs videretur. Et cùm duobus modis animi sine ratione, & scientia, motu ipsi suo soluto, & libero incitarẽtur, vno furente, altero somniante: furoris diuinationem Sibyllinis maximè versibus contineri arbitrati, eorũ decem interpretes delectos ex ciuitate esse voluerunt. Ex quo genere sæpe ariolorum etiam, & vatum furibundas prædictiones, vt Octauiano bello Cornelij Culleoli, audiẽdas putauerũt. Nec verò somnia grauiora, si quæ ad rempu. pertinere visa sunt, à summo consilio neglecta sunt. Quin etiam memoria nostra templum Iunonis Sospitæ L. Iulius, qui cùm P. Rutilio consul fuit, de senatus sententia refecit ex Cæciliæ Balearici filiæ somnio. Atq; hæc, vt ego arbitror, veteres rerum magis euentis moniti, quàm ratione docti probauerunt. Philosophorum verò exquisita quædam argumenta, cur esset vera diuinatio, collecta sunt. Ex quibus, vt de antiquissimis loquar, Colophonius Xenophanes vnus qui deos esse diceret, diuinationem funditus sustulit. Reliqui verò omnes præter Epicurum balbutientem de natura deorum, diuinationem probauerunt. sed non vno modo. Nam cùm Socrates, omnesq; Socratici, Zenoq;, & ij, qui ab eo

eo essent profecti, manerent in antiquorum philosophorum sententia, vetere Academia, & Peripateticis consentientibus: cumq; huic rei magnam auctoritatem Pythagoras iam antè tribuisset, qui etiam ipse augur vellet esse: plurimiq; locus grauis auctor Democritus præsensionem rerum futurarum comprobaret: *Dicæarchus Peripateticus cetera diuinationis genera sustulit. somniorũ, & furoris reliquit. Cratippusq; familiaris noster, quem ego parem summis Peripateticis iudico, ijsdem rebus finem tribuit, reliqua diuinationis genera reiecit. Sed cùm Stoici omnia ferè illa defenderent, quod & Zeno in suis commentarijs quasi somnia quædam sparsisset, & ea Cleanthes paullo vberiora fecisset: accessit acerrimo vir ingenio Chrysippus, qui totam de diuinatione duobus libris explicauit sententiam, vno præterea de oraculo, vno de somnijs: quem subsequens, vnum librum Babylonius Diogenes edidit, eius auditor: duos Antipater, quinque noster Posidonius. Sed à Stoicis vel principibus eius disciplinæ, Posidonij doctor, discipulus Antipatri, degeneravit Panætius: nec tamen ausus est negare vim esse diuinandi, sed dubitare se dixit. Quod illi in aliqua re inuitissimis Stoicis Stoico facere licuit, id nos vt in reliquis rebus faciamus, à Stoicis non concedetur? præsertim, cùm id, de quo Panætio non liquet,

reliquis eiusdem disciplinæ solis videatur luce clarius. Sed hæc quidem laus Academiæ præstantissimi philosophi iudicio, & testimonio comprobata est. Etenim nobismetipsis quærentibus quid sit de diuinatione iudicandum, quòd à Carneade multa acutè, & copiosè contra Stoicos disputata sint, verentibusq; ne temere vel falsæ rei, vel nõ satis cognitæ assentiamur, faciendum videtur, vt diligẽter etiã, atq; etiam argumenta cum argumentis comparemus, vt fecimus in ijs tribus libris, quos de natura deorum scripsimus. Nam cùm omnibus in rebus temeritas in assentiendo, errorq; turpis est, tum in eo loco maximè, in quo iudicãdum est quantum auspicijs rebusq; diuinis, religionique tribuamus. Est enim periculum, ne aut neglectis ijs, impia fraude, aut susceptis, anili superstitione obligemur. Quibus de rebus, & aliàs sæpe, & paullo accuratius nuper, cùm essem cum Q. fratre in Tusculano disputatum est. Nam cùm ambulandi caussa in Lyceum venissemus (id enim superiori gymnasio nomen est) Perlegi, inquit ille, tuum paullo antè tertium de natura deorum: in quo disputatio Cottæ quamquam labefactauit sententiam meam, non funditus tamen sustulit. Optimè verò, inquam: etenim ipse Cotta sic disputat, vt Stoicorum magis argumenta confutet, quàm hominum deleat religionem. Tum Quinctus, Dicitur quidem

dem istud, inquit, à Cotta, & verò sæpius, credo ne communi iure migrare videatur: sed studio contra Stoicos disserendi, deos mihi videtur funditus tollere. Eius orationi non sanè desidero quid respondeam: satis enim defensa religio est in secundo libro à Lucilio: cuius disputatio tibi ipsi, vt in extremo tertio scribu, ad veritatem est visa propensior. Sed quod prætermissum est in illis libris, credo quia commodius arbitratus es separatim id quæri, deq; eo disseri, id est de diuinatione, quæ est earum rerum, quæ fortuitæ putantur, prædictio, atque præsensio: id si placet, videamus quam habeat vim, & quale sit. Ego enim sic existimo: si sint ea genera diuinandi vera, de quibus accepimus, quæq; colimus, esse deos: vicissimq;, si dij sint, esse qui diuinent. Arcem tu quidem Stoicorum, inquam, Quincte defendis. siquidem ista reciprocantur: vt &, si diuinatio sit, dij sint: & si dij sint, sit diuinatio. quorum neutrum tam facilè quàm tu arbitraris, conceditur. Nam & natura significari futura sine deo possunt: &, vt sint dij, potest fieri vt nulla ab ijs diuinatio generi humano tributa sit. Atque ille, Mihi verò, inquit, satis est argumenti, & esse deos, & consulere rebus humanis, quod esse clara, & perspicua diuinationis genera iudico. De quibus quid ipse sentiam, si placet, exponam: ita tamẽ,

si vacas animo, neq; habes aliquid, quod huic sermoni præuertendum putes. Ego verò, inquam, philosophiæ Quincte semper vaco: hoc autem tempore, cùm sit nihil aliud quod libenter agere possimus, multo magis aueo audire de diuinatione quid sentias. Nihil, inquit, equidem noui, nec quod præter ceteros ipse sentiam: nam cùm antiquissimam sententiam, tum omnium populorum & gentium consensu comprobatam sequor. Duo sunt enim diuinandi genera: quorum alterum artis est, alterum naturæ. Quæ est autem gens, aut quæ ciuitas, quæ non aut extis pecudum, aut mõstra, aut fulgura interpretantium, aut augurum, aut astrologorum, aut sortium, (ea enim ferè artis sunt) aut somniorum, aut vaticinationum (hæc enim duo naturalia putantur) prædictione moueatur? Quarum quidem rerum euenta magis arbitror quàm causas quæri oportere. Est enim vis, & natura quædã, quæ tum obseruatis longo tempore significationibus, tum aliquo instinctu instatuq; diuino futura prænuntiat. Quare omittat vrgere Carneades, quod faciebat etiam Panætius, requirens Iupiterne cornicem à læua, coruũ à dextra canere iussisset. Obseruata sunt hæc tempore immenso, & significatione euentus animaduersa, & notata. Nihil est autem quod non longinquitas temporum, excipiente memoria prodendisq; monumentis efficere atq; assequi possit. Mirari licet quæ sint animaduersa à medicis herbarum genera, quæ radicum ad morsus bestiarum, ad oculorum morbos, ad vulnera, quorum vim, atq; naturam ratio numquam explicauit: vtilitate & ars est, & inuentor probatus. Age, ea quæ quamquam ex alio genere sunt, tamen diuinationi sunt similiora, videamus.

Atq; etiam ventos præmonstrat sæpe futuros
Instatũ mare, cùm subito penitusq; tumescit:
Saxáq; cana salis niueo spumata liquore
Tristificas certant Neptuno reddere voces:
Aut densus stridor cum celso è vertice montis
Ortus adaugescit scopulorum sæpe repulsu.

Atque his rerum præsensionibus prognostica tua referta sunt. Quis igitur elicere caussas præsensionum potest? etsi video Boëthum Stoicum esse conatum, qui hactenus aliquid egit, vt earum rationem rerum explicaret, quæ in mari cælóve fierent. illa verò cur eueniant, quis probabiliter dixerit?

*Cana fulix itidem fugiens è gurgite ponti,
Nuntiat horribiles clamans instare procellas,
Haud modicos tremulo fundens è gutture cantus,
Sæpe etiam pertriste canit de pectore carmẽ,
Et matutinis Acredula vocibus instat,
Vocibus instat, & assiduas iacit ore querelas,

Cùm primùm gelidos rores aurora remittit.
Fuscaq; nonnumquam cursans per litora cornix

Demersit caput, & fluctum ceruice recepit.

Videmus hæc signa numquam ferè ementientia: nec tamen, cur ita fiat, videmus.

Vos quoque signa videtis aquai dulcis alumnæ,
Cùm clamore paratis inanes fundere voces,
Absurdoq; sono fontes, & stagna cietis.

Quis est, qui ranunculos hoc videre suspicari possit? sed inest mirè & ranunculis quædam natura significans aliquid, per se ipsa satis certa, cognitioni autem hominum obscurior.

Mollipedesq; boues spectantes lumina cæli
Naribus humiferum duxere ex aëre succum.

Non quæro cur, quoniam, quid eueniat intelligo.

Iam verò semper viridis, semperq; grauata
Lentiscus triplici solita grandescere fetu,
Ter fruges fundens, tria tempora monstrat arandi.

Ne hoc quidem quæro, cur hæc arbor vna ter floreat, aut cur arandi maturitatem ad signum floris accommodet. Hoc sum contentus, quòd etiam si quo modo quidque fiat ignorem, quid fiat intelligo. Pro omni igitur diuinatione idem, quod pro omnibus ijs rebus, quas commemorauí, respondebo. Quid scamoneæ radix ad purgandum,

gandum, * quid Aristolochia ad morsus serpentum possit, quæ nomen ex inuentore repperit, rem ipsam inuentor ex somnio, video, quod satis est: cur possit, nescio. sic ventorum, & imbrium signa, quæ dixi, rationem, quam habeant, non satis perspicio: vim, & euentum agnosco, scio, approbo. similiter, quid fissum in extis, quid fibra valeat, accipio: quæ caussa sit, nescio. Atque horum quidem plena vita est: extis enim omnes ferè vtuntur. Quid de fulgurum vi? dubitare num possumus? nónne cùm multa alia mirabilia, tum illud in primis? cùm Summanus in fastigio Iouis optimi maximi, qui tum erat fictilis, è cælo ictus esset, nec vsquam eius simulacri caput * inueniretur, haruspices in Tiberim id depulsum esse dixerunt; idq; inuentum est eo loco, qui est ab haruspicibus demonstratus. Sed quo potius vtar aut auctore, aut teste, quàm te? cuius edidici etiam versus, & libenter quidem, quos in secundo * consulatu Vrania musa pronuntiat.

Principiò, ætherio flammatus Iuppiter igni
Vertitur, & totum collustrat lumine mundũ,
Menteq; diuina cælum terrasq; petessit:
Quæ penitus sensus hominum, vitasq; retentat,
Aetheris æterni septa, atque inclusa cauernis.
Et si stellarum motus cursusq; vagantis

Nosse velis, quæ sint signorum in sede locatæ,
Quæ verbo, & falsis Graiorum vocibus errant,
Re vera certo lapsu, spatioq; feruntur:
Omnia iam cernes diuina mente notata.
Nam primùm astrorum volucres, te consule motus,
Concursusq; graues stellarum ardore micantes,
Tu quoque, cùm tumulos Albano in monte niuales
Lustrasti, & læto mactasti lacte Latinas,
Vidisti, & claro tremulos ardore cometas.
Multaq; miscerí nocturna sirage putasti,
Quod ferme dirum in tempus cecinere Latinæ,
Cùm claram speciem concreto lumine luna
Abdidit, & subitò stellati nocte peremptа est.
*Quid verò Phœbi fax, tristis nuncia belli,
Quæ magnum ad columen flammato ardore volabat,
Præcipites cæli partes, obitusq; petisset:
Aut cum terribili perculsus fulmine ciuis,
Luce serenanti * vitalia lumina liquit:
Aut cũ se grauido tremefecit corpore tellus.
Iam verò variæ nocturno tempore visæ
Terribiles formæ bellum, motusq; monebant:
Multaq; per terras vates oracla furenti

Pect

Pectore fundebant tristes minitantia casus:
Atq; ea, quæ lapsu tandem cecidere vetusto,
Hæc fere, perpetuis signis, clarisq; frequentans
Ipse deûm genitor cælo, terrisq; canebat.
Nunc ea, Torquato quæ quondam, & consule Cotta
Lydius ediderat Tyrrhenæ gentis haruspex,
Omnia fixa tuus glomerans determinat annus.
Nam pater altitonans stellanti nixus olympo
Ipse suos quondam tumulos, ac templa petiuit,
Et Capitolinis iniecit sedibus igneis.
Tum species ex ære vetus, *generataq; Nattæ
Concidit, elapsæq; vetusto numine leges:
Et diuûm simulacra peremit fulminis ardor.
Hic siluestris erat, Romani nominis altrix,
Martia, quæ paruos Mauortis semine natos
Vberibus grauidis vitali rore rigabat:
Quæ tum cùm pueris flammato fulminis ictu
Concidit, atq; auulsa pedum vestigia liquit.
Tum quis non artis scripta, ac monumenta volutans,
Voces tristificas chartis promebat Etruscis?
Omnes ciuili generosam stirpe profectam
Vitare ingentẽ cladem, pestemq; monebant:

Vel

Vel legum exitium constanti voce ferebant,
Templa deumq; adeò flammis, vrbesq; iubebant
Eripere, & stragem horribilem, cædemq; vereri:
Atque hæc fixa graui fato, ac fundata teneri,
*Ni post excisum ad columen formata decore
Sancta Iouis species claros spectaret in ortus:
Tum fore, vt occultos populus, sanctusq; senatus
Cernere conatus posset, si solis ad ortum
Conuersa, inde patrum sedes, populiq; videret.
Hæc tardata diu species, multumq; morata
Consule te tandem celsa est in sede locata:
Atq; vna fixi, ac signati temporis hora
Iuppiter excelsa clarabat sceptra columna:
Ac clades patriæ flamma, ferroq; parata,
Vocibus Allobrogum, patribus, populoq; patebat.
Rite igitur veteres, quorum monumenta teneris,
Qui populos, vrbesq; modo, ac virtute regebant:
Rite etiam vestri, quorum pietas q; fides q;
Præstitit, & longè vicit sapientia cunctos,
Præcipuè ingenti coluerunt numine diuos.

Hæc

Hæc adeò penitus cura videri sagaci
Otia qui studijs læti tenuere decoris,
Inq; Academia vmbrifera, nitidoq; Lyceo
Fuderunt claras fecundi pectoris artes.
E quibus ereptum primo iam à flore iuuentæ,
Te patria in media virtutum mole locauit.
Tu tamen anxiferas curas requiete relaxas,
Quod patriæ voces studijs, nobisq; sacrasti.
Tu igitur animum poteris inducere contra ea, quæ à me disputantur, de diuinatione dicere, qui & gesseris ea, quæ gessisti, & ea quæ pronuntiaui, accuratissime scripseris? Quid quæris Carneade, cur hæc ita fiant, aut qua arte perspici possint? nescire me fateor: euenire autem, te ipsum dico videre. Casu, inquis. Itáne vero quidquam potest esse casu factum, quod omnes habet in se numeros veritatis? Quatuor tali iacti, casu venereum efficiunt. Num etiam centum venereos, si C C C C. talos ieceris, casu futuros putas? aspersa temere pigmenta in tabulâ, oris lineamenta effingere possunt: num etiam Veneris Gnidiæ, Coæq; pulchritudinem effingi posse aspersione fortuita putas? sus rostro si humi A litterâ impresserit, num propterea suspicari poteris Andromacham Ennij ab ea posse describi? fingebat Carneades, in Chiorum lapicidinis saxo diffisso caput extitisse Panisci. Credo, aliquam non dissimilem figuram, sed cer

sed certè non talem, vt eam factam à Scopa dicerem: sic enim se profectò res habet, vt nũquam perfectè veritatem casus imitetur. At nonnũquam ea, quæ prædicta sunt, minus eueniunt. quæ tandem id ars non habet? earum dico artium, quæ coniectura continentur, & sunt opinabiles. An medicina ars non putanda est? quam tamen multa fallunt. Quid, gubernatores nónne fallũtur? an Achiuorum exercitus, & tot nauium rectores non ita profecti sunt ab Ilio, vt profectione lætipiscium lasciuiam intuerentur, vt ait Pacuuius, nec tuendi satietas capere posset?

Interea propè iam occidente sole inhorrescit mare,
Tenebræ conduplicantur, nocturnique & nimbũm occæcat nigror.

Num igitur tot clarissimórũ ducum, regumq; naufragium sustulit artem gubernandi? aut num imperatorum scientia nihil est, quia summus imperator nuper fugit amisso exercitu? aut num propterea nulla est reip. gerendæ ratio, atq; prudentia, quia multa Cn. Pompeium, quædam M. Catonem, nonnulla etiam te ipsum fefellerunt? Similis est haruspicum responsio, omnèq; opinabilis diuinatio: coniecturâ enim nititur: vltra quam progredi non potest, ea fallit fortasse nonnumquam, sed tamen ad veritatem sæpissimè dirigit: est enim ab omni

æternitate repetita: in qua cùm pænè innumerabiles res eodem modo euenirent iisdem signis antegressis, ars est effecta, eadem sæpe animaduertendo, atq; notando. Auspicia verò vestra quàm constant? quæ quidem nunc à Romanis auguribus ignorantur, bona hoc tua venia dixerim: à Cilicibus, Pamphilijs, Pysidis, Licijs tenentur. Iam quid ego hospitem nostrum, clarissimum, atque optimum virum, Deiotarum regem commemorem? qui nihil vnquam nisi auspicato gerit: qui cùm ex itinere quodam proposito, & iam constituto reuertisset aquilæ admonitus volatu, conclaue illud, vbi erat mansurus, si ire perrexisset, proxima nocte corruit. itaq; vt ex ipso audiebam, persæpe reuertit ex itinere, cũ iam progressus esset multorum dierũ viam. cuius quidem hoc præclarissimum est, quòd posteaquàm à Cæsare tetrarchiæ regno, pecuniáq; multatus est, negat se tamen eorum auspiciorum, quæ sibi ad Pompeium proficiscenti secunda euenerint, pænitere. senatus enim auctoritatem, & populi Rom. libertatem, atque imperij dignitatem suis armis esse defensam: sibiq; eas anes, quibus auctoribus officium, & fidem secutus esset, bene consuluisse: antiquiorem enim sibi fuisse possessionibus suis gloriam. ille igitur mihi videtur vere augurari. nam nostri quidem magistratus auspicijs vtuntur coactiũ: necesse enim est offa obiecta cad

cta cadere frustum ex pulli ore, cùm pascitur. Quod autem scriptum habetis, *aut tripudium fieri, si ex ea quid in solidum ceciderit: hoc quoque, quod dixi coactum, tripudium solistimum dicitis. itaque multa auguria, multa auspicia, quod Cato ille sapiens queritur, negligentia collegij amissa planè, & deserta sunt. Nihil ferè quondam maioris rei, nisi auspicato, ne priuatim quidem gerebatur: quod etiam nunc nuptiarum auspices declarant, quire omissa, nomen tantum tenent. nam vt nunc exitis, quamquam id ipsum aliquanto minus, quàm olim sitis auibus magnæ res *impertiri solebant. itaq; sinistra dum non exquirimus, in dira, & in vitiosa incurrimus, vt P. Claudius Appij Caci filius, eius q; collega L. Iunius classes maximas perdiderunt, cùm vitio nauigassent. quod eodem modo euenit Agamemnoni. qui cùm Achiui cæpissent

Inter se strepere, aperteq; artem obterere extispicum,
Soluere imperat secundo rumore, *auersas auis.

Sed quid vetera? M. Crasso quid acciderit videmus, dirarum obnuntiatione neglecta. in quo Appius collega tuus, bonus augur, vt ex te audire soleo, non satis scienter virum bonum, & ciuem egregium censor P. *Aetheium notauit, quod ementitum auspicia subscripserit. Esto:

Esto: fuerit hoc cẽsoris, si iudicabat ementitum. at illud minime auguris, quòd ascripsit ob eam caussam populũ R. *calamitatem maximam cepisse: si enim ea caussa calamitatis fuit, nõ in eo est culpa, qui obnuntiauit, sed in eo, qui nõ paruit: veram enim fuisse obnuntiationem, vt ait idem augur, & censor, exitus approbauit. quæ si falsa fuissent, nullam afferre potuissent caussam calamitatis: etenim diræ, sicut cetera auspicia, vt omina, vt signa, non caussas afferunt cur quid eueniat, sed enuntiant euentura, nisi prouideris. Non igitur obnuntiatio Aetheij caussam finxit calamitatis, sed, signo obiecto, monuit Crassum, quid euenturus esset, nisi causisset. Ita aut illa obnũtiatio nihil valuit: aut si, vt Appius iudicat, valuit, id valuit, vt peccatum hæreat non in eo, qui monuerit, sed in eo, qui non obtemperarit. Quid lituus iste vester, quod clarissimum est insigne auguratus, vnde vobis est traditus? nempe eo Romulus regiones direxit tum, cùm vrbem condidit. qui quidem Romuli lituus, id est, incuruum, & leuiter à summo inflexum bacillum, quod ab eius litui, quo canitur, similitudine nomen inuenit: cùm situs esset in curia Saliorum, quæ est in palatio, eaq; deflagrasset, inuentus est integer. Quid multis annis post Romulum, Prisco regnante Tarquinio? quis veterum scriptorum non loquitur, quæ sit ab Attio Nauio per lituum regio-

num facta descriptio? qui cùm propter paupertatem sues puer pasceret, vna ex his amissa, vouisse dicitur, si recuperasset, vuam se deo daturum, quæ maxima esset in vinea. Itaq; sue inuenta, ad meridiem spectãs, in vinea media dicitur constitisse: cũq; in quattuor partes vineã diuisisset, triũq; partes aues abdixissent, quarta parte, quæ erat reliqua, in regione distributa, mirabili magnitudine vuã, vt scriptum videmus, inuenit. Qua re celebrata, cùm vicini omnes ad vnum de rebus suis referrent, erat in magno nomine, & gloria. ex quo factum est, vt eum ad se rex Priscus accerseret. cuius cùm tentaret scientiã auguratus, dixit ei se cogitare quiddam: id posse ne fieri cõsuluit. ille augurio acto, posse respondit. Tarquinius autem dixit, se cogitasse cotem nouacula posse præcidi. rum Attium iussisse experiri: ita cotem in comitium illatam inspectante, & rege, & populo nouacula esse discissam. Ex eo euenit, vt & Tarquinius augure Attio Nauio vteretur, & populus de suis rebus ad eum referret. Cotem autem illam, & nouaculam defossam in comitio, supraq; impositum puteal accepimus. Negemus omnia, comburamus annales, ficta hæc esse dicamus, quidvis demiq; potius, quàm deos res humanas curare, fateamur: quid, quod apud te scriptũ est de Ti. Graccho, nónne & augurum, & harusticum comprobat disciplinam? qui

qui cùm tabernaculum vitio cepisset imprudẽs, quòd inauspicato pomerium transgressus esset, comitia consulibus rogandis habuit. Nota res est, & à te ipso mandata monumentis. sed & ipse augur Ti. Gracchus auspiciorũ auctoritatem confessione errati sui comprobauit, & haruspicũ disciplinæ magna accessit auctoritas; qui recentibus comitijs in senatum introducti, negauerunt iustum comitiorum rogatorem fuisse. Iis igitur assentior, qui duo genera diuinationis esse dixerunt: vnum, quod particeps esset artis: alterum, quod arte careret: est enim ars in ijs, qui nouas res coniectura persequuntur, veteres obseruatione didicerunt. carent autem arte ij, qui non ratione, aut coniectura obseruatis, ac notatis signis, sed concitatione quadam animi, aut soluto, liberoq; motu futura præsentiunt. quod & somniantibus sæpe contingit, & nonnumquam vaticinantibus per furorem, vt Bacchis Bœotius, vt Epimenides Cres, vt Sibylla Erythrea. Cuius generis oracula etiam habenda sunt, non ea, quæ æquatis sortibus ducuntur: sed illa, quæ instinctu diuino, affatuq; funduntur. etsi ipsa sors contemnenda non est, si & auctoritatem habet vetustatis, vt ea sunt sortes, quas è terra editas accepimus: quæ tamen ductæ, vt in rem aptè cadant, fieri posse credo diuinitus. quorum omnium interpres, vt grammatici poëtarum, proximè ad eorum

rum, quos interpretantur, diuinationem videntur accedere. Quæ est igitur ista calliditas, res vetustate robustas calumniando velle peruertere? non reperio causſam. latet fortasse obscuritate inuoluta naturæ: non enim me deus ista scire, sed his tantùmodo vti voluit. Vtar igitur, *nec abducar, vt rear aut in extis totã Etruriam delirare, aut eandem gentem in fulguribus errare, aut fallaciter portenta interpretari, cùm terræ sæpe fremitus, sæpe mugitus, sæpe motus multa nostra reip. multa ceteris ciuitatibus grauia, & vera prædixerint. Quid, qui irridetur partus hic mulæ, nónne, quia fœtus exstitit in sterilitate naturæ, prædictus est ab haruspicibus incredibilis partus malorum? Quid? Ti. Gracchus Publij filius, qui bis consul & censor fuit, idemq; & summus augur, & vir sapiens, ciuisq; præstans, nónne, vt C. Gracchus filius eius scriptum reliquit, duobus anguibus domi cõprehensis haruspices conuocauit? qui cùm respondissent, si marem emisisset, vxori breui tempore esse moriendum: si fœminam, ipsi: æquius esse censuit, se maturam oppetere mortem, quàm P. Africani filiam adolescentem. feminam emisit: ipse paucis post diebus est mortuus. Irrideamus haruspices: vanos, futiles esse dicamus: quorumq; disciplinam & sapientissimus vir, & euentus, ac res comprobauit, contemnamus: Contemnamus etiam Baby

Babylonios, & eos, qui ex Caucaso cæli signa seruantes, numeris, & motibus stellarum cursus persequuntur. condemnemus, inquam, hos aut stultitiæ, aut vanitatis, *aut imprudentiæ, qui CCCCLXX. millia annorum, vt ipsi dicunt, monumentis comprehensa continent: & mentiri iudicemus, nec sæculorum reliquorum iudicium, quod de ipsis futurum sit, pertimescere. Age, barbari vani, atque fallaces, num etiam Graiorum historia mentita est? quæ Crœso Pythius Apollo, vt de naturali diuinatione dicam, quæ Athenienſibus, quæ Lacedæmoniis, *quæ Taygetis, quæ Argiuis, quæ Corinthijs respõderit, quis ignorat? Collegit innumerabilia oracula Chrysippus, nec vllũ sine locuplete auctore, atq; teste: quæ quia nota tibi sunt, relinquo. defendo vnum hoc: numquam illud oraculum Delphis tam celebre, & tam clarum fuisset, neq; tantis donis refertũ omniũ populorum atq; regum, nisi omnis ætas oraculorum illorum veritatem esset experta. iam diu idem non facit. Vt igitur nunc minore gloria est, quia minus oraculorum veritas excellit: sic tum, nisi summa veritate in tanta gloria non fuisset. Potest autem vis illa terræ, quæ mentẽ Pythiæ diuino afflatu concitabat, euanuisse vetustate, vt quosdam exaruisse amnes, aut in alium cursum contortos, & deflexos videmus. Sed, vt vis, acciderit: magna enim quæstio est:

modò maneat id, quod negari non potest, nisi omnem historiam peruerterimus, multis sæclis verax fuisse id oraculum. Sed omittamus oracula: veniamus ad somnia, de quibus disputans Chrysippus, multis, & minutis somnijs colligendis facit idem, quod Antipater: ea conquirens, quæ Antiphontis interpretatione explicata, declarant illa quidem acumen interpretis, sed exemplis grandioribus decuit vti. Dionysij mater, eius qui Syracusiorum tyrannus fuit, vt scriptum apud Philistum est, & doctum hominem, & diligentem, & æqualem temporum illorum, cùm prægnans hunc ipsum Dionysium aluo contineret, somniauit se peperisse Satyriscum. Huic interpretes portentorum, qui Galleotæ tum in Sicilia nominabantur, responderunt (vt ait Philistus) eum, quem illa peperisset, clarissimum Græciæ diuturna cum fortuna fore. Num te ad fabulas reuoco vel nostrorum, vel Græcorum poëtarum? narrat enim & apud Ennium Vestalis illa:

Excita cùm tremulis anus attulit artubus lumen,
Talia cõmemorat lacrymãs exterrita somno
Euridicæ prognata, pater quã noster amauit,
Vires vitaq; corpus meum nũc deserit omne.
Nam me visus homo pulcher per amæna salicta
Et ripas raptare, locosq; nouos ita sola

Post illa germana soror errare videbar.
Tardaq; vestigare, & quærere te, neq; posse
Corde capessere. semita nulla pedẽ stabilibat.
Exin compellare pater me voce videtur
His verbis: *Cognata tibi sunt antè gerendæ
Aerumnæ, post ex fluuio fortuna resistet.
Hæc pater effatus, germana repente recessit.
Nec sese dedit in conspectum corde cupitus.
Quamquam multa manus ad cæli cærula templa
Tendebam lacrymans, & blanda voce vocabam.
Vix ægro tum corde meo me somnus reliquit.

Hæc, etiam si ficta sunt à poëta, non absunt tamen à consuetudine somniorum. Sit sanè etiam illud cõmentitium, quo Priamus est conturbatus.

Quia mater grauida parere se ardẽtem facẽ
Visa est in somnis Hecuba: quo facto pater
Rex ipse Priamus, somnio mentis metu
Perculsus, curis sumptis suspirantibus
Exsacrificabat hostijs balantibus.
Tum coniectorem postulat pacem petens,
Vt se edoceret obsecrans Apollinem,
Quò sese vertant tantæ sortes somnium.
Ibi ex oraculo voce diuina edidit
Apollo, puerum, primus Priamo qui foret
Post illa natus tempora, hunc si tolleret,
Eum esse exitium Troiæ, pestem Pergamo.

Sint hæc, vt dixi, somnia fabularum: his q; ad-

iungatur etiam Aeneæ somnium: * quod innumerum Fabij Pictoris, Græcis annalibus eiusmodi est, vt omnia, quæ ab Aenea gesta sunt, quæq; illi acciderunt, ea fuerint, quæ ei secundum quietẽ visa sunt. Sed propiora videamus. Cuiusnam modi est Superbi Tarquinij somnium, de quo in Bruto Attij loquitur ipse?

Cùm iam quieti corpus nocturno impetu
Dedi sopore placans artus languidos,
Visum est in somnis, pastorem ad me appellere,
*Duos sanguineos arietes inde eligi,
Pecus lanigerum eximia pulchritudine,
Præclarioremq; alterum* immolare me:
Deinde eius germanum cornibus connitier
In me arietare. eoq; ictu me ad casum dari:
Exin prostratum terra grauiter saucium,
Resupinum in cælo contueri maximum
Ac mirificum facinus, dextrorsum orbem
flammeum
Radiatum solis liquier cursu nouo.

Eius igitur somnij, quæ sit à coniectoribus interpretatio facta, videamus.

Rex, quæ in vita vsurpant homines, cogitant, curant, vident,
Quæq; agunt vigilantes, agitantq;, ea si cui in somno accidunt,
Minus mirum est: sed in re tanta haud temere improuiso offerunt:

Proin

Proin vide, ne, quem tu esse hebetem deputes æquè ac pecus,
Is sapientia munitum pectus egregiũ gerat,
Teq; regno expellat. nam id, quod de sole ostentum est tibi,
Populo commutationem rerum portẽdit fore.
Per* propinqua hæc bene verruncent populo. nam quod ad dexteram
Cæpit cursum ab læua signum præpotens, pulcherrimè
Auguratum est, rem Romanam publicam summam fore.

Age nũc ad externa redeamus. Matrem Phalaridis scribit Ponticus Heraclides, doctus vir, auditor, et discipulus Platonis, visam esse videre in somnis simulacra deorum, quæ ipsa Phalaridis domi consecrauisset: ex his Mercurium è patera, quam dextra manu teneret, sanguinem visum esse fundere: qui cùm terram attigisset, referuescere videretur sic, vt tota domus sanguine redũdaret, quod matris somnium immanis filij crudelitas comprobauit. Quid ego, quæ magi Cyro illi principi interpretati sunt, ex Dionysij Persici libris proferam? nam cùm dormienti ei sol ad pedes visus esset, ter eum scribit frustra appetiuisse manibus, cùm se conuoluens sol elaberetur, & abiret: ei magos dixisse, quod genus sapientum, & doctorum habebatur in Persis, ex triplici appetitione solis,

XXX. annos Cyrum regnaturum esse portẽdi. quod ita contigit. nam ad septuagesimum peruenit, cùm XL. natus annos regnare cœpisset. Est proficiò quiddam etiam in barbaris gentibus præsentiens, atque diuinans: siquidem ad mortem proficiscens Calanus Indus cùm ascenderet in rogum ardentem, O præclarum discessum, inquit, è vita, cùm, vt Herculi contigit, mortali corpore cremato in lucem animus excesserit! cúmque Alexander eum rogaret, si quid vellet, vt diceret: Optimè, inquit: propediem te videbo. quod ita contigit. nam Babylone pauciis post diebus Alexander est mortuus. Discedo parumper à somnijs: ad quæ mox reuertar. Qua nocte templum Ephesiæ Dianæ deflagrauit, eadem constat ex Olympiade natum esse Alexandrum, atque vbi lucere cœpisset, clamitasse magos, pestem, ac perniciem Asiæ proximo nocte natam. Hæc de Indis & magis. Redeamus ad somnia Hannibalem Cœlius scribit, cùm columnam auream, quæ esset in fano Iunonis Laciniæ, auferre vellet, dubitaretq; vtrum ea solida esset, an extrinsecus inaurata, perterebrauisse: cumq; solidam inuenisset, statuisset q; tollere, secundum quietem visam esse ei Iunonem prædicere ne id faceret, minitariq;, si id fecisset, se curaturam, vt eum quoque oculum, quo bene videret, amitteret: idq; ab homine acuto non esse neglectum.

itaque

itaq; ex eo auro, quod exterebratum esset, buculam curasse faciendam, & eam in summa columna collocauisse. Hoc idem in Sileni, quem Cœlius sequitur, Græca historia est. Is autem diligentissimè res Hannibalis persecutus est. Hannibalem, cùm cepisset Saguntum, visum esse in somnis à Ioue in deorum concilium vocari: quò cùm venisset, Iouem imperasse, vt Italiæ bellum inferret, ducemq; ei vnum ex concilio datum: quo illum vtentem, cum exercitu progredi cœpisse: tum ei ducem illum præcepisse, ne respiceret: illum autem id diutius facere non potuisse, elatumq; cupiditate respexisse. tum visam belluam vastã, & immanem, circumplicatã serpentibus, quacumq; incederet, omnia arbusta, virgulta, tecta peruertere: & eum admiratum quæsisse de deo, quidnam illud esset tale monstrũ, & deũ respõdisse, vastitatem esse Italiæ: præcepisseq;, vt pergeret protinus: quid retro, atque à tergo fieret, ne laboraret. *Apud Agathoclem scriptum in historia est, Hamilcarem Carthaginiensem, cũ oppugnaret Syracusas, visum esse audire vocem, se posthac die cenaturum Syracusis: cùm autem is dies illuxisset, magnam seditionẽ in castris eius inter Pœnos & Siculos milites esse factam: quod cùm sensissent Syracusani, improuiso eos in castra irrupisse, Hamilcarémque ab ijs viuum esse sublatum. Ita res somnium comprobauit.

Plena

Plenæ exẽplorum est historia, tum referta vita communis. At verò P. Decius ille Q. filius, qui primus è Decijs consul fuit, cùm esset tribunus mil. M. Valerio, & A. Cornelio consulibus, à Samnitibusq; premeretur noster exercitus: cùm pericula præliorum iniret audacius, monereturq; vt cautior esset, dixit, quod exstat in annalibus, sibi in somnis visum esse, cùm in medijs hostibus versaretur, occidere eũ maxima gloria. & tum quidem incolumis exercitum obsidione liberauit. post triennium autem, cùm consul esset, deuouit se, & in aciem Latinorum irrupit armatus, quo eius facto superati sunt, & deleti Latini. cuius mors ita glorioſa fuit, vt eandẽ concupiſceret filius. Sed veniamus nunc, si placet, ad somnia philosophorum. *Est apud Platonem Socrates, cũ esset in custodia publica, dicens Critoni suo familiari, sibi post tertium diem esse moriendum: vidisse se in somnis pulchritudine eximia fœminam, quæ se nomine appellans diceret Homericum quendam eiusmodi versum:

Tertia te Phthiæ tempestas læta locabit.

Quod vt est dictum, sic scribitur contigisse. Xenophon Socraticus (qui vir, & quantus!) in ea militia, qua cum Cyro minore perfunctus est, sua scribit somnia, quorũ exitus mirabiles exstiterunt. mentiri Xenophontem, an delirare dicemus? Quid singulari vir ingenio Aristoteles

teles, & pænè diuino, ipséne errat, an alios vult errare? cùm scribit Eudemum Cyprium familiarem suum iter in Macedoniam facientem Pheras venisse, quæ erat vrbs in Thessalia tum admodum nobilis, ab Alexandro autem tyranno crudeli dominatu premebatur: in eo igitur oppido ita grauiter ægrum Eudemum fuisse, vt omnes medici dissiderent: ei visum esse in quiete egregia facie iuuenem dicere, fore vt breui conualesceret, pauciq; diebus interituũ Alexandrum tyrannum: ipsum autem Eudemum quinquennio post domum esse redituru. atq; ita quidem prima statim scribit Aristoteles consecuta, & conualuisse Eudemum, & ab vxoris fratribus interfectum tyrannum. quinto autem anno exeunte, cùm esset spes ex illo somnio in Cyprum illum ex Sicilia esse redituũ, præliantem eum ad Syracusas occidisse. ex quo ita illud somnium esse interpretatum, vt, cùm animus Eudemi ex corpore excesserit, tum domum reuertisse videatur. Adiungamus philosophis doctissimum hominem, poëtam quidem diuinum, Sophoclem: qui, cùm ex æde Herculis patera aurea grauis surrepta esset, in somnis vidit ipsum deum dicentem, qui id fecisset. quod semel ille, iterumq; neglexit. vbi idem sæpius, ascendit in Ariopagum, detulit rem. Ariopagitæ comprehendi iubent eum, qui à Sophocle erat nominatus. is, quæstione adhib

adhibita, confessus est, pateramq; retulit. quo facto, fanum illud Indicis Herculis nominatum est. Sed quid ego Græcorum? nescio quo modo magis me nostra delectant. omnes hoc historici, Fabij, Gellij, sed proximè Cælius, cùm bello Latino ludi votiui maximi primùm fierent, ciuitas ad arma repente est excitata. itaque ludis intermissis, instauratiui constituti sunt. qui antequam fierent, cúmque iam populus consedisset, seruus per circum, cùm virgis cæderetur, furcam ferens ductus est. exin cuidam rustico Romano dormienti visus est venire, qui diceret, præsultorem sibi nõ placuisse ludis, idq; ab eodem iussum esse eum senatui nuntiare: illum non ausum: iterum esse idem iussum, & monitũ, ne vim suã experiri vellet: ne tum quidem esse ausum: exin filium eius esse mortuum: eãdem in somnis admonitionem fuisse tertiam: tum illum etiam debilem factum, rem ad amicos detulisse. quorum de sententia lecticula in curiam esse delatum: cumq; senatui somnium enarrauisset pedibus suis saluũ reuertisse. itaq; somnio comprobato à senatu, ludos illos iterum instauratos memoriæ proditũ est. C. verò Gracchus multis dixit, vt scriptum apud eundem Cælium est, sibi in somnis quæsturam petenti Ti. fratrem visum esse dicere, quàm vellet cunctaretur, tamen eodem sibi leto, quo ipse interisset esse pereundum. hoc antequam Tri-

bunus pleb. Gracchus factus esset, & se audisse scribit Cælius, & dixisse multis. Quo somnio quid inueniri potest certius? Quid? illa duo somnia, quæ creberrimè commemorantur à Stoicis quis tandem potest contemnere? vnum de Simonide: qui cùm ignotum quendam proiectum mortuum vidisset, eumq; humauisset, haberétque in animo nauem conscendere, moneri visus est, ne id faceret, ab eo, quem sepultura affecerat: si nauigasset, eum naufragio esse perieturum. itaque Simonidem rediisse: periisse ceteros, qui tum nauigassent. Alterum ita traditum clarũ admodum somnium: * Cùm duo quidam Arcades familiares iter vnà facerent, et Megaram venissent, alterum ad cauponem diuertisse, ad hospitẽ alterũ. qui, vt cænati quiescerent, concubia nocte visum esse in somnis ei qui erat in hospitio, illum alterum orare vt subueniret, quòd sibi à caupone interitus pararetur: eum primò perterritum somnio surrexisse: deinde cùm se collegisset, idq; visum pro nihilo habendum esse duxisset, recubuisse: tum ei dormienti eundem illum visum esse rogare, vt quoniam sibi viuo nõ subuenisset, mortẽ suam ne inultam esse pateretur. se interfectũ in plaustrum à caupone esse coniectum, & supra stercus iectum: petere, vt mane ad portam adesset, priusquam plaustrum ex oppido exiret. hoc verò somnio eum commotum mane

bubulco

bubulco præsto ad portam fuisse, quæsisse ex eo, quid esset in plaustro: illum perterritum fugisse, mortuum erutum esse, cauponem re patefacta pœnas dedisse. quid hoc somnio dici diuinius potest? Sed quid aut plura, aut vetera quærimus? sæpe tibi meum narraui: sæpe ex te somnium audiui tuum. me, cùm Asiæ prouinciæ præessem, vidisse in quiete, cùm tu equo aduectus ad quandã magni fluminis ripam, proiectus subito, atque delapsus in flumen, nusquam apparuisses, me cõtremuisse timore perterritum: tum te repente lætum exsiluisse, eodemq; equo aduersam ascendisse ripam, nosq; inter nos esse complexos. facilis coniectura huius somnij: mihiq; à peritis in Asia prædictum est, fore eos euentus rerum, qui acciderũt. Venio nunc ad tuum. audiui equidem ex te ipso, sed mihi sæpius Sallustius noster narrauit: cùm in illa fuga nobis gloriosa, patriæ calamitosa, in villa quadam campi Atinatis maneres, magnámque partem noctis vigilasses, ad lucem denique arctè, & grauiter dormitare cœpisse: itaque quamquam iter instaret, te tamen silẽtium fieri iussisse, neque esse passum te excitari: cùm autem experrectus esses hora secunda ferè, te sibi somnium narrauisse: visum tibi esse, cùm in locis solis mæstus errares, C. Marium cum fascibus laureatis quærere ex te, quid tristis esses: cúmque tu te tua patria vi pulsum esse dixisses,

dixisses, prehendisse eum dextram tuam, & bono animo te iussisse esse, lictorq; proximo tradidisse, vt te in monumentum suum deduceret: & dixisse, in eo tibi salutem fore: tum & se exclamasse Sallustius narrat, reditum tibi celerem, & glorioſum paratum, & te ipsum visum somnio delectari. nam illud mihi ipsi celeriter nuntiatum est: vt audiuisses in monumento Marij de tuo reditu magnificentissimum illud S. C. esse factum, referente optimo, & clarissimo viro consule, idq; frequentissimo theatro, incredibili clamore, & plausu comprobatum: dixisse te, nihil illo Atinati somnio fieri posse diuinius. At multa falsa: imo obscura fortasse nobis, sed sint falsa quædam. contra verã quid dicimus? quæ quidem multo plura euenirent, si ad quietem integri iremus: nunc onusti cibo, & vino, perturbata, & confusa cernimus. Vide quid Socrates in Platonis Politia loquatur: dicit enim* cùm dormientibus ea pars animi, quæ mentis & rationis particeps sit, sopita langueat: illa autem, in qua feritas quædam sit, atq; agrestis immanitas, cùm sit immoderato obstupefacta potu, atq; pastu, exsultare eam in somno, immoderateq; iactari. itaque huic omnia visa obijciũtur à mente, ac ratione vacua: vt aut cum matre corpus miscere videamur, aut cum quouis alio vel homine, vel deo, sæpe bellua, atq; etiam trucidare aliquem,

& impiè cruentari, multaq; facere impurè, atq; tetrè, cum temeritate, atque impudentia. at qui salubri, & moderato cultu, atque victu quieti se tradiderit, ea parte animi, quæ mentis, & consilij est, *agitata, erecta, saturataq; bonarum cogitationum epulis: eaq; parte animi, quæ voluptate alitur, nec inopia erecta, nec satietate affluenti, quorũ vtrumque *præstringere aciem mentis solet, siue deest natura quippiam, siue abundat, atque effluit: illa etiam tertia parte animi, in qua irarum exsistit ardor, sedata, atque restincta: tum eueniet, duabus animi temerarijs partibus compressis, vt illa tertia pars rationis, & mentis eluceat, & se vegetam ad somniandum, acremq; præbeat: tum ei vis quietis occurrent tranquilla atque veracia. Hæc verba ipsa Platonis expressi. Epicurum igitur audiemus potius? nam Carneades concertationis studio, modò ait hoc, modò illud. At ille quid sentit? sentit autem nihil vmquam elegãs, nihil decorum. Hunc ergo anteponesPlatoni, & Socrati? qui vt rationem non redderent, auctoritate tamen hos minutos philosophos vincerent. Iubet igitur Plato sic ad somnium proficisci corporibus affectis, vt nihil sit, quod errorem animis, perturbationemq; afferat. Ex quo etiam Pythagoricis interdictum putatur, ne fabavescerentur, quòd habet inflationem magnam in cibus, tranquillitati mentis quærenti vera contrariam. Cùm ergo est somno euocatus animus à societate, & contagione corporis, tum meminit præteritorum, præsentia cernit, futura prouidet. iacet enim corpus dormientis, vt mortui: viget autem, & viuit animus. quod multo magis faciet post mortem, cùm omnino ex corpore excesserit. itaq; appropinquante morte multo est diuinior. nam & id ipsum vident, qui sunt morbo graui, & mortifero affecti, instare mortem. itaq; his occurrunt plerumq; imagines mortuorum: tumq; vel maxime laudi student: eosq;, qui secus quàm decuit vixerunt, peccatorum suorum tum maxime pœnitet. Diuinare autem morientes etiam illo exemplo confirmat Posidonius, quo affert Rhodium quẽdam morientem sex æquales nominasse, & dixisse, qui primus eorum, qui secundus, qui deinceps moriturus esset. Sed tribus modis censet deorum appulsu homines somniare: vno, quòd præuideat animus ipse per sese, quippe qui deorum cognatione teneatur: altero, quòd plenus aër sit immortalium animorum, in quibus tamquam insignitæ notæ veritatis appareant: tertio, quòd ipsi dij cum dormientibus colloquantur: idq;, vt modò dixi, facilius euenit appropinquante morte, vt animi futura augurentur. Ex quo & illud est Calani, de quo dixi: & Homerici Hectoris, qui moriens propinquam Achilli

mortem denũtiat. neque enim illud verbum temere consuetudo approbauisset, si ea res nulla esset omnino:

Præsagibat animus frustra me ire, cùm exirem domo.

Sagire enim sentire acutè est: ex quo sagæ anus, quia multa scire volũt: & sagaces dicti canes. Is igitur, qui antè sagit, quàm oblata res est, dicitur præsagire, id est, futura antè sentire: inest igitur in animis præsagitio extrinsecus iniecta, atq; inclusa diuinitus. ea si exarsit acrius, furor appellatur, cùm à corpore animus abstractus diuino instinctu concitatur.

*Sed quid oculis rapere visa est derepente ardentibus?

Vbi illa paullò antè sapiẽs virginali modestia?

Mater optuma, tum multo mulier melior,

Missa sum superstitiosis ariolationibus:

Neque me Apollo fatis fandis dementem inuitam ciet.

Virgines verò æquales patrũi mei meum factum pudet

Optimi viri: mea mater tui me miseret, mei piget.

Optumam progeniem Priamo repperisti extra me: hoc dolet,

Me obesse, illos prodesse: me obstare, illos obsequi.

O poëma tenerum, & moratum, atq; molle. Sed hoc minus ad rem: illud, quod volumus, expressum est, vt vaticinari furor vera soleat.

Adest, adest fax obuoluta sanguine, atq; incendio:

Multos annos latuit. ciues ferte opem, & restinguite.

Deus inclusus corpore humano iam, non Cassandra loquitur.

Iamq; mari magno classis cita

Texitur: exitium examen rapit:

Aduenit, & fera veliuolantibus

Nauibus compleuit manu litora.

Tragœdias loqui videor, & fabulas. At ex te ipso non commentitiam rem, sed factam, eiusdem generis audiui: C. Coponium ad te venisse Dyrrhachio, cùm prætorio imperio classi Rhodiæ præesset, cum primis hominem prudentem, atq; doctum: eumq; dixisse, remigem quendam ex quinqueremi Rhodiorum vaticinatum, madefactum iri minus xxx. diebus Græciam sanguine: rapinas Dyrrhachij, & conscensionem in naues cum fuga, fugientibus miserabilem respectum incendiorum fore: sed Rhodiorum classis propinquum reditum, ac domum itionem dari: tum neq; te ipsum non esse commotum: Marcumq; Varronem, & M. Catonem, qui tum ibi erant, doctos homines, vehementer esse perterritos: paucis sanè pòst diebus ex Pharsalica fuga venisse Labienum: qui cùm

interitum exercitus nuntiauisset, reliqua vaticinationis breui esse confecta. nam & ex horreis dereptum, effusumq; frumentū vias omnes, angiportusq; constrauerat, & vos naues subitò perterriti metu conscendistis: & noctu ad oppidum respicientes, flagrantes onerarias, quas incenderant milites, quia sequi noluerant, videbatis: postremò à Rhodia classe deserti, verum vatem fuisse sensistis. Exposui quàm breuissimè potui somnij & furoris oracula, quæ carere arte dixeram. quorum amborum generum vna ratio est, qua Cratippus noster vti solet, animos hominum quadam ex parte extrinsecus esse tractos, & haustos. Ex quo intelligitur, esse extra diuinum animum, humanus vnde dicatur: humani autem animi eam partem, quæ sensum, quæ motum, quæ appetitum habeat, non esse ab actione corporis seiugatam: quæ autem pars animi rationis, atque intelligentiæ sit particeps, eam tum maximè vigere, cùm plurimum abest à corpore. itaque ex ipsis exemplis verarum vaticinationum, & somniorum Cratippus solet rationem concludere hoc modo: Si sine oculis non potest exstare officium, & munus oculorum, possunt autem aliquando oculi non fungi suo munere: qui vel semel ita est visus oculis, vt vera cerneret, is habet sensum oculorum vera cernentium. Item igitur, si sine diuinatione non potest & officium & munus

nus diuinationis exstare, potest autem quis, cùm diuinationem habeat, errare aliquādo, nec vera cernere: satis est ad confirmandam diuinationem semel ita esse aliquid diuinatum, vt nihil fortuitò cecidisse videatur. sunt autem eius generis innumerabilia. esse igitur diuinationem confitendum est. Quæ verò aut coniectura explicantur, aut euentis animaduersa, & notata sunt, ea genera diuinandi, vt supra dixi, non naturalia, sed artificiosa dicuntur; in quo haruspices, augures, coniectoresq; numerantur. hæc improbantur à Peripateticis, à Stoicis defenduntur. quorum alia sunt posita in monumentis, & disciplina: quod Etruscorum declarant & haruspicini, & fulgurales, & rituales libri, nostri etiam augurales: alia autem subito ex tempore coniectura explicantur, vt apud Homerum Calchas, qui ex passerum numero belli Troiani annos auguratus est: & vt in Siennæ scriptum historia videmus, quod te inspectante factum est, vt, cùm Sylla in agro Nolano immolaret ante prætorium, ab infima ara subitò anguis emergeret. cùm quidam C. Postumius haruspex oraret illum, vt in expeditionem exercitum educeret: id cùm Sylla fecisset, tum antè oppidum Nolam florentissimæ Samnitum castra cepit. Facta coniectura etiam in Dionysio est paullò antè quàm regnare cœpit: qui cùm per agrum Leontinum iter faciens,

ciens, equum ipse dimisisset in flumen, summersus equus voraginibus non exstitit: quem cùm maxima contentione non potuisset extrahere, discessit, vt ait Philistus, ægre ferens. cùm autem aliquantulum progressus esset, subitò exaudiuit himnitum, respexitq; , & equum alacrem lætus aspexit, cuius in iubæ examen apum consederat. quod ostentum habuit hanc vim, vt Dionysius paucis pòst diebus regnare cæperit. Quid? Lacedæmonijs paullò antè Leuctricam calamitatem, quæ significatio facta est, cùm in Herculis fano arma sonuerunt, Herculisq; simulacrum multo sudore manauit? At eodem tempore Thebis, vt ait Callisthenes, in templo Herculis valuæ clausæ repagulis, subitò se ipsæ aperuerunt, armaq; quæ fixa in parietibus fuerant, ea humi sunt inuenta. cumq; eodem tempore apud Lebadiam Trophonio res diuina fieret, gallos gallinaceos in eo loco sic assiduè canere cœpisse, vt nihil intermitterent: tum augures dixisse Bœotios, Thebanorum esse victoriam, propterea quòd auis illa victa silere soleret, canere si vicisset. Eademq; tempestate multis signis Lacedæmonijs Leuctricæ pugnæ calamitas denuntiabatur. namque & *Lysandri, qui Lacedæmoniorum clarissimus fuerat, statuæ, quæ Delphis stabat, in capite corona subitò exstitit ex asperis herbis, et agrestibus: stellæq; aureæ, quæ Delphis erant à Lacedæmonijs positæ post nauale illam victoriam Lysandri, qua Athenienses conciderunt, *qua in pugna quia Castor & Pollux cum Lacedæmoniorum classe visi esse dicebantur, eorum insignia deorum stellæ aureæ, quas dixi, Delphis positæ, paullò antè Leuctricam pugnam deciderunt, neq; repertæ sunt. Maximum verò illud portentum ijsdem Spartiatis fuit, quòd, cùm oraculum ab Ioue Dodonæo petiissent, de victoria sciscitantes, legatiq; illud, in quo inerant sortes, collocauissent, simia, quam rex Molossorum in deliciis habebat, & sortes ipsas, & cetera, quæ erant ad sortem parata, disturbauit, & aliud aliò dissipauit. tum ea, quæ præposita erat oraculo, sacerdos dixisse dicitur, de salute Lacedæmonijs esse, non de victoria cogitandum. Quid bello Punico secundo? nónne *C. Flaminius consul iterum, neglexit signa rerum futurarum magna cum clade reipub. qui exercitu lustrato, cùm Arretium versus castra mouisset, & contra Hannibalem legiones duceret, & ipse, & equus eius antè signum Iouis Statoris sine caussa repente concidit, nec eam rem habuit religioni, obiecto signo, vt peritis videbatur, ne committeret prælium. Idem cùm tripudio auspicaretur, pullarius diem prælij committendi differebat. tum Flaminius ex eo quæsiuit, si ne postea quidem pulli pascerentur, quid faciendum censeret. cùm ille

ille quiescendum respondisset, Flaminius, Præclara verò auspicia, si esurientibus pullis res geri poterit, saturis nihil geretur. itaq; signa conuelli, & se sequi iussit. quo tempore, cùm signifer primi hastati signum non posset mouere loco, nec quidquam proficeret, plures cùm accederent: Flaminius re nunciata suo more neglexit. itaq; tribus horis concisus exercitus, atq; ipse interfectus est. Magnum illud etiam, quod addidit Cælius, eo ipso tempore, cùm hoc calamitosum fieret prælium, tantos terræmotus in Liguribus, Gallia, complurib⁹q; insulis, totaq; in Italia factos esse, vt multa oppida corruerint, multis locis labes facta sit, terræq; desederint, fluminaq; in contrarias partes fluxerint, atque in amnes mare influxerit. Fiunt certè diuinationum coniecturæ à peritis. Midæ illi Phrygio, cùm puer esset, dormienti formicæ in os tritici grana contulerunt. ditissimum fore, prædictum est: quod euenit. at Platoni, cùm in cunis paruulo dormienti apes in labellis consedissent, responsum est, singulari illum suauitate orationis fore. ita futura eloquentia prouisa in infante est. Quid amores, ac delicias tuæ Roscius? num aut ipse, aut pro eo Lanuium totum mentiebatur? qui cùm esset in cunabulis, educaretur q; in Selonio, qui est campus agri Lanuini, noctis lumine apposito experrecta nutrix animaduertit puerum dormientem circum

circumplicatum serpentis amplexu. quo aspectu exterrita clamorem sustulit. pater autem Roscij ad haruspices retulit: qui responderunt nihil illo puero clarius, nihil nobilius fore. atque hanc speciem Praxiteles cælauit argento, & noster expressit Archias versibus. Quid igitur expectamus? an, dum in foro nobiscum dij immortales, dum in vijs versentur, dum domi? qui quidem ipsi se nobis non offerunt, vim autem suam longe, lateq; diffundunt. quā cùm terræ cauernis includunt, tum hominum naturis implicant. nam terræ vis Pythiam Delphis incitabat, naturæ Sibyllam. Quid enim? non videmus, quàm sint varia terrarum genera? ex quibus & mortifera quædam pars est, vt & Ampsancti in Hirpinis, & in Asia Plutonia, quæ videmus: & sunt partes agrorum aliæ pestilentes, aliæ salubres, aliæ quæ acuta ingenia gignant, aliæ quæ retusa. quæ omnia fiunt & ex cæli varietate, & ex disparili aspiratione terrarum. Fit etiam sæpe specie quadam, sæpe vocum grauitate, & cantibus, vt pellantur animi vehementius: sæpe etiam cura, & timore: qualis est illa,

Flexa anima tamquam lymphata, vt Bacchi sacris
Commota, in tumulis Teucrum commemorans suum.

Atque etiam illa concitatio declarat vim in anim

animis esse diuinam : negat enim sine furore Democritus quemquam poëtam magnum esse posse, quod idem dicit Plato. quem, si placet, appellet furorem, dummodo is furor ita laudetur, vt in Phædro Platonis laudatus est. Quid vestra oratio in causis? quid ipsa actio? potest esse vehemens, & grauis, & copiosa, nisi est animus ipse commotior? equidem etiam in te sæpe vidi, &, vt ad leuiora veniamus, in Æsopo familiari tuo tantum ardorem vultuum, atque motuum, vt eum vis quædã abstraxisse à sensu mentis videretur. Obiiciuntur etiam sæpe formæ, quæ reapse nullæ sunt, speciem autem offerunt. quod contigisse Brenno dicitur, eiusq; Gallicis copijs, cùm fano Apollinis Delphici nefarium bellum intulisset : tum enim ferunt ex oraculo hæc fatam esse Pythiam,

Ego prouidebo rem istam, & albæ virgines. Ex quo factum, vt & viderentur virgines ferre arma contra, & niue Gallorum obrueretur exercitus. Aristoteles quidem eos etiam, qui valetudinis vitio furerent, & melancholici dicerentur, censebat habere aliquid in animis præsagiens, atq; diuinum. ego autem haud scio an nec cardiacis hoc tribuendum sit, nec phreneticis: animi enim integri, non vitiosi corporis est diuinatio. Quam quidem esse re vera, hac Stoicorum ratione concluditur: Si sunt dij, neq; ante declarant hominibus, quæ futura sunt:

aut

aut non diligunt homines: aut quid euenturum sit, ignorant: aut existimant nihil interesse hominum, scire quid futurum sit, aut non censent esse suæ maiestatis præsignificare hominibus, quæ sunt futura : aut ea ne ipsi quidem dij significare possunt. At neque non diligunt nos: sunt enim benefici, generiq; hominum amici: neque ignorant ea, quæ ab ipsis constituta, & designata sunt : neque nostra nihil interest scire ea, quæ euentura sunt : erimus enim cautiores, si sciemus : neque hoc alienum ducunt maiestate sua: nihil est enim beneficentia præstantius : neque non possunt futura prænoscere. non igitur sunt dij, nec significant futura. Sunt autem dij : significant ergo. Et, non, si significant, nullas vias dant nobis ad significationis scientiam : frustra enim significarent. nec, si dant vias, non est diuinatio : est igitur diuinatio. hac ratione & Chrysippus, & Diogenes, & Antipater vtitur. Quid est igitur, cur dubitandum sit, quin sint ea, quæ disputaui, verissima, si ratio mecum facit, si euenta, si populi, si nationes, si Græci, si barbari, si maiores etiam nostri, si denique hoc semper ita putatum est, si summi philosophi, si poëtæ, si sapientissimi viri, qui res publicas constituerunt, qui vrbes condiderunt? an dum bestiæ loquantur, exspectamus, hominum consentiente auctoritate contenti non sumus? Nec verò quidquã

aliud

aliud affertur, cur ea, quæ dico, diuinandi genera nulla sint : nisi quòd difficile dictu videtur, quæ cuiusq; diuinationis ratio, quæ causſa sit. Quid enim habet haruſpex, cur pulmo inciſus etiam in bonis extis dirimat tempus, & proferat diem? quid augur, cur à dextra cornus, à ſiniſtra cornix faciat ratum? quid aſtrologus, cur ſtella Iouis, aut Veneris coniuncta cum Luna ad ortus puerorum ſalutaris ſit: Saturni, Martiſve contraria? cur autem deus dormientes nos moneat, vigilantes negligat? quid deinde cauſſæ ſit, cur Caſſandra furens futura proſpiciat, Priamus ſapiens hoc idem facere non queat? cur fiat quidque quæris? rectè omnino, ſed non nunc id agitur: fiat, nécne fiat, id quæritur: vt ſi magnetem lapidẽ eſſe dicam, qui ferrum ad ſe alliciat, & trahat; at rationem, cur id fiat, afferre nequeam: fieri omnino neges. quod idem facis in diuinatione. quam & cernimus ipſi, & audiuimus, & legimus, & à patribus accepimus : neque ante philoſophiam patefactam, quæ nuper inuenta eſt, hac de re communis vita dubitauit: & poſtea quàm philoſophia proceſſit, nemo aliter philoſophus ſenſit, in quo modo eſſet auctoritas. Dixi de Pythagora, de Democrito, dẽ Socrate: excepi de antiquis præter Xenophanem neminem : adiunxi veterem Academiam, Peripateticos, Stoicos. vnus diſſentit Epicurus. Quid verò

hoc turpius, quàm quòd idem nullã cenſet gratuitam eſſe virtutem? quis autem eſt, quem non moueat clariſſimis monumentis teſtata, conſignataq; antiquitas? Calchantem augurem ſcribit Homerus longè optimum, eumq; ducẽ claſſis fuiſſe : at illum auſpiciorum credo ſcientia, non locorum. Amphilochus, & Mopſus Argiuorum reges fuerunt, ſed ĩdem augures; ĩtaq; vrbes in ora maritima Ciliciæ Græcas condiderunt. atq; etiam ante hos Amphiaraus, & Tireſias non humiles, & obſcuri, neq; eorum ſimiles, vt apud Ennium eſt,

Qui ſui quæſtus cauſſa fictas ſuſcitant ſententias:

ſed clari, & præſtantes viri, qui auibus, & ſignis admoniti* futura dicebãt. quorum de altero etiam apud inferos, Homerus ait, ſolum ſapere, ceteros vmbrarum vagari modo. Amphiaraum autem ſic honorauit fama Græciæ, deus vt haberetur, atq; vt ab eius ſolo, in quo eſt humatus, oracula peterentur. Quid Aſiæ rex Priamus, nónne & Helenum filium, & Caſſandram filiam diuinantes habebat, alterũ auguriis, alterã mẽtis* incitatione & permotione diuina? quo in genere Marcios quoſdã fratres nobili loco natos, apud maiores noſtros fuiſſe ſcriptũ videmus. *Quid Polybiũ Corinthiũ, nónne Homerus & alijs multa, & filio ad Troiam proficiſcenti mortem prædixiſſe commemorat?

omn

Omnino apud veteres qui rerum potiebantur, ijdem auguria tenebant: vt enim sapere, sic diuinare regale ducebant, vt testis est nostra ciuitas, in qua & reges, augures, & postea primati eodem sacerdotio præditi rempublicam religionum auctoritate rexerunt: eaq; diuinationum ratione in barbaris quidem gentibus neglecta est. siquidem & in Gallia Druydes sunt, è quibus ipse Diuitiacum Heduum hospitem tuum, laudatoremq; cognouimus qui & naturæ rationem, quam physiologiam Græci appellant, notam esse sibi profitebatur, & partim augurijs, partim coniectura, quæ essent futura, dicebat. & in Persis augurantur, & diuinant magi, qui congregantur in fano commentandi caussa, atq; inter se colloquendi: quod etiam ide vos quondam facere Nonis solebatis. nec quisquam rex Persarum potest esse, qui non antè magorum disciplinam, scientiamq; perceperit. Licet autem videre & genera quædã, & nationes huic scientiæ deditas. Telmessus in Caria est: qua in vrbe excellit haruspicum disciplina: itemq; Elis in Peloponneso familias duas certas habet, *Iamidarum vnam, alteram Glutidarũ, haruspicinæ nobilitate præstantes. in Syria Chaldæi cognitione astrorum, sollertiaq; ingeniorum antecellunt. Etruria autem de cælo tacta scitissime animaduertit: eademq; interpretatur, quid quibusq; ostendatur monstris, atq;

atque portentis. Quocirca bene apud maiores nostros senatus tum, cùm florebat imperium, decreuit, vt de principũ filijs sex* singulis Etruriæ populis in disciplinam traderentur, ne ars tanta propter tenuitatem hominum à religionis auctoritate abduceretur ad mercedem, atq; quæstum. Phryges autẽ, & Pisidæ, & Cilices, & Arabum natio auium significationibus plurimum obtemperant. quod idem facilitatum in Vmbria accepimus. Ac mihi quidem videntur ex locis quoque ipsis, qui à quibusque incolebantur, diuinationum opportunitates esse ductæ. Vt* enim Aegyptij, aut Babylonij in camporum patentium æquoribus habitantes; cùm ex terra nihil emineret, quod contemplationi cæli officere posset, omnem curam in siderũ cognitione posuerunt: Etrusci autem, quòd religione imbuti studiosius, & crebrius hostias immolabant, extorum cognitioni se maximè dediderunt; quodq; propter aëris crassitudinem de cælo apud eos multa fiebãt, & quòd ob eandem caussam multa inusitata partim ex cælo, alia ex terra oriebantur, quædam etiam ex hominum, pecudumve conceptu, & satu, *portentorum exercitatissimi interpretes exstiterunt. Quorum quidem vim, vt tu soles dicere, verba ipsa prudenter à maioribus posita declarant: quia enim ostendunt, portendunt, monstrant, prædicunt, ostenta, portenta, monstra, prodigia,

dicuntur. Arabes autem, & Phryges, & Cilices, quòd pastu pecudũ maximè vtũtur, campos, & montes hieme, & æstate peragrantes, propterea faciliùs cantus auium, & volatus notauerunt: eademq; & Pisidiæ caussa fuit, & huic nostræ Vmbriæ, tum Caria tota, præcipueq; * Telmesses, quos antè dixi, quòd agros vberrimos maximeq; fertiles incolunt; in quibus multa propter secunditatem fingi, gigniq; possunt, in ostentis animaduertendis diligentes fuerunt. Quis verò non videt, in optima quaq; republica plurimum auspicia, & reliqua diuinandi genera valuisse? quis rex vmquam fuit, quis populus, qui non vteretur prædictione diuina? neque solùm in pace, sed in bello multo etiam magis: in quo maius erat certamen, & discrimen salutis. Omitto nostros, qui nihil in bello sine extis agunt, nihil sine auspicijs domi habent. Auspicia externa videamus. nam & Athenienses omnibus semper publicis consilijs diuinos quosdam sacerdotes, quos Mantes vocant, adhibuerũt: & Lacedæmonij regibus suis augurem assessorem dederunt: itemq; senibus, (sic enim censilium publicum appellãt) augurẽ interesse voluerunt: ẽdemq; de rebus maioribus semper aut Delphis oraculum, aut ab * Ammone, aut à Dodona petebant. Lycurgus quidem, qui Lacedæmoniorum rempub. temperauit, leges suas auctoritate Apollinis Delphici

phici confirmauit. quas, cùm vellet Lysander cõmutare, eadem est prohibitus religione. Atque etiam qui præerant Lacedæmonijs, non contenti vigilantibus curis, in Pasitheæ fano, quod est in agro propter vrbem, * somniadi caussa ex cubabant, quia vera quietis oracula ducebant. Ad nostra iam redeo. quoties senatus decemviros ad libros ire iussit? nam, & cùm duo visi soles essent, & cùm tres lunæ, & cùm faces, & cùm sol nocte visus esset, & cùm ex cælo fremitus auditus, & cùm cælũ discessisse visum est, atq; in eo animaduersi globi. Delata etiam ad senatum labes agri Priuernatis, cùm ad infinitam altitudinem terra desedisset, Apuliaq; maximis terræmotibus conquassata esset: quibus portentis magna populo Rom. bella, pernicioseq; seditiones denuntiabantur. inq; his omnibus responsa haruspicum cum eum Sibyllæ versibus congruebant. Quid, cùm Cumis Apollo sudauit, Capuæ Victoria? quid ortus androgyni? nõne fatale quoddam nõstrum fuit? quid, quòd fluuius atratus sanguine fluxit? quid, cùm sæpe lapidum, sanguinis nonnũquam, terræ interdum, quondam etiam lacteis imber defluxit? quid, cùm in Capitolio ictus centaurus ex cælo est? in Auentino portæ, & homines? Tusculi ædes Castoris, & Pollucis, Romæq; Pietatis? nõnne & haruspices ea responderunt, quæ euenerunt: & in Sibyllæ libris eadem repertæ præ-

dictiones sunt? quoties senatus decemuiros ad libros ire iussit? quantis in rebus, quamq; sæpe responsis haruspicum paruit? Cæciliæ Q. filiæ somnio modo, Marsico bello, templum est à Senatu Iunoni Sospitæ restitutum; quod quidem somnium Sisenna cùm disputasset mirificè ad verbum cum re conuenisse, tum insolenter, credo ab Epicureo aliquo inductus, disputat somnijs credi non oportere. Idem contra ostenta nihil disputat, exponitq; initio belli Marsici, & deorum simulacra sudauisse, & sanguinem fluxisse, & discessisse cælum, & ex occulto auditas esse voces, quæ pericula belli nunciarent, & Lanuuij clypeos, quod haruspicibus tristissimum visum esset, à muribus esse derosos. Quid quod in annalibus habemus, Veienti bello, cùm lacus Albanus præter modum creuisset, Veientem quendam ad nos hominem nobilem profugisse, eumq; dixisse, ex fatis, quæ Veientes scripta haberent, Veios capi non posse, dum lacus is redundaret: & si lacus emissus lapsu, & cursu suo ad mare profluxisset, perniciosum populo Ro. sin autẽ ita esset eductus, vt ad mare peruenire nõ posset, tũ salutare nostris fore. Ex quo illa admirabilis à maioribus Albanæ aquæ facta deductio est. Cùm autem Veientes bello fessi legatos ad senatum misissent, tum ex his quidam dixisse dicitur, non omnia illum transfugam ausum esse Senatui dicere. in

ijdem enim fatis scriptum Veientes habere, fore vt breui à Gallis Roma caperetur. Quod quidem sexennio post Veios captos factum esse videmus. Sæpe etiam & in prælijs Fauni auditi, & in rebus turbidis veridicæ voces ex occulto missæ esse dicuntur: cuius generis duo sunt ex multis exempla, sed maxima. Nam non multo ante vrbem captã exaudita vox est à luco Vestæ, qui à Palatij radice in nouam viam deuexus est, vt muri, & portæ reficerentur: futurum esse, nisi prouisum esset, vt Roma caperetur. Quod neglectum, cùm caueri poterat, post acceptam illam maximã cladem explicatum est: ara enim Aio loquenti, quam septam videmus, aduersus eum locum consecrata est. Atq; etiam scriptum à multis est, cùm terræmotus factus esset, vt sue plena procuratio fieret, vocem ab æde Iunonis ex arce exstitisse: quocirca Iunonem illam appellatam Monetam. Hæc igitur & à dijs significata, & à nostris maioribus iudicata contemnimus? neq; solùm deorum voces Pythagorei obseruauerũt, sed etiam hominum, quæ vocant omina, quæ maiores nostri, quia valere censebant, iccirco omnibus rebus agendis, QVOD BONVM, faustum, felix, fortunatũq; esset, præfabantur: rebusq; diuinis, quæ publicè fierẽt, vt FAVERENT linguis, imperabat inq; ferijs imperãdis, vt LITIBVS, & iurgijs se abstinerent. itemq; in lustranda colonia, ab eo,

qui eam deduceret, & cùm imperator exercitum, censor populum lustraret, bonis nominibus, qui hostias ducerent, eligebantur. quod idem in delectu consules obseruant, vt primus miles fiat bono nomine. quæ quidem à te scis & consule, & imperatore summa religione esse seruata. Prærogatiuam etiam maiores * omen iustorum comitiorum esse voluerunt. atque ego exempla*ominum nota profera. L. Paullus Cos. iterum, cùm ei bellum vt cum rege Perse gereret, obtigisset; vt ea ipsa die domum ad vesperum redijt, filiolam suam Tertiam, quæ tum erat admodu parua, osculans animaduertit tristiculã. Quid est, inquit, mea Tertia? quid tristis es? Mi pater, inquit, Perse perijt. Tu ille arctius puellã complexus, Accipio omen, inquit, mea filia. Erat autẽ mortua catella eo nomine. L. Flaccum flaminẽ Martialem ego audiui cùm diceret, Cæciliã Metelli, cùm vellet sororis suæ filiam in matrimoniũ collocare, exisse in quoddam sacellum ominis capiendi causa, quod fieri more veterum solebat: cùm virgo staret, et Cæcilia in sella sederet, neq; diu vlla vox exstitisset, puellã defatigatam petijsse à matertera, vt sibi cõcederet paullisper, vt in eius sella requiesceret: illam autem dixisse, Vero mea puella tibi concedo meas sedes. Quod omen res consecuta est: ipsa enim breui mortua est: virgo autẽ nupsit cui Cæcilia nupta fuerat. Hæc posse contemni,

temni, vel etiam rideri, præclarè intelligo: sed ipsum est, deos non putare, quæ ab ijs significatur cõtemnere. Quid de auguribus loquar? tuæ partes sunt: tuum inquam auspiciorũ patrocinium debet esse: *tibi App. Claudius augur cõsuli nũtiauit, addubitato salutis augurio, bellũ domesticum triste, ac turbulentum fore: quod paucis pòst mensibus exortum, paucioribus est à te diebus oppressum. Cui quidem auguri vehementer assentior: solus enim multorum annorum memoria non decantandi augurij, sed diuinandi tenuit disciplinam. quẽ irridebant collegæ tui, eumq; tum Pisidam, tum Soranum augurẽ esse dicebant. Quibus nulla videbatur in augurijs, aut auspicijs præsensio, aut scientia veritatis futuræ, sapienter aiebant ad opinionem imperitorum esse fictas religiones. quod longè secus est: neq; enim in pastoribus illis, quibus Romulus præfuit, nec in ipso Romulo hæc calliditas esse potuit, vt ad errorẽ multitudinis religionis simulacra fingerent: sed difficultas, laborq; discendi disertam negligentiam reddidit: malunt enim disserere, nihil esse in auspicijs, quàm quid sit edisscere. Quid est illo auspicio diuinius, quod apud te in Mario est, vt vtar potissimum te auctore?

Hic Iouis altisoni subitò pennata satelles
Arboris è trunco serpentis saucia morsu,
Subigit ipsa feris trãsfigens vnguibus anguẽ

Semianimum, & varia grauiter ceruice micantem.
Quem se intorquentem lanians, rostróque cruentans,
Iam satiata animos, iam duros vlta dolores,
Abigit efflantem, & laceratum affligit in vnda,
Seq; obitu à solis nitidos conuertit ad ortus.
Hanc vbi præpetibus pennis lapsuq; volantem
Conspexit Marius diuini numinis augur,
Fausta q; signa suæ laudis reditusq; notauit:
Partibus intonuit cæli pater ipse sinistris.
Sic aquilæ clarum firmauit Iuppiter omen.

Atque ille Romuli auguratus, pastoralis, * non vrbanus fuit, nec fictus ad opiniones imperitorum, sed à certis acceptus, & posteris traditus. Itaq; Romulus augur, vt apud Enniũ est, cum fratre item augure,

Curantes magna cum cura, concupientes
Regni, dant operã simul auspicio, augurioq;
Hinc Remus auspicio se deuouet, atq; secundam
Solus auẽ seruãs. at Romulu' pulcher in alto
Quærit Auẽtino, seruat genus altiuolantũ.
Certabãt, vrbem * Romam, Remámne vocarent.

Omnũ cura viris, vter esset induperator,
Expectant, veluti consul cùm mittere signum
Vult, omnes auidi spectant ad carceris oras,

Quã

Quã mox emittat pictis ex faucibu' currus:
Sic expectabat populus, atq; ore timebat
Rebus, vtri magni victoria sit data regni.
Interea sol albu' recessit in infera noctis.
Exin candida se radijs dedit icta foras lux:
Et simul ex alto longe pulcherrima præpes
Læua volauit auis: simul aureus exoritur sol.
Cedunt ter quatuor de cælo corpora sancta
Auium, præpetibus sese pulchrisque locis dant.
Conspicit inde sibi data Romulus esse priora,
Auspicio regni stabilita scamna solumq;.

Sed vnde huc digressa est, eodem redeat oratio. Si nihil queam disputare quamobrem quidque fiat, & tantummodo fieri ea, quæ commemorauí, doceam, parúmve Epicuro, Carneadíve respondeam? quid, si etiam ratio exstat artificiosæ præsensionis facilis, diuinæ autem paullo obscurior? quæ enim extis, quæ fulguribus, quæ portentis, quæ astris præsentiuntur, hæc notata sunt obseruatione diuturna. affert autem vetustas omnibus in rebus longinqua obseruatione incredibilem scientiam: quæ potest esse etiam sine motu, atque impulsu deorum: cùm, quid ex quoq; eueniat, & quid quamq; rem significet, crebra animaduersione perspectum est. Altera diuinatio est naturalis, vt antè dixi, quæ physica disputandi subtilitate referenda est ad naturam deorum: à qua, vt doctissimis, sapientissimũq;

misq; placuit, hauſtos animos, & delibatos habemus: cumq; omnia completa ſint, & referta æterno ſenſu, & mente diuina, neceſſe eſt cognatione diuinorum animorum animos humanos commoueri. Sed vigilantes animi vitæ neceſſitatibus ſeruiunt, diſiunguntq; ſe à ſocietate diuina vinclis corporis impediti. Rarum eſt quoddam genus eorũ, qui ſe à corpore auocent, et ad diuinarum rerum cognitionem cura omni, ſtudioq; rapiantur. Horum ſunt auguria non diuini impetus, ſed rationis humanæ. nam et natura futura præſentiunt, *vt aquarum fluxiones, vt deflagrationem futuram aliquando cæli, atq; terrarum. alij autem in repub. exercitati, vt de Athenienſi Solone accepimus, orietem tyrannidem multò antè proſpiciunt: quos prudentes poſſumus dicere, id eſt, prouidentes: diuinos nullo modo poſſumus, non plus quàm Mileſium Thalem, qui, vt obiurgatores ſuos conuinceret, oſtenderetq; etiam philoſophum, ſi ei commodum eſſet, pecuniam facere poſſe, omnem oleam, antequã florere cœpiſſet, in agro Mileſio coëmiſſe dicitur. animaduerterat fortaſſe quadam ſcientia, olearum vbertatẽ fore, & quidem idem primus defectionem ſolis, quæ Aſtyage regnante facta eſt, prædixiſſe fertur. Multa medici, multa gubernatores, agricolæ etiam multa præſentiunt: ſed nullam eorum diuinationem voco, ne illam quidem, qua ab

Anax

Anaximandro phyſico moniti Lacedæmonij ſunt, vt vrbem, & tecta linquerẽt, armatiq; in agro excubarent, quòd terræmotus inſtaret, tum, cùm & vrbs tota corruit, & ex monte Taygeto extrema montis quaſi puppis auulſa eſt. Ne Pherecydes quidem ille Pythagoræ magiſter potius diuinus habebitur, quàm phyſicus: qui cùm vidiſſet hauſtam aquã de iugi puteo, terræmotus dixit inſtare. Nec verò vmquam animus hominis naturaliter diuinat, niſi cùm ita ſolutus eſt, & vacuus, vt ei planè nihil ſit cum corpore: quod aut vitibus contingit, aut dormientibus. itaque ea duo genera à Dicæarcho probantur, &, vt dixi, à Cratippo noſtro: ſi propterea quòd ea proficiſcuntur à natura, ſint ſumma ſanè, modo ne ſola: ſin autem nihil eſſe in obſeruatione putant, multa tollunt, quibus vitæ ratio continetur. Sed quoniam dant aliquid, idq; non parum, vaticinationes cum ſomnijs nihil eſt, quod cum his magnopere pugnemus; præſertim cùm ſint, qui omnino nullam diuinationem probent. Ergo & ij, quorum animi ſpretis corporibus euolant, atq; excurrunt foras, ardore aliquo inflammati, atq; incitati, cernunt illa profectò, quæ vaticinantes prænuntiant: multisq; rebus inflammantur tales animi, qui corporibus non inhærent, vt ij, qui ſono quodam vocum, & Phrygijs cantibus incitantur: multos nemora ſiluæq;, multos

amnes

amnes, aut maria commouent: quorum furibunda mẽs videt antè multo, quæ futura sunt. quo de genere illa sunt,

*Eheu videte: iudicauit iudicium inclytum
Inter deas tris aliquis: quo iudicio Lacedæmoniæ
Mulier furiarum vna adueniet.

Eodem enim modo multa à vaticinantibus sæpe prædicta sunt, neque solùm verbis, sed etiam Versibus, quos olim Fauni, vatesq; canebant. Similiter Marcius & Publicius vates cecinisse dicuntur. quo ex genere Apollinis operta prolata sunt. Credo etiam anhelitus quosdam fuisse terrarum, quibus inflatæ mentes oracula funderent. Atque hæc quidem vatum ratio est: nec dissimilis sanè somniorum. nam quæ vigilantibus accidunt vatibus, eadem nobis dormientibus: viget enim animus in somnijs, liberq; sensibus ab omni impeditione curarum, iacente, & mortuo pæne corpore: qui quia vixit ab omni æternitate, versaturq; est cum innumerabilibus animis, omnia, quæ in natura rerum sunt, videt, si modò temperatis escis, modicisq; potationibus ita est affectus, vt sopito corpore ipse vigilet. Hæc somniantis est diuinatio. hîc magna quædam exoritur, neq; ea naturalis, sed artificiosa somniorum Antiphontis interpretatio, eodemq; modo & oraculorum, & vaticinationũ: *sunt enim explanatores, vt gramma

grammatici poëtarum. nam vt aurum, & argentum, æs, ferrum frustra natura diuina genuisset, nisi eadem docuisset quemadmodum ad eorum venas perueniretur: nec fruges terræ, baccas ve arborum cum vtilitate vlla generi humano dedisset, nisi earum cultus, & conditiones tradidisset: materia deinde quid iuuaret, nisi confectionis eius fabricam haberemus? sic cum omni vtilitate, quam dij hominibus dederunt, ars aliqua coniuncta est, per quam illa vtilitas percipi possit. Item igitur somnijs, vaticinationibus, oraculis, quòd erant multa obscura, multa ambigua, explanationes adhibitæ sunt interpretum. quo modo autem aut vates, aut somniantes ea videant, quæ nusquam etiam tunc sint, magna quæstio est. sed explorata si sint ea, quæ antè quæri debeant, sint hæc, quæ quærimus, faciliora: continet enim totam hanc quæstionem ea ratio, quæ est de natura deorum, quæ à te secũdo libro est explicata dilucidè, quam si obtinemus, stabit illuæ quidem, quod locum hunc continet, de quo agimus, esse deos, & eorum prouidentia mundum administrari, eosdemq; consulere rebus humanis, nec solùm vniuersis, verùm etiam singulis. Hæc si tenemus, quæ mihi quidem non videntur posse conuelli: profectò hominibus à dijs futura significari necesse est. sed distinguendum videtur, quonam modo. Non placet Stoicis, sing

singulis iecorum fissis, aut auiũ cantibus interesse deum: neque enim decorum est, nec dijs dignũ, nec fieri vllo pacto potest: sed ita à principio inchoatum esse mundum, vt certis rebus certa signa præcurrerent, alia in extis, alia in auibus, alia in fulguribus, alia in ostentis, alia in stellis, alia in somniantium visis, alia in furẽtium vocibus. Ea quibus bene percepta sunt, ij non sæpe falluntur. male coniecta, maleq; interpretata, falsa sunt, non rerum vitio, sed interpretum insciti a. Hoc autem posito, atq; concesso, esse quandam vim diuinam hominum vitam continentem: non difficile est, quæ fieri certe videmus, ea qua ratione fiant, suspicari. nam & ad hostiam deligẽdam potest dux esse vis quædam sentiens, quæ est toto confusa mundo: & tum, ipsam cùm immolare velis, extorum fieri mutatio potest, vt aut absit aliquid, aut supersit: paruis enim momentis multa natura aut affingit aut mutat, aut detrahit: quod ne dubitare possimus, maximo est argumento quod paullo ante interitum Cæsari cõtigit: qui cùm immolaret illo die, quo primũ in sella aurea sedit, & cum purpurea veste processit, in extis bouis opimi cor non fuit. Num igitur censes vllum animal, quod sanguinem habeat, sine corde esse posse? qua ille rei nouitate perculsus, cùm Spurina diceret, timendum esse, ne consilium, & vita deficeret: eari enim rerum vtrũq; à cor

à corde proficisci: postero die caput in iecore non fuit. quæ quidem illi portendebantur à dijs immortalibus, vt videret interitum, non vt caueret. Cùm igitur eæ partes in extis non reperiuntur, sine quibus victima illa viuere nequisset: intelligendum est, in ipso immolationis tempore eas partes, quæ absint, interüsse. Eademq; efficit in auibus diuina mens: vt tum huc, tum illuc volent alites: tum in hac, tum in illa parte se occultent: tum à dextra, tum à sinistra parte canãt oscines. nam si omne animal, vt vult, ita vtitur motu sui corporis, prono, obliquo, supino, membrisq; quò vult flectit, contorquet, porrigit, contrahit, eáque antè efficit pænè quàm cogitat: quanto id deo est facilius, cuius nutui parent omnia? idemq; mittit & signa nobis eius generis, qualia permulta historia tradidit: quale scriptum illud videmus: si luna paullo ante solis ortum defecisset in signo Leonis, fore vt armis Darius & Persæ ab Alexandro, & Macedonibus prælio vincerentur, Dariusq; moreretur: & si puella nata biceps esset, seditionem in populo fore, corruptelam, & adulterium domi: & si mulier leonem peperisse visa esset, fore vt ab exteris gẽtibus vinceretur ea respub. in qua id cõtigisset. Eiusdem autem generis etiam illud est quod scribit Herodotus, Crœsi filiũ, cùm esset infans, locutum: quo extento regnum patris, & domum funditus

concid

concidisse. Caput arsisse Ser. Tullio dormienti, quæ historia non prodidit? Vt igitur, qui se tradet ita quieti, præparato animo tum bonis cogitationibus, tum rebus ad tranquillitatem accommodatis, certa & vera cernit in somnis; sic castus animus, purusque vigilantis, & ad astrorum, & ad auium, reliquorumq; signorum, & ad extorum veritatem est paratior. Hoc nimirum est illud quod de Socrate accepimus, quodq; ab ipso in libris Socraticorum sæpe dicitur, esse diuinum quiddam, quod dæmoniũ appellat, cui semper ipse paruerit, numquam impellenti, sæpe reuocanti. & Socrates quidem (quo quem auctorem meliorem quærimus?) Xenophonti consulenti, sequereturne Cyrum, posteaquam exposuit quæ sibi videbantur: Et nostrum quidem, inquit, humanum est consilium, sed de rebus & obscuris, & incertis ad Apollinem censeo referendum, ad quem etiam Athenienses publicè de maioribus rebus semper retulerunt. Scriptum est itẽ, cùm Critonis sui familiaris oculum alligatum vidisset, quæsiuisse quid esset: cùm autẽ ille respondisset, in agro ambulanti ramulum adductum, vt remissus esset, in oculum recidisse, tum Socrates, non enim paruisti mihi reuocanti, cùm vterer, qua soleo, præsagitione diuina. Idem etiam Socrates, cũ apud Delium male pugnatum esset Lachete prætore, fugeretq; cum ipso Lachete: vt ventum est in triuium, eadem quæ ceteri, fugere noluit. quibus quærẽtibus cur non eadẽ via pergeret, deterreri se à deo dixit. tum quidem ij, qui alia via fugerant, in hostiũ equitatum inciderunt. Permulta * collecta sunt ab Antipatro, quæ mirabiliter à Socrate diuinata sunt: quæ prætermittam: tibi enim notæ sunt, mihi ad commemorandum non necessaria. Illud tamen eius philosophi magnificum, ac pænè diuinum, quòd, cùm impijs sentẽtijs damnatus esset, æquissimo animo se dixit mori: neque enim domo egredienti, neque illud suggestum, in quo causam dixerat, ascendenti signum sibi vllum, quod consuesset, à deo quasi mali alicuius impendentis datum. Equidem sic arbitror: etiam si multa fallant eos, qui aut arte, aut coiectura diuinare videantur, esse tamen diuinationem: homines autem, vt in ceteris artibus, sic in hac posse falli. Potest accidere, vt aliquod signum dubiè datum pro certo sit acceptum: potest aliquod latuisse, aut ipsum, aut quod esset illi contrarium. mihi autẽ ad hoc, de quo disputo, probandum satis est, non modò plura, sed pauciora diuinè præsensa, & prædicta reperiri. Quin etiam hoc non dubitãs dixerim: si vnum aliquid ita sit prædictum, præsensumq;, vt, cùm euenerit, ita cadat vt prædictum sit, neq; in eo quidquam casu, & fortuito factum esse appareat, esse certè diuinationem, idq; esse eman-

Universidad de Deusto Biblioteca

bus confitendum. Quocirca primum mihi videtur, vt Posidonius facit, à deo, de quo satis dictum est, deinde à fato, deinde à natura vis omnis diuinandi, ratioq; repetenda. Fieri igitur omnia fato, ratio cogit fateri. Fatum autem id appello, quod Græci εἱμαρμένην, id est, ordinem, seriemq; caussarum, cum caussa caussæ nexa rem ex se gignat. Ea est ex omni æternitate fluens veritas sempiterna: quod cùm ita sit, nihil est factũ, quod non futurũ fuerit: eodemq; modo nihil est futurũ, cuius nõ caussas id ipsum efficientes natura contineat. Ex quo intelligitur, vt fatum sit nõ id quod superstitiosè, sed id quod physicè dicitur, caussa æterna rerum, cur & ea, quæ præterierunt, facta sint, & quæ instant, fiant, & quæ sequuntur, futura sint. ita fit, vt & obseruatione notari possit, quæ res quamque caussam plerumq; consequatur, etiam si non semper: nam id quidem difficile est affirmare. easdemq; caussas verisimile est rerum futurarum cerni ab ijs, qui aut per furorem ea, aut in quiete videant. Præterea cùm fato omnia fiant, id quod alio loco ostendetur: si quis modò talis possit esse, qui colligationem caussarum omnium perspiciat animo, nihil eum profectò fallet: qui enim teneat caussas rerum futurarum, idem necesse est omnia teneat, quæ futura sint. quod cũ facere nemo nisi deus possit, relinquendũ est homini, vt signis quibusdã conse

quentia declarantibus futura præsentiat: non enim illa, quæ futura sunt, subitò exsistunt, sed est, quasi rudentis explicatio, sic tractio temporis nihil noui efficientis, & primum quidque replicantis. quod & ij vident, quibus naturalis diuinatio data est: & ij, quibus cursus rerum obseruãdo notatus est. qui etsi caussas ipsas non cernunt, signa tamen caussarum, & notas cernunt: ad quas adhibita memoria, & diligentia, ex monumentis superiorum efficitur ea diuinatio, quæ artificiosa dicitur, extorum, fulgurum, ostentorum, signorumq; cælestium. Non est igitur vt mirandum sit, ea præsentiri à diuinantibus, quæ nusquam sint: sunt enim omnia, sed tempore absunt. Atq; vt in seminibus vis inest earum rerum, quæ ex ijs progignuntur: sic in caussis conditæ sunt res futuræ, quas esse futuras aut concitata mens, aut soluta somno cernit, aut ratio, aut coniectura præsentit. atque vt ij, qui solis, & lunæ, reliquorumq; siderum ortus, obitus, motusq; cognorunt, quo quidq; tẽpore eorũ futurum sit, multo antè prædicunt: sic, qui cursum rerum, euentorumq; consequẽtiam diuturnitate pertractata notauerunt, aut semper, aut, si id difficile est, plerumque: quod, si ne id quidem cõceditur, nonnumquam certè, quid futurum sit, intelligunt. Atque hæc quidem, & quædam huiusmodi argumenta, cur sit diuinatio, ducuntur à

fato. A natura autem alia quædam ratio est: quæ docet, quanta sit animi vis seiuncta à corporis sensibus: quod maximè cõtingit aut dormientibus, aut mente permotis. Vt enim deorum animi sine oculis, sine auribus, sine lingua sentiũt inter se, quid quisq; sentiat: ex quo fit, vt homines, etiam cũ taciti optent aliquid, aut voueant, haud dubitent quin dij illud exaudiant: sic animi hominum, cùm aut somno soluti vacant corpore, aut mente permoti per se ipsi liberi incitati mouentur, cernunt ea, quæ permisti cum corpore animi videre non possunt. Atque hanc quidem rationem naturæ difficile est fortasse traducere ad id genus diuinationis, quod ex arte profectum dicimus: sed tamen id quoque rimatur quantum potest Posidonius; cùm esse censet in natura signa quædam rerũ futurarum. *Vt enim Ceos accepimus ortum Caniculæ diligenter quotãnis solere seruare, coniecturamq; capere, vt scribit Ponticus Heraclides, salubrisne, an pestilens annus futurus sit: nam si obscurior quasi caliginosa stella exstiterit, pingue & cõcretum esse cælum, vt eius aspiratio grauis, & pestilens futura sit: sin illustris, & perlucida stella apparuit, significari cælum esse tenue, purumq;, & propterea salubre. Democritus autem censet sapienter instituisse veteres vt hostiarũ immolatarum inspicerentur exta, quorum ex habitu, habitu, atque colore tum salubritatis, tum pestilentiæ signa percipi, nonnumquam etiam, quæ sit vel sterilitas agrorum, vel fertilitas futura. Quæ si à natura profecta obseruatio, atq; vsus agnouit, multa afferre potuit dies, quæ animad uertendo notarentur: vt ille Pacuuianus, qui in Chryse physicus inducitur, minime naturam rerum cognoscere videatur.

Nam istis, qui linguam auium intelligunt,
Plusq; ex alieno iecore sapiunt, quàm ex suo,
Magis audiendũ quàm auscultandũ censeo.

Cur quæso? cùm ipse paucis interpositis versibus dicat satis luculente:

Quidquid est hoc, omnia animat, formet, alit, auget, creat,
Sepelit, recipitq; in sese omnia, omniumq; idem est pater,
Indidemq; eadem, quæ oriuntur, de integro, atque eodem occidunt.

Quid est igitur, cur, cùm domus sit omniũ vna, eaq; communis, cumq; animi hominum semper fuerint, futuriq; sint, cur ij quidem, quid ex quoq; eueniat, & quid quamq; rem significet, perspicere non possint?

Hæc habui, inquit, de diuinatione quæ dicerem: nunc illa testabor, non me sortilegos, neq; eos, qui quæstus caussa hariolentur, ne psychomantiam quidem, quibus Appius amicus tuus vti solebat, agnoscere. non habeo deniq; nauci

Marsum augurem,
Non vicanos haruspices, non de circo astrologos,
Non Isiacos coniectores, non interpretes somniorum:
Non enim sunt ij aut scientia aut arte diuini.
Sed superstitiosi vates, impudentesq; harioli,
Aut inertes, aut insani, aut quibus egestas imperat:
Qui sibi semitam non sapiunt, alteri monstrant viam:
Quibus diuitiæ pollicẽtur, ab ijs drachmam ipsi petunt.
De his diuitijs sibi deducant drachmam, reddant cetera.

Atque hæc quidem Ennius, qui paucis antè versibus esse deos censet, sed eos non curare opinatur quid agat humanum genus. Ego autem, qui & curare arbitror, & monere etiam, ac multa prædicere, leuitate, vanitate, malitia exclusa diuinationem probo. Quæ cùm dixisset Quinctus, præclarè tu quidem, inquam, paratus.

Desunt pauca quædam.

M. T.

M. T. CICERONIS DE DIVINATIONE LIBER II.

QVAERENTI mihi, multumq; & diu cogitanti, quanam re possem prodesse quàm plurimis, ne quando intermitterem consulere reipub. nulla maior occurrebat, quàm si optimarum artium vias traderẽ meis ciuibus: quod compluribus iam libris me arbitror consecutum. nam & cohortati sumus, vt maximè potuimus, ad philosophiæ studium eo libro, qui est inscriptus Hortensius: & quod genus philosophandi minimè arrogans, maximeq; & constans, & elegans arbitraremur, quattuor Academicis libris ostendimus. Cumq; fundamentum esset philosophiæ positũ in finibus bonorũ, & malorum, perpurgatus est is locus à nobis quinque libris, vt, quid à quoq;, & quid contrà quemq; philosophum diceretur, intelligi posset. totidem subsecuti libri Tusculanarum disputationum, res ad beatè viuendũ maximè necessarias aperuerũt: primus enim est de cõtemnenda morte, secundus de tolerando dolore, de ægritudine leniẽda tertius, quartus de reliquis animi perturbationibus, quinctus eum locum complexus est, qui totam philosophiam maximè illustrat: docet enim, ad beatè viuendum virtutem

se ipsa esse cõtentam. Quibus rebus editis, tres libri perfecti sunt de natura deorum, in quibus omnis eius loci quæstio continetur. quæ vt plene esset, cumulateq; perfecta, de diuinatione ingressi sumus his libris scribere, quibus, vt est in animo, de fato si adiunxerimus, erit abunde satisfactum toti huic quæstioni. Atq; his libris annumerandi sunt sex de rep. quos tunc scripsimus, cùm gubernacula reipub. tenebamus: magnus locus, philosophiæq; proprius: à Platone, Aristotele, Theophrasto, totaq; Peripateticorum familia tractatus vberrime. nã quid ego de consolatione dicam? quæ mihi quidem ipsi sanè aliquantũ medetur: ceteris item multum profuturam puto. Interiectus etiã est nuper is, quem ad nostrum Atticum de senectute misimus: in primisq;, quoniam philosophia vir bonus efficitur, & fortis, Cato noster in horum librorum numero ponendus est. cumq; Aristoteles, itemq; Theophrastus, excellentes viri cùm subtilitate, tum copia, cum philosophia dicendi etiam præcepta coniũxerint, nostri quoq; oratorij libri in eundem numerũ referendi videntur. Ita tres erũt de Oratore, quartus Brutus, quinctus Orator. Adhuc hæc erant: reliqua acri tendebamus animo, sic parati, vt, nisi quæ caussa grauior obstitisset, nullum philosophiæ locum esse pateremur, qui non Latinis litteris illustratus pateret. Quod enim munus reip.

reip. afferre maius, meliúsve possumus, quàm si docemus, atq; erudimus iuuentutem? his præsertim moribus, atq; tẽporibus, quibus ita prolapsa est, vt omnium opibus refrenanda, atque coercenda sit. Nec verò id effici posse confido, quod ne postulandum quidem est, vt omnes adolescentes se ad hæc studia cõuertant: pauci vtinam, quorum tamen in repub. late patere poterit industria. Equidem etiam ex ijs fructũ capio laboris mei, qui iã ætate prouecti in nostris libris acquiescunt: quorum studio legendi meum scribendi studium vehementius in dies incitatur: quos quidem plures, quàm rebar, esse cognoui. Magnificum illud etiam, Romanúq; hominibus glorioſum, vt Græcis de philosophia litteris non egeant: quod assequar profectò, si instituta perfecero. Ac mihi quidem explicandæ philosophiæ causſam attulit grauis casus ciuitatis, cùm in armis ciuilibus nec tueri meo more rempub. nec nihil agere poteram: nec, quid potius, quod quidem me dignum esset, agerem, reperiebam. Dabunt igitur mihi veniam mei ciues, vel gratiam potius habebunt, quòd cùm esset in vnius potestate resp. neq; ego me abdidi, neq; deserui, neq; afflixi: neq; ita gessi, quasi homini, aut temporibus iratus: neq; ita porrò aut adulatus, aut admiratus fortunam sum alterius, vt me meæ pœniteret: id enim ipsum à Platone, philosophiaq;

didiceram naturales esse conuersiones quasdam rerum publicarum, vt eæ tum à principibus tenerentur, tum à populis, aliquando à singulis: quod cùm accidisset nostræ reip. tum pristinis orbati muneribus, hæc studia renouare cœpimus, vt & animus molestijs hac potissimum re leuaretur, & prodesse mus ciuibus nostris qua re cumq; possemus. in libris enim sententiâ dicebamus, concionabamur, philosophiâ nobis pro reipub. procuratione substitutam putabamus. Nunc, quoniam de rep. consuli cœpti sumus, tribuenda est opera reip. vel omnis potius in ea cogitatio, & cura ponenda: tantum huic studio relinquendum, quantum vacabit à publico officio & munere. Sed hæc alias pluribus: nunc ad institutam disputationem reuertamur. Nam cùm de diuinatione Q. frater ea disseruisset, quæ superiore libro scripta sunt, satisq; ambulatum videretur, tu in bibliotheca, quæ in Lyceo est, assedimus. Atq; ego, Accuratè tu quidem, inquam, Quincte, & Stoice Stoicorũ sententiam defendisti: quodq; me maximè delectat, plurimis nostris exemplis vsus es, & ijs quidem claris, & illustribus. Dicendũ est mihi igitur ad ea, quæ sunt à te dicta: sed ita, mihi vt affirmem: quæram omnia, dubitans plerumque, & mihi ipse diffidens: si enim aliquid certi haberem quod dicerem, ego ipse diuinarem, qui esse diuinationem nego. Etenim me mouet illud, quod in primis Carneades quærere solebat, quarumnam rerum diuinatio esset, earumne, quæ sensibus perciperentur? at eas quidem cernimus, audimus, gustamus, olfacimus, tangimus. Numquid ergo in ijs rebus est, quod prouisione, aut permotione mentis magis, quàm natura ipsa sentiamus? aut nescio qui ille diuinus, si oculis captus sit, vt Tiresias fuit, possit, quæ alba sint, quæ nigra dicere? aut, si surdus sit, varietates vocum, aut modos noscere? ad nullam igitur earum rerũ, quæ sensis accipiuntur, diuinatio adhibetur. Atqui ne in ijs quidem rebus, quæ arte tractantur, diuinatione opus est. Etenim ad ægros, non vates, aut hariolos, sed medicos solemus adducere. nec verò, qui tibijs, aut fidibus vti volunt, ab haruspicibus accipiunt earum tractationem, sed à musicis. Eadem in litteris ratio est, reliquis q; rebus, quarum est disciplina. num censes eos, qui diuinare dicuntur, posse respondere, sol maiorne, quàm terra sit: an tantus, quantus videatur? lunáque suo lumine, an solis vtatur? sol, luna quem motum habeant? quem quinque stellæ, quæ errare dicuntur? nec hæc, qui diuini habentur, profitentur se esse dicturos: nec eorum, quæ in geometria describuntur, quæ vera, quæ falsa sint: sunt enim ea mathematicorum, non hariolorum. De illis verò rebus, quæ in philosophia versantur, numquid est quod quis

quisquam diuinorum aut respondere soleat, aut consuli quid bonū sit, quid malū, quid neutrū? sunt enim hæc propria philosophorum. Quid de officio? num quis haruspicem consuluit, quemadmodum sit cum parentibus, cum fratribus, cum amicis viuendum? quemadmodum vtendum pecunia? quemadmodum honore? quemadmodum imperio? ad sapientes hæc, non ad diuinos referri solent. Quid, quæ à physicis, aut dialecticis tractantur, num quis eorum diuinare potest, vnus ne mundus sit, an plures? quæ sint initia rerum, ex quibus nascuntur omnia? physicorum est ista prudentia. Quomodo autem mentientem, quem ψευδέσβυον vocant, dissoluas? aut quemadmodum Soriti resistas? quem, si necesse sit, Latino verbo liceat aerualem appellare: sed nihil opus est: vt enim philosophia, & multa verba Græcorum, sic Sorites satis Latino sermone tritus est. Ergo hæc quoq; dialectici dicent, non diuini. Quid? cùm quæritur qui sit optimus reip. status, quæ leges, qui mores aut vtiles, aut inutiles, haruspicesne ex Etruria accersentur, an principes statuent, & delecti viri, periti rerum ciuilium? Quòd si nec earum rerum, quæ subiecta sensibus sunt, vlla diuinatio est; nec earum quæ artibus continentur; nec earum, quæ in philosophia disseruntur; nec earum, quæ in repub. versantur: quarum rerum sit, nihil prorsus intell

intelligo. nam aut omnium debet esse, aut aliqua ei materia danda est, in qua versari possit: sed nec omnium diuinatio est, vt ratio docuit: nec locus, nec materia inuenitur, cui diuinationem præficere possimus. Vide igitur, ne nulla sit diuinatio. est quidem Græcus in hãc sententiam versus:

Bene qui coniĕciet, vatem hunc perhibeto optimum.

Num igitur, aut quæ tempestas impendeat, vates melius coniĕciet, quàm gubernator; aut morbi naturam acutiùs, quàm medicus; aut belli administrationem prudentiùs, quàm imperator coniectura assequetur? Sed animaduerti Quincte te cautè, & ab ĭs coniecturis, quæ haberent artem, atq; prudentiam, & ab ĭs rebus quæ sensibus aut artificĭs perciperentur, abducere diuinationem, eamq; ita definire: Diuinationem esse earum rerum prædictionem, & præsensionem, quæ essent fortuitæ. Primum eodem reuolueris. nam & medici, & gubernatoris, & imperatoris præsensio est rerum fortuitarum: num igitur aut haruspex, aut augur, aut vates quis, aut somnians melius coniecerit, aut ex morbo euasurum ægrotum, aut ex periculo nauem, aut ex insidĭis exercitū, quàm medicus, quàm gubernator, quàm imperator? Atqui ne illa quidem diuinantis esse dicebas, ventos, aut imbres impendentes quibusdam præsen

præsentire signis : in quo nostra quædam Aratea memoriter à te pronuntiata sunt, etsi hæc ipsa fortuita sunt : plerumq; enim, non semper eueniunt. quæ est igitur, aut vbi versatur fortuitarum rerum præsensio, quam diuinationem vocas? Quæ enim præsentiri aut arte, aut ratione, aut vsu, aut coniectura possunt, ea non diuinis tribuenda putas, sed peritis. Ita relinquitur, vt ea fortuita diuinari possint, quæ nulla nec arte, nec sapientia prouideri possunt : vt si quis M. Marcellum illum, qui ter consul fuit, multis annis antè dixisset naufragio esse periturum, diuinasset profectò: nulla enim arte ulla, nec sapientia id scire potuisset. Talium ergo rerum, quæ in fortuna positæ sunt, præsensio diuinatio est. Poténe igitur earum rerum, quæ nihil habent rationis, quare futuræ sint, vlla esse præsensio? Quid est enim aliud fors, quid fortuna, quid casus, quid euentus, nisi cùm sic aliquid cecidit, sic euenit, vt vel non cadere, atq; euenire, vel aliter cadere, atq; euenire potuerit? Quo modo ergo id, quod temere fit cæco casu, & volubilitate fortunæ, præsentiri, & prædici potest? medicus morbum ingrauescentem ratione prouidet, insidias imperator, tempestates gubernator : tamen hi ipsi sæpe falluntur, qui nihil sine certa ratione opinantur : vt agricola cùm florem oleæ videt, baccam quoq; se visurum putat : non sine ratione ille quidem: sed nonnumquam tamẽ fallitur. Quod si falluntur ij, qui nihil sine aliqua probabili coniectura, ac ratione dicunt : quid existimandum est de coniectura eorum, qui extis, aut auibus, aut ostentis, aut oraculis, aut somnijs futura præsentiunt? nondũ dico, quàm hæc signa nulla sint, fissum iecoris, corui cantus, volatus aquilæ, stellæ iactio, voces furentium, sortes, somnia: de quibus singulis dicam suo loco, nunc de vniuersis. Quî potest prouideri, quidquam futurũ esse, quod neq; caussam habet vllam, neq; notam cur futurum sit? solis defectiones, itemq; lunæ prædicantur in multos annos ab ijs, qui siderum cursus, & motus numeris persequuntur : ea enim prædicunt, quæ naturæ necessitas perfectura est. Vident ex constantissimo motu lunæ, quando illa è regione solis facta incurrit in vmbram terræ, quæ est meta noctu, vt eam obscurari necesse sit : quandóque eadem luna subiecta soli atque opposita nostris oculis eius lumen obscuret : quo in signo quæque errantium stellarum, quoq; tempore futura sit : qui exortus quoq; die signi alicuius, aut qui occasus futurus sit. Hæc qui antè dicunt, quam rationem sequantur vides: qui thesaurum inuenturum, aut hereditatem vẽturam dicunt, quid sequũtur? aut in quâ rerum naturâ inest, id futurum? quòd si ea, quæ sunt eiusdem generis, habent aliquam talem necessitatem : quid est tand

tandem quod casu fieri, aut forte fortuna putemus? nihil enim est tam contrarium rationi, & constantiæ, quàm fortuna: vt mihi ne in deum quidem cadere videatur, vt sciat quid casu, & fortuito futurum sit: si enim scit, certè illud eueniet: sin certè eueniet, nulla fortuna est. Est autem fortuna: rerum igitur fortuitarum nulla est præsensio. aut si negas esse fortunam, & omnia, quæ fiunt, quæq; futura sunt, ex omni æternitate definita dicis esse fataliter: muta definitionem diuinationis, quam dicebas præsensionem esse rerum fortuitarum. Si enim nihil fieri potest, nihil accidere, nihil euenire, nisi quod ab omni æternitate certum fuerit esse futurum rato tempore: quæ potest esse fortuna? qua sublata, qui locus est diuinationi? quæ ἀτε fortuitarum rerum est dicta præsensio? Quamquam dicebas, omnia, quæ fierent, futuráve essent, fato contineri. *Anile sanè, & plenum superstitionis fati nomen ipsum: sed tamen apud Stoicos de isto fato multa dicuntur. De quo aliàs: nunc quod necesse est. Si omnia fato: quid mihi diuinatio prodest? quod enim is qui diuinat, prædicit, id verò futurum est: vt ne illud quidem sciam quale sit, quòd Deiotarum familiarem nostrum ex itinere aquila reuocauit: qui nisi reuertisset, in eo conclaui ei eubandum fuisset, quod proxima nocte corruit. Ruina igitur oppressus esset. At id neq; si fatum fuerat,

fuerat, effugisset, nec, si non fuerat, in eum casum incidisset. Quid ergo adiuuat diuinatio? aut quid est, quod me moueant aut sortes, aut exta, aut vlla prædictio? si enim fatum fuit, classes populi R. bello Punico primo alteram naufragio, alteram à Pœnis depressam interire: etiam si tripudiũ solistimum pulli fecissent, L. Iunio, & P. Clodio consulibus classes tamen interissent. sin, cùm auspicijs obtemperatum esset, interituræ classes non fuerunt, non interierunt fato. vultis autem omnia fato: nulla igitur est diuinatio. Quòd si fatum fuit, bello Punico secundo exercitũ populi R. ad lacum Thrasymenum interire: num id mutari potuit, si Flaminius consul ijs signis, ijsq; auspicijs, quibus pugnare prohibebatur, paruisset? certè potuit. aut igitur non fato interijt exercitus: mutari enim fata non possunt: aut si fato, quod certè vobis ita dicendum est, etiam si obtemperasset auspicijs, idem euenturum fuisset. vbi est igitur diuinatio ista Stoicorum? quæ si fato omnia fiunt, nihil nos admonere potest, vt cautiores simus: quoquo enim modo nos gesserimus, fiet tamen illud quod futurũ est. sin autem id potest flecti, nullũ est fatum, ita ne diuinatio quidem, quoniam ea rerum futurarum est. nihil autem est pro certo futurum, quod potest aliqua procuratione accidere ne fiat. Atque ego ne vtilem quidem arbitror esse nobis futurarum rerum

scientiam. Quæ enim vita fuisset Priamo, si ab adolescētia scisset quos euentus senectutu esset habiturus? abeamus à fabulis: propiora videamus. Clarissimorum hominum nostræ ciuitatis grauissimos exitus in Consolatione collegimus. Quid igitur? vt omittamus superiores, M. ne Crasso putas vtile fuisse, tū, cùm maximis opibus, fortunisq; florebat, scire, sibi, interfecto Publio filio, exercituq; deleto trans Euphratem cīi ignominia, & dedecore esse pereundum? An Cn. Pompeium censes tribus suis consulatibus, tribus triumphis, maximarum rerum gloria, lataturū fuisse, si scisset se in solitudine Aegyptiorum trucidatum iri amisso exercitu: post mortem verò ea consecutura, quæ sine lacrymis non possumus dicere? Quid verò Cæsarem putamus? si diuinasset fore, vt in eo senatu, quem maiore ex parte ipse coopt asset, in curia Pompeiana, ante ipsius Pompeij simulacrum, tot centurionibus suis inspectantibus, à nobilissimis ciuibus, partim etiam à se omnibus rebus ornatis, trucidatus ità iaceret, vt ad eius corpus non modò amicorum, sed ne seruorum quidem quisquam accederet: quo cruciatu animi vitam actarum fuisse? Certè igitur ignoratio futurorum malorum vtilior est quàm scientia. nam illud quidem dici, præsertim à Stoicis, nullo modo potest: non isset ad arma Pompeius, non transisset Crassus Euphratem, non suscepis-

set bellum ciuile Cæsar. non igitur fatales exitus habuerunt: vultis autem euenire omnia fato, nihil ergo profuisset illis diuinare: atq; etiam omnem fructum vitæ superioris perdidissent. quid enim posset ijs esse lætum exitus suos cogitantibus? ita quoquo se verterint Stoici, iaceat necesse est omnis eorum sollertia. Si enim id quod euenturum est, vel hoc vel illo modo potest euenire: fortuna valet plurimū: quæ autem fortuita sunt, certa esse non possunt. sin autem certum est, quid quaq; de re, quoq; tempore futurum sit: quid est, quod me adiuuent haruspices, cùm res tristissimas portendi dixerint? *Addunt ad extremum, omnia leuius casura rebus diuinis procuratis. si enim nihil fit extra fatum, nihil leuari re diuina potest. Hoc sentit Homerus, cùm querentem Iouem inducit, quòd Sarpedonem filium à morte contra fatum eripere non posset. hoc idem significat Græcus ille in eam sententiam versus:

Quod fore paratum est, id summum exsuperat Iouem.

Totum omnino fatum etiam Atellanio versu ire mihi esse irrisum videtur. Sed in rebus tā seueris non est iocandi locus. concludatur ergo ratio. Si enim *prouideri nihil potest futurum esse eorum, quæ casu fiunt, quia esse certa non possunt, diuinatio nulla est. sin autē iccirco possunt prouideri, quia certa sunt, & fatalia, tur-

sus diuinatio nulla est : eam enim tu fortuitarum rerum esse dicebas. Sed hæc fuerit nobis tamquam leuis armaturæ prima orationis excursio: nunc cominus agamus. experiamur itaque, si possumus cornua commouere disputationis tuæ. Duo enim genera diuinandi esse dicebas, vnum artificiosum, alterum naturale: artificiosum constare partim ex coniectura, partim ex obseruatione diuturna: naturale, quod animus arriperet, aut exciperet extrinsecus ex diuinitate, vnde omnes animos haustos, aut acceptos, aut libatos haberemus. Artificiosæ diuinationis illa ferè genera ponebas, extispicium, eorumq;, qui ex fulguribus, ostentisq; prædicerent, tum augurum, eorumq;, qui signis, aut ominibus vterentur: omneq; genus coniecturale in hoc ferè genere ponebas. Illud autem naturale aut concitatione mentis edi, & quasi fundi videbatur, aut animo per somnum sensibus, & curis vacuo prouideri. Duxisti autem diuinationem omnem à tribus rebus, à deo, à fato, à natura. Sed tamen cùm explicare nihil posses, pugnasti commentitiorum exemplorum mirifica copia. de quo primo hoc libet dicere. Hoc ego philosophi non arbitror, testibus vti: qui aut casu veri, aut malitia falsi, ficti q; esse possunt. Argumentis, & rationibus oportet, quare quidq; ita sit, doceri, non euentis, ijs, præsertim, quibus mihi licet non credere. Vt ordiar ab haruspicina, quæ ego

subitone fieri potest, vt se exta ad immolantis fortunam accommodent? Non perspicitis aleam quandam inesse hostijs deligendis, præsertim cùm res ipsa doceat? cùm enim tristissima exta sine capite fuerint, quibus nihil videtur esse dirius: proxima hostia litatur sæpe pulcherrimè. vbi illæ minæ superiorum extorum? aut quæ tam subita facta est deorum tãta placatio? Sed affers, in tauri opimi extis immolante Cæsare cor non fuisse: id quia non potuerit accidere, vt sine corde victima illa viueret, iudicãdum esse tum interijsse cor, cùm immolaretur. quî fit vt alterũ intelligas, sine corde non potuisse bouem viuere: alterum non videas, cor subitò non potuisse nescio quò auolare? ego enim possum vel nescire, quæ vis sit cordis ad viuendum: vel suspicari, cõtactum aliquo morbo bouis exile, & exiguum, & vietum cor, & dissimile cordis fuisse. Tu verò quid habes, quare putes, si paullo antè cor fuerit in tauro opimo, subitò id in ipsa immolatione interisse? an quòd aspexit vestitu purpureo excordem Cæsarem, ipse cordem priuatus est? Vrbem philosophiæ, mihi crede, proditis, dum castella defenditis. nam dum haruspicinam veram esse vultis, physiologiam totam peruertitis. Caput est in iecore, cor in extis: iam abscedet, simul ac molam, & vinum insperseris. Deus id eripiet, vis aliqua conficiet, aut exedet. Non ergo omnium interitus, atque

obitus natura conficiet: & erit aliquid, quod aut ex nihilo oriatur: aut in nihilum subitò occidat. quis hoc physicus dixit vmquã? haruspices dicunt. his igitur, quàm physicis, potius credendum existimas? quid, cùm pluribus dijs immolatur, qui tandem euenit, vt litetur alijs, alijs non litetur? quæ autem inconstantia deorum est, vt primis mineatur extis, bene promittant secundis? aut tanta inter eos dissensio, saepe etiam inter proximos, vt Apollinis exta bona sint, Dianæ nõ bona? quid est tam perspicuum, quàm cùm fortuitò hostiæ adducantur, talia cuiq; exta esse, qualis cuique obtigerit hostia? At enim id ipsum habet aliquid diuini, quæ cuiq; hostia obtingat. tãquam in sortibus, quæ cui ducatur. Mox de sortibus. quamquã tu quidem non hostiarum casum confirmas sortium similitudine, sed infirmas sortes cellatione hostiarũ. An, cùm in Aequimelium mittimus qui afferat agnũ, quem immolemus, is mihi agnus affertur, qui habet exta rebus accommodata, & ad eum agnũ non casu, sed duce deo seruus deducitur? nam si casum in eo quoq; dicis esse, quasi sortem quandam cum deorum voluntate conjunctam: doleo tantam Stoicos nostros Epicureis irridendi sui facultatem dedisse. nõ enim ignoras quàm ista derideant; & quidem illi facilius facere possunt: deos enim ipsos iocandi caussa induxit Epicurus perlucidos, & perflabiles,

flabiles, & habitantes tamquam inter duos lucos, sic inter duos mundos propter metum ruinarum: eosq; habere putat eadem membra, quæ nos, nec vllum vsum habere membrorum. Ergo is circuitione quadam deos tollens, rectè nõ dubitat diuinationem tollere. Sed non, vt hic sibi constat, item Stoici: illius enim deus nihil habens nec sui, nec alieni negotij, non potest hominibus diuinationem impertire: vester autem deus potest nõ impertire, vt nihilominus mundum regat, & hominibus consulat. *Cur igitur vos inducitis in eas captiones, quas numquam explicetis? ita enim, cùm magis properant, concludere solet: Si dij sunt, est diuinatio. sunt autem dij, est ergo diuinatio. multo est probabilius: Non est autem diuinatio, non sunt ergo dij. Vide, quàm temere committant, vt si nulla sit diuinatio, nulli sint dij: diuinatio enim perspicue tollitur: deos esse, retinendum est. Atq; hac extispicum diuinatione sublata, omnis haruspicina sublata est: ostenta enim sequũtur, & fulgura: valet autẽ in fulguribus obseruatio diuturna: in ostentis ratio, plerumq; coniectura adhibetur. Quid est igitur, quod obseruatũ sit in fulgure? cælũ in x v i. partes diuiserũt Etrusci. facilè id quidẽ fuit, quattuor, quas nos habemus, duplicare, post idem iterum facere, vt ex eo dicerent, fulmen qua ex parte venisset. Primũ, id quid interest? deinde quid significat? Nõne

perſp

perſpicuum eſt, ex prima admiratione hominum, quòd tonitrua, iactusq; fulminum extimuiſſent, credidiſſe ea efficere rerum omnium præpotentem Iouem? Itaq; in noſtris commentarijs ſcriptum habemus; Ioue tonante, fulgurante, comitia populi habere nefas. hoc fortaſſe reip. cauſſa conſtitutum eſt. Comitiorum enim non habendorum cauſſas eſſe voluerunt. Itaque comitiorũ ſolum vitium eſt fulmen: quod idem omnibus rebus optimum auſpicium habemus, ſi ſiniſtrum fuerit. De auſpicijs alio loco: nunc de fulguribus. Quid igitur minus à phyſicis dici debet, quàm quidquam certi ſignificari rebus incertis? Non enim te puto eſſe eũ, qui Iouis fulmen fabricatos eſſe Cyclopas in Aetna putes. nam eſſet mirabile, quo modo Iupiter toties iaceret, cùm vnum haberet. Nec verò fulminibus homines, quid aut faciendum eſſet, aut cauẽdum, moneret: placet enim Stoicis, eos anhelitus terræ, qui frigidi ſint, cùm fluere cœperint, ventos eſſe: cùm autem ſe in nubem induerint, eiusq; tenuiſſimam quamque partem cœperint diuidere, atq; diſrumpere, idq; crebrius facere, & vehementius: tum & fulgura, & tonitrua exiſtere: ſi autem nubium conflictu ardor expreſſus ſe emiſerit, id eſſe fulmẽ. Quod igitur vi naturæ, nulla conſtantia, nullo rato tempore videmus effici, ex eo ſignificationem rerum conſequentium quærimus? ſcilicet, ſi iſta Iupi

Iupiter ſignificaret, tam multa fruſtra fulmina emitteret. Quid enim proficit, cùm in medium mare fulmen iecit? quid, cùm in altiſſimos montes? quod plerumque fit: quid, cùm in deſertas ſolitudines? quid, cùm in earum gentium oras, in quibus hæc ne obſeruantur quidem? At inuentum eſt caput in Tiberi. quaſi ego artem aliquam iſtorum eſſe negem. diuinationem nego: cæli enim diſtributio, quam antè dixi, & certarum rerum notatio docet vnde fulmen venerit, quò conceſſerit. quid ſignificet autem, nulla ratio docet. Sed vrges me meis verſibus,

Nã pater altitonans ſtellanti nixus olympo,
Ipſe ſuos quondam tumulos, ac tẽpla petiuit,
Et Capitolinis iniecit ſedibus ignes.

Tum ſtatua Nattæ, tum ſimulacra deorum, Romulusq;, & Remus cũ altrice bellua vi fulminis icti conciderunt, déque his rebus haruſpicum exſtiterunt reſponſa veriſſima. Mirabile autem illud, quòd eo ipſo tempore, quo fieret indicium coniurationis in ſenatu, ſignum Iouis biennio poſt, quàm erat locatum, in Capitolio collocabatur. Tu igitur animum induces (ſic enim mecum agebas) cauſſam iſtam, & contra facta tua, & contra ſcripta defendere? frater es. eo vereor. Verùm quid tibi hic tandem nocet? réſtue, quæ talis eſt, an ego, qui verũ explicari volo? Itaq; nihil contrà dico: à te rationem

tionẽ totius haruſpicinæ peto. Sed te mirificam in latebram coniecisti. Quod enim intelligeres fore vt premerem te, cùm ex te cauſſam vniuſcuiuſque diuinationis exquirerem, multa verba feciſti, te, cùm res videres, rationem cauſſamq; non quærere: quid fieret, non cur fieret, ad rem pertinere: quaſi ego aut fieri concederem, aut eſſet philoſophi, cauſſam, cur quidque fieret, non quærere. & eo quidem loco & prognoſtica noſtra pronuntiabas, & genera herbarum, ſcammoneã, ariſtolochiamq; radicem: quarum cauſſam ignorares, vim, & effectũ videres. Diſſimile totũ. nam & prognoſticorum cauſſas perſecuti ſunt & Boëthus Stoicus, qui eſt à te nominatus, & noſter etiam Poſidonius. Et ſi cauſſæ non reperiantur iſtarum rerum, res tamen ipſæ obſeruari animaduertíque poſſunt. Nattæ verò ſtatuæ, aut æra lege de cælo tacta quid habent obſeruatum, ac vetuſtum? Pinarij Nattæ nobiles: à nobilitate igitur periculũ. hoc tamen callidè Iupiter cogitauit. Romulus lactens fulmine ictus. vbi igitur periculũ oſtenditur ei, quam ille condidit. quàm ſcite per notas nos certiores facit Iupiter? at eodem tempore ſignum Iouis collocabatur, quo coniuratio indicabatur. & tu ſcilicet manũ numine deorum id factum, quàm caſu arbitrari? & redemptor, qui columnam illam de Cotta, & de Torquato conduxerat faciendam, non inertia, aut

aut inopia tardior fuit, ſed à dijs immortalibus ad iſtam horam ſeruatus eſt? nõ equidem planè deſpero iſta eſſe vera, ſed neſcio, & diſcere à te volo. nam cùm mihi quædam caſu viderentur ſic euenire, vt prædicta eſſent à diuinantibus, dixiſti multa de caſu: vt, venerium iacti poſſe caſu quattuor talis iactu: quadringentus, cetium venerios nõ poſſe caſu conſiſtere. primũ neſcio, cur non poſſint: ſed non pugno: abundas enim ſimilibus: habes & reſperſionem pigmẽtorum, & roſtrum ſuis, & alia permulta. Idem Carneadem fingere dicis de capite Paniſci, quaſi non potuerit id euenire caſu, & non in omni marmore neceſſe ſit ineſſe vel Praxitelia capita. illa enim ipſa efficiuntur detractione: nec quidquam illuc affertur à Praxitele: ſed cùm multa ſunt detracta, & ad lineamenta oris peruentum eſt, tum intelligas, illud quod iam expolitum ſit, intus fuiſſe: poteſt igitur tale aliquid etiam ſua ſponte in lapicidinis Chiorum exſtitiſſe. Sed ſit hoc fictum: quid? in nubibus *nũquid animaduertiſti leonis formã, aut hippocentauri? poteſt igitur, quod modo negabas, veritatem caſus imitari. Sed quoniam de extis, & fulguribus ſatis eſt diſputatum, oſtenta reſtant, vt tota haruſpicina ſit pertractata. Mulæ partus prolatus eſt à te: res mirabilis propterea quia non ſæpe fit: ſed ſi fieri non potuiſſet, facta non eſſet. Atque hoc contra omnia

oſtenta

ostenta valeat, numquam quod fieri nõ potuerit, esse factum: sin potuerit, non esse mirandum. caussarum enim ignoratio in re noua miratio-nem facit: eadem ignoratio in rebus vsitatis est, non miramur. nam qui mulam peperisse miratur, is, quo modo equa pariat, aut omnino quae natura partum animantis faciat, ignorat: sed quod crebro videt, non miratur, etiam si, cur fiat, nescit: quod autem non vidit, id si euenerit, ostentum esse censet. vtrum igitur, cùm concepit mula, an cùm peperit, ostentum est? conceptio contra naturam fortasse, sed partus prope necessarius. Sed quid plura? ortum videamus haruspicinae: sic facillime, quid habeat auctoritatis, iudicabimus. Tages quidam dicitur in agro Tarquiniensi, cùm terra araretur, & sulcus altius esset impressus, exstitisse repente, & eum affatus esse, qui arabat. is autem Tages, vt in libris est Etruscorum, puerili specie dicitur visus, sed senili fuisse prudentia: eius aspectu cùm obstupuisset bubulcus, clámoremq; maiorem cum admiratione edidisset, concursum esse factum, totamq; breui tempore in eum locũ Etruriã conuenisse: tum illũ plura locutũ multis audientibus, qui omnia eius verba exceperint, litterisq; mandauerint: omnem autem orationem fuisse eam, qua haruspicina disciplina contineretur. eam postea creuisse rebus nouis cognoscendis, & ad eadem illa principia

cipia referendis. Hæc accepimus ab ipsis: hæc scripta conseruant: hunc fontem habent disciplinæ. num ergo opus est ad hæc refellẽda Carneade? num Epicuro? Est' ne quisquam ita desipiens, qui credat exaratum esse, deum dicam, an hominem? si deum, cur se contra naturam in terram abdiderit, vt patefactus aratro lucem aspiceret? quid? idem nónne poterat deus hominibus disciplinam superiore ex loco tradere? si autem homo ille Tages fuit, quonã modo potuit terra oppressus viuere? vnde porro illa potuit, quæ docebat alios, ipse didicisse? sed ego insipientior, quàm illi ipsi, qui ista credunt, qui quidem contra eos tam diu disputem. Vetus autem illud Catonis admodum scitum est, qui mirari se aiebat, quòd nõ rideret haruspex, haruspicẽ cùm vidisset. Quota enim quaq; res euenit prædicta ab istis? aut, si euenit quippiam, quid afferri potest, cur non casu id euenerit? Rex Prusias, cùm Hannibali apud eum exsulãti pugnare placeret, negabat se audere, quòd exta prohiberent. an tu, inquit, caruncula vitulinae mauis, quàm imperatori veteri credere? Quid? ipse Cæsar, cùm à summo haruspice moneretur, ne in Africam ante brumam transmitteret, nónne transmisit? quod ni fecisset, vnum in locum omnes aduersariorum copiæ conuenissent. Quid ego haruspicum responsa commemorem (possum equidẽ innumerabilia) quæ aut nullos

habue-

habuerunt exitus, aut contrarios? Hoc ciuili bello, dij immortales, quàm multa luserunt? quæ nobis in Græciam Roma responsa haruspicum missa sunt? quæ dicta Pompeio? etenim ille admodum extis, & ostentis mouebatur. Non libet commemorare, nec verò necesse est, tibi præsertim, qui interfuisti: vides tamen omnia ferè contra, ac dicta sint, euenisse. Sed hæc hactenus: nunc ad ostenta veniamus. Multa me consule à me ipso scripta recitasti: multa ante Marsicum bellum à Sisenna collecta attulisti: multa ante Lacedæmoniorũ malam pugnam in Leuctris à Callisthene commemorata dixisti. De quibus dicam equidem singulis, quoad vtile videbitur: sed dicendũ etiam est de vniuersis. Quæ est enim ista à dijs profecta significatio, & quasi denũtiatio calamitatum? *Quid autẽ ea volunt dij immortales primũ significantes, quæ sine interpretibus non possumus intelligere: deinde ea, quæ cauere nequeamus? At hoc ne homines quidem probi faciunt, vt amicis impendentes calamitates prædicant, quas illi effugere nullo modo possint: vt medici, quamquam sæpe intelligunt, tamen numquam ægris dicunt illo morbo eos esse morituros: omnis enim prædictio mali tum probatur, cùm ad prædictionem cautio adiungitur. Quid igitur aut ostenta, aut eorum interpretes vel Lacedæmonios olim, vel nuper nostros adiuuerunt? quæ si signa deorum putand

putãda sunt, cur tam obscura fuerunt? si enim, vt intelligeremus quid esset euenturum; aperte declarari oportebat, aut ne occultè quidem, si ea sciri nolebant. Iam verò coniectura omnis, in qua nititur diuinatio, ingenijs hominum in multas, ac diuersas, aut etiam contrarias partes sæpe deducitur: vt enim in causis iudicialibus alia est coniectura accusatoris, alia defensoris, & tamen vtriusq; credibilis: sic in omnibus ijs rebus, quæ coniectura inuestigari solent, anteps reperitur oratio. Quas autem res tum natura, tũ casus *affert, nõnumquã etiam errorem creat similitudo: magna stultitia est earum rerum deos facere effectores, caussas rerum non quærere. Tu vates Bœotios credis Lebadiæ vidisse ex gallorum gallinaceorum cantu victoriam esse Thebanorum, quia galli victi silere solent, canere victores. Hoc igitur per gallinas Iupiter tantæ ciuitati signum dabat? an illæ aues, nisi cùm vicerint, canere non solent? at tum canebant, nec vicerant: id enim inquies, ostentum. magnum verò: quasi pisces, non galli cecinerint. quod autem est tempus, quo illi non cantent, vel nocturnum, vel diurnum? quod si victores alacritate, & quasi lætitia ad canendum excitantur: potuit accidisse alia quoq; lætitia, qua ad cantum mouerentur. Democritus quidẽ optimis verbis caussam explicat, cur ante lucem galli canãt: depulso enim

Universidad de Deusto
Biblioteca

de pectore, & in omne corpus diuiso, & modificato cibo, cantus edere quiete satiatos: qui quidem silentio noctis, vt ait Ennius, * fauent faucibus rusis: cantu, plausuq; premunt alas. Cùm igitur hoc animal tam sit canorum sua sponte, quid in mẽtem venit Callistheni dicere deos gallis signum dedisse cantandi? cùm id vel natura, vel casus efficere potuisset. Sanguinem pluisse senatui nuntiatum est, atratum fluuium fluxisse sanguine, deorum sudasse simulacra. num censes his nuntijs Thalem, aut Anaxagoram, aut quemquam physicum creditum fuisse? nec enim sanguis, nec sudor nisi è corpore est. Sed & decoloratio quædam ex aliqua contagione terrena maxime potest sanguinis similis esse: & humor allapsus extrinsecus, vt in tectorijs videmus, Austro sudorem imitari. Atq; hæc in bello plura, & maiora videntur timentibus: eadem non tam animaduertuntur in pace. accedit illud etiam, quòd in metu, & periculo cùm creduntur facilius, tum finguntur impunius. Nos autem ita leues, atq; inconsiderati sumus, vt, si mures corroserint aliquid, quorum est opus hoc vnum, monstrum putemus. Ante verò Marsicum bellum, quòd clypeos Lanuuij, vt à te est dictũ, mures rosissent, maximum id portentum haruspices esse dixerunt. quasi verò quidquam interesit, mures, diem, & noctem aliquid rodentes, scuta an cribra corroserint. nam si ista sequimur, quòd Platonis politiam nuper apud me mures corroserint, de republ. debui pertimescere: aut, si Epicuri de voluptate liber corrosus esset, putarem annonam in macello cariorem fore. An verò illa nos terrent, si quando aliqua portentosa aut ex pecude, aut ex homine nata dicuntur? Quorum omnium, ne sim longior, vna ratio est: quidquid enim oritur, qualecũque est, caussam habeat à natura necesse est: vt, etiã si præter consuetudinem exstiterit, præter naturam tamen non possit existere. Caussam igitur inuestigato in re noua, atque admirabili, si potes: si nullam reperies, illud tamen exploratum habeto, nihil fieri potuisse sine caussa: * eumq; errorem, quem tibi rei nouitas attulerit, naturæ ratione depellito. ita te nec terræ fremitus, nec cæli discessus, nec lapideus aut sanguineus imber, nec traiectio stellæ, nec faces visæ terrebunt: quarum omnium caussas si à Chrysippo quæras, ipse ille diuinationis auctor numquam illa dicet facta fortuitò, naturalemq; rationem omnium reddet: nihil enim fieri sine caussa potest: nec quidquam fit, quod fieri non potest: nec, si id factum est, quod fieri potuit, portentum debet videri. nulla igitur portẽta sunt. nam si, quod raro fit, id portentum putandum est, sapientem esse portentum est: sæpius enim mulam peperisse arbitror, quàm sapientem fuisse. Illa igitur

ratio concluditur: nec id, quod non potuerit fieri, factum vnquam esse: nec, quod potuerit, id portentum esse: ita omnino nullum esse portentum. quod etiam coniector quidam, & interpres portentorum non inscite dicitur ei respondisse, qui cùm ad eum retulisset quasi ostentum, quòd anguis domi vectē *circumuectus fuisset, tum esset, inquit, ostētum si anguem vectis circumplicasset. Hoc ille responso satis aperte declarauit, nihil habendum esse portentum, quod fieri posset. C. Gracchus ad M. Pomponium scripsit, duobus anguibus domi comprehensis, haruspices à patre conuocatos. qui magis anguibus, quàm lacertis, quàm muribus? quia sunt hac quotidiana, angues nō item. quasi verò referat, quod fieri potest, quàm id sæpe fiat. Ego tamen miror, si emissio fœminæ anguis mortem afferebat Ti. Graccho, emissio autem maris anguis erat mortifera Corneliæ, cur alterutrā emiserit: nihil enim scribit respondisse haruspices, si neuter anguis emissus esset, quid esset futurum. At mors insecuta Gracchum est. caussā quidem credo aliqua morbi grauioris, nō emissione serpentis: neq; enim tanta est infelicitas haruspicum, vt ne casu quidem vnquam fiat, quod futurum illi esse dixerint. Nam illud mirarer, si crederem, quod apud Homerum Calchantem dixisti ex passerum numero belli Troiani annos auguratum: de cuius coniectura sic apud

apud Homerum, vt nos otiosi conuertimus, loquitur Agamemnon:

*Ferte viri, & duros animo tolerate labores,
Auguris vt nostri Calchantis fata queamus
Scire ratōsne habeant, an vanos pectoris orsus:
Namque omnes memori portentum mente retentant,
Qui non funestis liquerunt lumina fatis.
Argolicis primùm vt vestita est classibus Aulis,
Quæ Priamo cladem, & Troiæ, pestemq; ferebant:
Nos circum latices gelidos fumantibus aris,
Aurigeris diuum placantes numina tauris,
Sub platano vmbrifera, fons vnde emanat aquaï,
Vidimus immani specie, tortuq; draconem
Terribilem. Iouis vt pulsu penetrabat ab ara:
Qui platani in ramo foliorum tegmine septos
Corripuit pullos: quos cùm consumeret oclo,
Nona super tremulo genitrix clangore volabat:
Cui ferus immani laniauit viscera morsu.
Hunc, vbi tam teneros volucres, matremq; peremit,
Qui luci ediderat genitor Saturnius idem
Abdidit, & duro firmauit tegmine saxi.
Nos autem timidi stantes mirabile monstrum

Vidimus in medijs diuum versarier aris.
Tum Calchas hæc est fidenti voce locutus:
Quidnam torpentes subito obstupuistis Achiui?
Nobis hæc portenta deûm dedit ipse creator,
Tarda & sera nimis, sed fama ac laude perenni.
Nam quot aues tetro mactatas dente videtis,
Tot nos ad Troiam belli exãt labimus annos:
Quæ decimo cadet, et pœna satiabit Achiuos.
Edidit hæc Calchas: quæ iã matura videtis.

Quæ tandem ista auguratio est ex passeribus annorum potius, quàm aut mensium, aut dierum? cur autem de passerculis coniecturam facit, in quibus nullum erat monstrum: de dracone silet, qui, id quod fieri non potuit, lapideus dicitur factus? postremò quid simile habet passer anni? nam de angue illo, qui Syllæ apparuit immolanti, vtrumque memini, & Syllam, cùm in expeditionem educturus esset, immolauisse, & anguem ab ara exstitisse, eoq; dierem præclarè esse gestam, non haruspicis cõsilio, sed imperatoris. Atq; hæc ostentorum genera mirabile nihil habent: quæ cùm facta sunt, tum ad coniecturam aliqua interpretatione reuocantur: vt illa tritici grana in os pueri Midæ congesta, aut apes quas dixisti in labris Platonis pueri consedisse, non tam mirabilia sint,

quàm coniecta bellè: quæ tamen vel ipsa falsa esse, vel illa, quæ prædicta sunt, fortuitò accidisse potuerunt. De ipso Roscio potest illud quidem esse falsum, vt circũligatus fuerit anguis: sed vt in cunis fuerit anguis, non tam est mirum, in Selonio præsertim, vbi apud focum angues nundinari solent. nam quod haruspices responderunt, nihil illo clarius, nihil nobilius fore: miror deos immortales histrioni futuro claritatem ostendisse, nullam ostendisse Africano. Atque etiam à te * Flaminiana ostenta collecta sunt, quòd ipse, & equus eius repente concideritnon sanè hoc quidem mirabile: quòd euelli primi hastati signum non potuerit: timide fortasse signifer euellebat, quod fidenter infixerat. Nam Dionysij equus quid attulit admirationis, quòd emersit ex flumine? quodq; habuit apes in iuba? sed quia breui tempore regnare cœpit: quod casu acciderat, vim habuit ostenti. At Lacedæmonijs in Herculis fano arma sonuerunt, eiusdemq; dei Thebis valuæ clausæ subitò se aperuerunt: eaq; scuta, quæ fuerant sublime fixa, sunt humi inuenta. Horum cùm nihil fieri potuerit sine aliquo motu, quid est cur diuinitus ea potius, quàm casu facta esse dicamus? At in Lysandri statuæ capite Delphis exstitit corona ex asperis herbis, & quidem subita. Itáne censes antè coronam exstitisse, quàm herbarum cõceptum esse semen? herbam autem

asperam credo auium congestu, non humano statu. iam quidquid in capite est, id coronæ simile videri potest. Nam quòd eodem tempore stellas aureas Castoris, & Pollucis Delphis positas decidisse, neq; eas vsquam repertas esse dixistis: furum id magis factum, quàm deorum videtur. Simiæ verò Dodoneæ improbitatem historijs Græcis mandatam esse demiror. Quid minus mirum quàm illam monstrosissimam bestiam vrnam euertisse, sortes dissipauisse? & negant historici Lacedæmonijs vllum ostentum hoc tristius accidisse. Nam illa prædicta Veientum, si lacus Albanus redundasset, in q; in mare fluxisset, Romæ perituram: si repressus esset, Veios: *ita aqua Albana deducta ad vtilitatem agri suburbani, non ad arcem, vrbemq; retinendam. At paullo post audita vox est monentis, vt prouiderent ne à Gallis Roma caperetur: ex eo Aio loquenti aram in noua via consecratam. quid ergo? Aius iste loquens, quando eum nemo norat, aiebat, & loquebatur, & ex eo nomen inuenit: posteaquam & sedem, & aram, & nomen inuenit, obmutuit? Quod idem dici de Moneta potest: à qua, præter quàm de sue plena, quid vmquàm moniti sumus? Satis multa de ostentis. Auspicia restant, & sortes, eæ, quæ ducuntur, non illæ, quæ vaticinatione funduntur: quæ oracula verius dicimus: de quibus tum dicemus, cùm ad naturalem diuinationem

tionem venerimus. Restat etiam de Chaldæis, sed primùm auspicia videamus. Difficilis auguri locus ad contradicendum, Marso fortasse, sed Romano facillimus: non enim sumus ij nos augures, qui auium, reliquorúmve signorum obseruatione futura dicamus: & tamen credo Romulum, qui vrbem auspicato condidit, habuisse opinionem, esse in prouidendis rebus augurandi scientiam: errabat enim multis in rebus antiquitas: quam vel vsu iã, vel doctrina, vel vetustate immutatam videmus. Retinetur autem & ad opinionem vulgi, & ad magnas vtilitates reip. mos, religio, disciplina, ius augurum, collegij auctoritas. Nec verò non omni supplicio digni P. Claudius, L. Iunius cõsules, qui contra auspicia nauigarunt: parendum enim fuit religioni, nec patrius mos tam contumaciter repudiandus. Iure igitur alter populi iudicio damnatus est, alter mortem sibi ipse cõsciuit. Flaminius nõ paruit auspicijs: itaq; perijt cum exercitu. at anno post Paullus paruit: num minus cecidit in Cannẽsi pugna cum exercitu? etenim vt sint auspicia, quæ nulla sunt: hæc certè, quibus vtimur, siue tripudio, siue de cælo, simulacra sunt auspiciorũ, auspicia nullo modo. *Q. FABI, te volo mihi in auspicio esse. volo, respondet. Audiui. Hic apud maiores nostros adhibebatur peritus, nunc quilibet. peritum autem esse necesse est eum, qui, silentium quid sit, intelligat: id enim

silent

silentium dicimus in auspicijs, quod omni vitio caret. hoc intelligere, perfecti auguris est. illi autem, qui in auspicium adhibetur, cùm ita imperauit is, qui auspicatur, DICITO si silentium esse videtur, nec suspicit, nec circumspicit: statim respondet, Silentium esse videri. tum ille, DICITO si pascuntur aues: Pascũtur. quæ, aut vbi? attulit, inquit, in cauea pullos is, qui ex eo ipso nominatur pullarius. Hæ sunt igitur aues internuntiæ Iouis: quæ pascantur, nec ne, quid refert? nihil ad auspicia. sed quia, cùm pascuntur, necesse est aliquid ex ore cadere, & terram pauire, terripauium, primo, post terripudium dictum est, hoc quidem iam tripudium dicitur. Cùm igitur offa iam cecidit ex ore pulli, tum auspicanti tripudium solistimum nuntiant. Ergo hoc auspicium diuini quidquam habere potest, quod tam sit coactum, & expressum? quo antiquissimos augures non esse vsos argumento est, quòd decretũ collegij vetus habemus, omnẽ auem tripudium facere posse. tum igitur esset auspicium, si modò ei esset liberum se ostendisse: tum auis illa videri posset interpres, & satelles Iouis. nunc verò inclusa in cauea, & fame enecta, si in offam pultis inuadit, & si aliquid ex ore cecidit, hoc tu auspicium, aut hoc modo Romulum auspicari solitum putas? Iam verò de cælo seruare non ipsos censes solitos, qui auspicabantur? nũc imperant pullario: ille renuntiat. Fulmen sinistrum auspicium optimum habemus ad omnes res, præterquam ad comitia, quod quidem institutum reip. causa est, vt comitiorum vel in iudicijs populi, vel in iure legũ, vel in creãdis magistratibus principes ciuitatis essent interpretes. at Ti. Gracchi litteris Scipio, & Figulus, quòd augures iudicassent eos vitio creatos esse, magistratu se abdicauerunt. Quũ negat augurum disciplinam esse? diuinationẽ nego. at haruspices diuini: quos cùm Ti. Gracchus propter mortem repentinam eius, qui in prærogatiua referenda subito concidisset, in senatum introduxisset, non iustum rogatorem comitiorum fuisse dixerit. Primum vide, ne in eum dixerint, qui rogator centuriæ fuisset: is enim erat mortuus. id autem sine diuinatione coniectura poterat dicere: deinde fortasse casu, qui nullo modo est ex hoc genere tollẽdus: quid enim scire Etrusci haruspices aut de tabernaculo rectè capto, aut de pomœrij iure potuerunt? Equidem assentior C. Marcello potius, quàm App. Claudio, qui ambo mei collegæ fuerunt: existimoq; ius augurum, etsi diuinationis opinione principio constitutum sit, tamen postea reipub. caussa conseruatum, ac retẽtum. Sed de hoc loco plura in alijs: nunc hactenus. Externa enim auguria, quæ sunt non tam artificiosa, quàm superstitiosa, videamus. Omnibus ferè auibus vtuntur, nos, admodum paucis.

paucis alia illis sinistra sunt, alia nostris. Solebat ex me Deiotarus percontari nostri augurij disciplinam, & ego illius. Dij immortales quantum differebat: vt quædam essent etiã contraria. Atq; ille ijs semper vtebatur: nos, nisi dum à populo auspicia accepta habemus, quàm multum ijs vtimur? Bellicam rem administrari maiores nostri nisi auspicato noluerũt. quàm multi anni sunt, cùm bella à proprætoribus, & proconsulibus administrantur, qui auspicia non habẽt? itaq; nec amnes transeunt auspicato, nec tripudio auspicantur. nam ex acuminibus quidem, quod totum auspicium militare est, iam M. Marcellus ille quinquies consul totum omisit: idem imperator, idem augur optimus. Vbi est ergo auium diuinatio? quæ, quoniã ab ijs, qui auspicia nulla habent, bella administrantur, ab vrbanis retenta videtur, à bellicis esse sublata. Et quidem ille dicebat, si quando rem agere vellet, ne impediretur auspicijs, lectica operta facere se iter solere. Huic simile est, quod nos augures præcipimus, ne iuge auspicium obueniat vt iumenta iubeant disiungere. Quid est aliud nolle moueri à Ioue, nisi efficere, vt aut ne fieri possit auspicium, aut si fiat, videri? nam illud admodum ridiculum, quòd negas Deiotarum auspiciorum, quæ sibi ad Pompeium proficiscenti ficta sunt, pœnitere, quòd fidem secutus amicitiamq; populi R.

functus

functus sit officio: antiquiorem enim sibi fuisse laudem & gloriam, quàm regnum & possessiones suas. Credo id quidem: sed nihil ad auspicia: nec enim ei cornix canere poterat rectè cum facere, quòd populi R. libertatem defendere pararet. Ipse hoc sentiebat, sicuti sensit. aues euentus significant aut aduersos, aut secundos. Virtutis auspicijs video esse vsum Deiotarum: quæ vetat spectare fortunam, dum præstetur fides. Aues verò, si prosperos euentus ostenderunt, certè fefellerunt. Fugit ex prælio cum Pompeio: graue tempus. discessit ab eo: luctuosa res. Cæsarem eodem tempore, & hostem, & hospitem vidit: quid hoc tristius? is cũ ei Troginorum tetrarchiam eripuisset, & assecłæ suo Pergameno nescio cui dedisset, eidemq; detraxisset Armeniã à senatu datam, cumq; ab eo magnificentissimo hospitio acceptus esset, spoliatum reliquit & hospitem, & regem. Sed labor longiùs. ad propositum reuertar. Si euenta quærimus, quæ exquiruntur auibus: nullo modo prospera Deiotaro. sin officia: à virtute ipsius, non ab auspicijs petita sunt. Omitte igitur lituum Romuli, quem in maximo incendio negas potuisse comburi: contemne cotem Attij Nauij: nihil debet esse in philosophia cõmentitijs fabellis loci. illud erat philosophi, totius augurij primùm naturam ipsam videre, deinde inuentionem, deinde constantiam. Quæ est igitur

nat

natura, quæ volucres huc, & illuc passim vagãtes efficiat, vt significent aliquid, & tum vetent agere, tum iubeant aut cantu, aut volatu? cur autem alijs à dextra, alijs à læua datum est auibus, vt ratum auspicium facere possint? quo modo autem hæc, aut quando, aut à quibus inuenta dicemus? Etrusci tamen habent exaratum puerum autorem disciplinæ suæ: nos quem? Attiúmne Nauium? at aliquot annis antiquior Romulus, & Remus, ambo augures, vt accepimus. an Pisidarũ, aut Cilicum, aut Phrygum ista inuenta dicemus? Placet igitur, humanitatis expertes habere diuinitatis auctores. At omnes reges, populi, nationes vtuntur auspicijs. Quasi verò quidquã sit tã valde, quàm nihil sapere, vulgare: aut quasi tibi ipsi in iudicando placeat multitudo. quotus quisq; est, qui voluptatem neget esse bonum? plerique etiam summum bonum dicunt. num igitur eorum frequentia Stoici de sententia deterrentur? aut num pleriſq; in rebus sequitur eorum auctoritatem multitudo? quid mirum igitur, si in omnibus auspicijs, & omni diuinatione imbecilli animi superstitiosa ista concipiant, verum dispicere non possint? Quæ autem est inter augures conueniens, & coniuncta constantia? ad nostri augurij consuetudinem dixit Ennius,

Cùm tonuit læuum bene tempestate serena.

*At Homericus Aiax apud Achillem querens de ferocitate Troianorum, nescio quid hoc modo nuntiat:

Prospera Iuppiter his dextris fulgoribus edit.

Ita nobis sinistra videntur, Graijs, & Barbaris dextra meliora. quamquam haud ignoro, quæ bona sint, sinistra nos dicere, etiam si dextra sint: sed certe nostri sinistrũ nominauerunt, externiq; dextrum, quia plerumque melius id videbatur. Hæc quanta dissensio est? Quid, quòd alijs auibus vtuntur, alijs signis, aliter obseruant, aliter respondent? non necesse est fateri, partim horum errore susceptum esse, partim superstitione, multa fallendo? Atque his superstitionibus non dubitasti etiam omina adiungere: Aemilia Paullo, Persam perisse: quod pater omen accepit: Cæcilia sororis filiæ sedes suas tradere. Iam illa, FAVETE linguis, & prærogatiuam, omen comitiorum: hoc est, ipsum esse contra se copiosum, & disertum: quando enim ista obseruans, quieto, & libero animo esse poteris, vt ad rem gerendam non superstitionem habeas, sed rationem ducem? Itáne? si quis aliquid ex sua re, atque ex suo sermone dixerit, & eius verbum aliquod apte ceciderit ad id quod ages, aut cogitabis, ea res tibi aut timorem afferet, aut alacritatem? cùm M. Crassus exercitum Brundisij imponeret, quidam in portu caricas Cauno aduectas vendẽs, Cauneas clamitabat. dicamus si placet, moni-

tum ab eo Crassum, caueret ne iret: non fuisse periturum si omini paruisset. quæ si suscipiamus, pedis offensio nobis, & abruptio corrigiæ, & sternutamenta erunt obseruanda. Sortes restant, & Chaldæi: vt ad vates, & somnia veniamus. Dicendum igitur putas de Sortibus, quid enim Sors est? idem propemodum quod micare, quod talos iacere, quod tesseras, *quibus in rebus temeritas & casus, nũ ratio, nec cõsilium valet. Tota res est inuenta fullacijs, aut ad questum, aut ad superstitionem, aut ad errorem. Atque vt in haruspicina feci mus: sic videamus clarissimarum sortium, quæ tradatur inuentio. Numerium Suffucium Prænestinorum monumenta declarant, honestum hominem, & nobilem somnijs crebris, ad extremum etiam *minacibus, cùm iuberetur certo in loco silicem cædere, perterritum visis, irridentibus suis ciuibus, id agere cœpisse. itaque perfracto saxo sortes erupisse, in robore insculptas priscarum litterarum notas. *is est hodie locus septus religiosè propter Iouis pueri, qui lactens cum Iunone in gremio Fortunæ sedens mammam appetens castissimè colitur à matribus. Eodem tempore illo loco, vbi nunc Fortunæ stra ædes est, mel ex olea fluxisse dicunt, haruspicesq; dixisse, summa nobilitate illas sortes futuras, rorumq; iussu ex illa olea arcam esse factam, *eaque conditas sortes, quæ hodie Fortunæ monitu

tolluntur. Quid igitur in his potest esse certi, quæ Fortunæ monitu pueri manu miscentur, atque ducuntur? Quo modo autem istæ positæ in illo loco? quis robur illud cecidit, dolauit, inscripsit? nihil est, inquiunt, quod deus efficere non possit. Vtinam sapientes Stoicos effecisset, ne omnia superstitiosa solicitudine, & miseria crederent. Sed hoc quidem genus diuinationis vita iam communis exposuit. Fani pulchritudo, & vetustas, Prænestinarum etiam nunc sortium retinet nomen, atque id in vulgus. quis enim magistratus, aut quis vir illustrior vtitur sortibus? cæteris vero in locis sortes planè reiecerũt, quod Carneadem Clitomachus scribit dicere solitum, nusquam se fortunatiorem, quam Prænestæ vidisse Fortunam. Ergo hoc diuinationis genus omittemus. Ad Chaldæorum monstra veniamus: de quibus Eudoxus Platonis auditor, in astrologia iudicio doctissimorũ hominum facile princeps, sic opinatur, id quod scriptum reliquit: Chaldæi in prædictione, & in notatione cuiusq; vitæ ex natali die, minime esse credendum. nominat etiam Panætius, qui vnus è Stoicis astrologorum prædicta reiecit, Archelaum, & Cassandrum summos astrologos illius ætatis, qua erat ipse, cùm in ceteris astrologiæ partibus excellerent, hoc prædictionis genere non vsos. Scylax Halicarnasseus familiaris Panætij, excellẽs in astrologia, idemq;

in regenda sua ciuitate princeps, totum hoc Chaldaicum prædicendi genus repudiauit. Sed vt ratione vtamur omissu testibus, sic isti disputant, qui hæc Chaldæorũ natalitia prædicta defendunt: vim quandam esse aiunt signifero in orbe, qui Græcè ζωδιακὸς dicitur, talem, vt eius orbis vnaquæq; pars alia alio modo moueat, immutetq; cælum, perinde vt quæq; stellæ in ijs, finitimiq; partibus sint quoq; tempore: eámque vim varie moueri ab ijs sideribus, quæ vocantur errantia. cùm autem in eam ipsam partem orbis venerint, in qua sit ortus eius, qui nascitur: aut in eam, quæ coniunctum aliquid habeat, aut consentiens: ea trigona illi, & quadrata nominant. etenim cùm tempore anni, tempestatumq; cæli conuersiones, commutationésque tantæ fiant accessu stellarum, & recessu: cumq; ea vi solis efficiantur, quæ videmus: non verisimile solùm: sed etiam verum esse censent, perinde vtcunq; temperatus sit aër, ita pueros orientes animari, atq; formari, ex eoq; ingenia, mores, animum, corpus, actionem vitæ, casus cuiusque, euentusq; fingi. O delirationem incredibilem! non enim omnis error stultitia est dicenda. quibus etiam Diogenes Stoicus concedit aliquid vt prædicere possint, dumtaxat quali quisque natura, & ad quam quisque maximè rem aptus futurus sit. cetera, quæ profiteantur, negat vllo modo

posse sciri. etenim geminorum formas esse similes, vitam atque fortunam plerumq; disparem. Proclus, & Euristhenes Lacedæmoniorum reges gemini fratres fuerunt. at hi nec totidem annos vixerunt: anno enim Procli vita brevior fuit, multumq; in fratri rerum gestarum gloria præstitit. At ego idipsum, quod vir optimus Diogenes Chaldæis, quasi quadam præuaricatione, tõcedit, nego posse intelligi. Etenim cùm, vt ipsi dicunt, ortus nascentium Luna moderetur, eáque animaduertant, & notent sidera natalitia Chaldæi, quæcumq; Lunæ iuncta videantur: oculorum fallacissimo sensu iudicant ea, quæ ratione, atque animo videre debebant: docet enim ratio mathematicorum, quam istis notã esse oportebat, *quanta humilitate Luna feratur terrã pænè contingens, quantum absit a proxima Mercurij stella: multo autem longius à Veneris, deinde alio interuallo distet à Sole, cuius lumine collustrari putatur. Reliqua vero tria interuallo infinita, & immensa, à Sole ad Martis, inde ad Iouis, ab eo ad Saturni stellam, inde ad cælum ipsum, quod extremum atq; vltimum mundi est. Quæ potest igitur contagio ex infinito pænè interuallo pertinere ad Lunam, vel potius ad terram? quid? cùm dicunt id, quod ijs dicere necesse est, omnes omnium ortus, quicũq; gignãtur in omni terra, quæ incolatur, eosdem esse, eademq; omnibus,

qui eodem statu cæli, & stellarũ nati sunt, accidere necesse esse, nónne eiusmodi sunt, vt ne cæli quidẽ naturam interpretes istos cæli nosse appareat? Cùm enim illi orbes, qui cælũ quasi medium diuidunt, & aspectum nostrum definiunt, qui à Græcis ὁρίζοντες nominantur, à nobis finientes, rectissimè nominari possunt, varietatem maximam habeant, alq; in alijs locis sint, necesse est, ortus, occasusq; siderum non fieri eodem tempore apud omnes. Quòd si eorum vt cælũ modò hoc, modò illo modo temperatur, quî potest eadem vis esse nascentium, cùm cæli tanta sit dissimilitudo? In his locis, quæ nos incolimus, post solstitium Canicula exoritur, & quidem aliquot diebus: apud Troglodytas, vt scribitur, ante solstitium: vt si iam concedamus, aliquid vim cælestem ad eos, qui in terra gignuntur, pertinere, confitendum sit, illis eos, qui nascuntur eodem tempore, posse in dissimiles incidere naturas propter cæli dissimilitudinem. Quod minime illis placet: volunt enim illi, omnes eodem tempore ortos, qui vbique sint nati, eadem conditione nasci. Sed quæ tanta dementia est, vt in maximis motibus, mutationibusq; cæli nihil interesse qui ventus, qui imber, quæ tempestas vbique sit? quarum rerum in proximis locis tantæ dissimilitudines sæpe sunt, vt alia Tusculi, alia Romæ eueniat sæpe tempestas. quod qui nauigant, maximè animaduertunt, cùm in flectendis promontorijs vẽtorum mutationes maximas sæpe sentiant. Hæc igitur cũ sit tum serenitas, tum perturbatio cæli; éstne sanorum hominum, hoc ad nascentium ortus pertinere non dicere? quod non certè pertinet. illud nescio quid tenue, quod sentiri nullo modo, intelligi autem vix potest, quæ à luna ceterisq; sideribus cæli temperatio fiat, dicere ad puerorũ ortus pertinere? Quid, quod non intelligunt seminum vim, quæ ad gignendum, procreandumq; plurimum valeat, funditus tolli, mediocris erroris est? quis enim non videt & formas, & mores, & plerosque status, ac motus effingere à parentibus liberos? quod non contingeret, si hoc non vis, & natura gignentium efficeret, sed temperatio lunæ, cæliq; moderatio. Quid, quòd vno eodemq; temporis puncto nati dissimiles, & naturas, & vitas, & casus habent, parúmne declarant nihil ad agendam vitam nascendi tempus pertinere? nisi forte putamus neminem eodem tẽpore ipso & conceptum, & natum, quo Asicanum. numquis igitur talis fuit? quid? illúdne dubium est, quin multi, cùm ita nati essent, vt quædam contra naturam depranata haberent, restituerentur, & corrigerẽtur ab natura, cùm se ipsa reuocasset aut arte, aut medicina? aut quorum linguæ sic inhærerent, vt loqui nõ possent, eæ scalpello resectæ liberarentur? multi

etiam naturæ vitium meditatione, atq; exercitatione sustulerunt, vt Demosthenem scribit Phalereus, cũ Rho dicere nequiret, exercitatione feciſſe, vt planiſſimè diceret. quòd ſi hæc aſtro ingenerata & tradita eſſent, nulla res ea mutare poſſet. Quid? diſſimilitudo locorũ nónne diſſimiles hominũ procreationes habet? quas quidẽ percurrere oratione facile eſt: quid inter Indos & Perſas, Aethiopas & Syros differat corporibus, animis: vt incredibilis varietas diſſimilitudoq; ſit. Ex quo intelligitur, plus terrarum ſitus, quàm lunæ tractus ad naſcendum valere. Nam quod aiunt quadringenta & ſeptuaginta milia annorum in periclitandis, experiundiq; pueris, quicumq; eſſent nati, Babylonios poſuiſſe, fallunt: ſi enim eſſet factitatum, nõ eſſet deſitum: neminem autem habemus auctorum, qui aut fieri dicat, aut factum ſciat. Videsne me non ea dicere, quæ Carneades, ſed ea, quæ princeps Stoicorũ Panætius dixerit? Ego autem etiã hoc requiro, omnesne, qui Cannenſi pugna cecidérũt, vno aſtro fuerint? exitus quidem omniũ vnus, & idem fuit. Quid? *qui ingenio, atq; animo ſingulares, num aſtro quoque vno? quod enim tempus, quo nõ innumerabiles naſcantur? at certè nemo ſimilis Homeri. Etſi ad rem pertinet, quo modo cælo affecto, compoſitiq; ſideribus quodq; animal oriatur, valeat id neceſſe eſt etiam in rebus inanimis, quo quid dici poteſt abſurdius? L. quidem Tarutius Firmanus, familiaris noſter, in primis Chaldaicis rationibus eruditus, vrbis etiam noſtræ natalem diem repetebat ab ijs *Parilibus, quibus eã à Romulo cõditam accepimus, Romamq;, cùm eſſet in iugo luna, natam eſſe dicebat, nec eius fata canere dubitabat. O vim maximam erroris! Etiámne vrbis natalis dies ad vim ſtellarũ & lunæ pertinebat? Fac in puero referre, ex qua affectione cæli primum ſpiritum duxerit: num hoc in latere, aut in cæmento, ex quibus vrbs effecta eſt, potuit valere? ſed quid plura? quotidie refelluntur. Quàm multa ego Pompeio, quàm multa Craſſo, quàm multa huic ipſi Cæſari à Chaldæis dicta memini, neminem eorum niſi ſenectute, niſi domi, niſi cum claritate eſſe moriturum: vt mihi permirũ videatur, quemquam exſtare, qui etiam nũc credat ijs quorum prædicta quotidie videat re, & euentu refelli. Reſtant duo diuinandi genera: quæ habere dicimur à natura, non ab arte: vaticinandi, & ſomniandi. de quibus Quincte, inquã, ſi placet, diſſeramus. Mihi verò, inquit, placet: his enim quæ adhuc diſputaſti, prorſus aſſentior, & vere vt loquar, quãquam tua me oratio confirmauit, tamen etiam mea ſponte nimis ſuperſtitioſam de diuinatione Stoicorum ſententiam iudicabam: ac me Peripateticorum ratio magis mouebat, & veteris Dicæarchi, & eius, qui nunc

dici

floret, Cratippi: qui censent esse in mẽtibus hominum tamquam eraculum aliquod, ex quo futura præsentiant, si aut furore diuino incitatus animus, aut somno relaxatus solutè moueatur ac liberè. his de generibus quid sentias, & quibus ea rationibus infirmes, audire sanè velim. Quæ cùm ille dixisset, tum ergo rursus quasi ab alio principio sum exorsus dicere: Non ignoro, Quincte, te semper ita sensisse, vt de ceteris diuinandi generibus dubitares, ista duo furoris & somnũ, quæ à libera mente fluere viderentur, probares. Dicam igitur, de istis ipsis duobus generibus mihi quid videatur, si prius Stoicorum rationis conclusio, & Cratippi nostri quid valeat, videro. Dixisti Chrysippum, & Diogenem, & Antipatrum concludere hoc modo: si sunt dij, neque antè declarant hominibus, quæ futura sint: aut non diligunt homines: aut, quid euenturum sit, ignorant: aut existimant nihil interesse hominum, scire quid sit futurum: aut non censent esse suæ maiestatis præsignificare hominibus, quæ sint futura: aut ea ne ipsi quidem dij significare possunt. At neque non diligunt nos, sunt enim benefici, generiq; hominum amici: neq; ignorant ea, quæ ab ipsis constituta, & designata sunt: neque nostra nihil interest scire ea, quæ futura sunt. erimus enim cautiores, si scierimus: neq; hoc alienum ducunt maiestate sua: nihil est enim

beneficentia præstantius: neq; non possunt futura prænoscere. non igitur dij sunt, nec significant nobis futura: sunt autem dij, significant ergo. & non, si significant futura, nullas dant nobis vias ad significationum scientiam: frustra enim significarent: neque, si dant vias, non est diuinatio: est igitur diuinatio. O acutos homines: quàm paucis verbis negotium confectum putant! ea sumunt ad concludendũ, quorum ijs nihil conceditur. Cõclusio autem rationis ea probanda est, in qua ex rebus non dubijs id quod dubitatur, efficitur. Vidésne Epicurum, quem hebetem & rudem dicere solent Stoici, quem admodum quod in natura rerum omne esse dicimus, id infinitum esse concluserit? Quod finitum est, inquit, habet extremum. quis hoc nõ dederit? quod habet extremũ, id cernitur ex alio extrinsecus. hoc quoq; est concedendum. at quod omne est, id non cernitur ex alio extrinsecus. ne hoc quidem negari potest. nihil igitur cùm habeat extremũ, infinitũ sit necesse est. Vidésne vt ad rem dubiam concessis rebus perueneris? hoc vos dialectici nõ facitis: nec solùm ea nõ sumitis ad cõcludendũ, quæ ab omnibus concedantur: sed ea sumitis, quibus concessis, nihilo magis efficiatis quod velitis. Primum enim hoc sumitis: Si sunt dij, benefici in homines sunt. Quis hoc vobis dabit? Epicurũne, qui negat quidquam deos nec alieni curare, nec suĩ?

an noster Ennius, qui magno applausu loquitur, assentiente populo?

Ego deum genus esse semper dixi, & dicam cælitum.

Sed eos non curare opinor, quid agat humanum genus.

Et quidem, cur sic opinetur, rationem subiicit. sed nihil est necesse dicere quæ sequuntur: tantum sat est intelligi, id sumere istos pro certo, quod dubium controuersumq; sit. Sequitur porrò, nihil deos ignorare, quod omnia sint ab iis constituta. hic verò quanta pugna est doctissimorum hominum, negãcium esse hæc à diis immortalibus constituta? At nostra interest scire quæ euentura sint. magnus Dicæarchi liber est, nescire ea melius esse, quàm scire.

negant enim id esse alienum maiestatis deorum, scilicet causs.us omnium introspicere, vt videant quid cuiq; conducat. Neq; non possunt futura prænoscere. negant posse iis, quibus non placet esse certum, quid futurum sit. Vidésne igitur, quæ dubia sunt, ea sumere ipsos pro certis, atque conces.u? deinde contorquent, & ita concludunt: Non igitur & sunt dii, nec significant futura: id enim iam perfectum arbitrantur. deinde assumunt: Sunt autem dii: quod ipsum non ab omnibus conceditur. Significant ergo. ne id quidem sequitur: possunt enim non significare: & tamen esse dii, nec, si significent, non

non dare vias aliquas ad scientiam significationu. at id quoque potest, vt non dent homini, sed ipsi habeant. cur enim Tuscis potius, quàm Romanis darent? *nec, si dant vias, nulla est diuinatio. fac dare deos: quod absurdum est: quid refert, si accipere non possumus? Extremum est igitur diuinatio. sit extremum: effectum tamen non est. ex falsis enim, vt ab ipsis didicimus, verum effici non potest. iacet igitur tota conclusio. Veniamus nuncad optimum virum familiarem nostrum Cratippum. Si sine oculis, inquit, nõ potest exstare officium, & munus oculorum, possunt autem aliquando oculi nõ fungi suo munere: qui vel semel ita est vsus oculis, vt vera cerneret, is habet sensum oculorum vera cernẽtium. item igitur, si sine diuinatione non potest officium, & munus diuinationis exstare, potest autem cùm quis diuinationem habeat, errare aliquando, nec vera cernere: satis est ad confirmandam diuinationem, semel aliquid ita esse diuinatum, nihil vt fortuito cecidisse videatur, sunt autem eius generis innumerabilia. Esse igitur diuinationem confitendum est, festiuè, & breuiter: sed cũ bis sumpsit quod voluit, etiam si faciles nos ad concedendum habuerit, id tamen quod assumit, concedi nullo modo potest. Si, inquit, aliquãdo oculi peccent, tamen, quia rectè aliquando viderint, ineſt in iis vis videndi. item, si qui semel aliquid

in diuinatione dixerit, is etiam cùm peccet, tamen existimandus est habere vim diuinandi. Vide quæso Cratippe nostler, quàm sint ista similia, nam mihi quidem non videntur: oculi enim vera cernẽtes, vtuntur natura, atq; sensu animi, si quando vel vaticinãdo, vel somniando vera viderunt, vsi sunt fortuna, atque casu, nisi forte concessuros tibi existimas eos, qui somnia pro somnijs habent, si quando aliquod somnium verum euaserit, non id fortuitò accidisse. Sed demus tibi istas duas sumptiones, ea, quæ λήμματα appellant dialectici: sed nos Latinè loqui malumus: præsumptio tamen, quam πρόληψιν ὕδεμ vocant, non dabitur. Assumit autẽ Cratippus hoc modo: Sùt autem innumerabiles præsensiones non fortuitæ. at ego aiò nullam. Vide, quanta sit controuersia. Iam, assumptione non concessa, nulla conclusio est. At impudentes sumus, qui, quod tam perspicuum sit non concedamus. Quid est perspicuum? multa vera, inquit, euadere. quid quòd multo plura falsa? nónne ipsa varietas, quæ est propria fortunæ, fortunam esse causam, nõ naturam docet? deinde, si tua ista conclusio Cratippe vera est (tecum enim mihi res est) nónne intelligis eadem vti posse & haruspices, & fulguratores, & interpretes ostentorum, et augures, et fortilegos, & Chaldæos? quorũ genere nullum est, ex quo non aliquid, sicut prædictum sit,

sit, euaserit. Ergo aut ea quoq; genera diuinandi sunt, quæ tu rectissimè improbas: aut si ea non sunt, nõ intelligo cur hæc duo sint, quæ relinquis. qua ergo ratione hæc inducis, eadem illa possunt esse, quæ tollis. quid verò habet auctoritatis furor iste, quem diuinum vocatis, vt quæ sapiens non videat, ea videat insanus, & is, qui humanos sensus amiserit, diuinos assecutus sit? Sibyllæ versus obseruamus, quos illa furens fudisse dicitur. * quorũ interpres nuper falsa quadam hominum fama dicturus in senatu putabatur, eum quem reuera regem habebamus, appellandum quoque esse regem, si salui esse vellemus. Hoc si est in libris, in quẽ hominem, & in quod tempus est? callide enim, qui illa composuit, perfecit, vt quodcumque accidisset, prædictum videretur, hominum & temporum definitione sublata. Adhibuit etiam latebram obscuritatis, vt ĩdem versus aliàs in aliam rem posse accommodari viderentur. Non esse autẽ illud carmen furentis, cùm ipsum poëma declarat (est enim magis artis, & diligentiæ, quàm incitationis, & motus) tum vero ea quæ ἀκροστιχὶς dicitur, cùm deinceps ex primis versus litteris aliquid connectitur, vt in quibusdam Ennianis, * quæ Ennius fecit. id certè magis est attenti animi, quàm furentis. atque in Sibyllinis ex primo versu cuiusq; sententiæ primis litteris illius sententiæ carmen omne prætexit

texitur. hoc scriptoris est, nõ furentis: adhibentis diligentiam, nõ insani. Quamobrem Sibyllam quidem sepositam, & cõditam habeamus, vt, id quod proditum est à maioribus, iniussu senatus ne legantur quidem libri, valeantq; ad deponendas potius, quàm ad suscipiendas religiones: cum antistitibus agamus, vt quidvis potius ex illis libris, quàm regem proferant: quem Romæ posthac nec dŭ, nec homines esse patientur. At multi sæpe verâ vaticinati, vt Cassandra:

Iamq; mari magno.

Eademq; paullo post:

Eheu videte.

Num igitur me cogis etiam fabulis credere? quæ delectationis habeant, quãtum voles: verbis, sententijs, numeris, cantibus adiuuẽtur: auctoritatem quidem nullam debemus, nec fidem commentitijs rebus adiungere. Eodemq; modo nec ego Publicio nescio cui, nec Marcijs vatibus, nec Apollinis opertis credendum existimo: quorum partim ficta aperte, partim effutita temere, numquam ne mediocri quidem cuiquam, non modo prudenti, probata sunt. Quid, inquies, remex ille de classe Coponij, nónne ea prædixit, quæ facta sunt? ille verò & ea quidem, quæ omnes eo tempore, ne acciderent timebamus: castra enim in Thessalia castris collata audiebamus: videbaturq; nobis exercitus Cæsaris & audaciæ plus habere; quippe qui patriæ bellum intulisset; & roboris, propter vetustatẽ. casum autem prælij nemo nostrũm erat, quin timeret, sed ita, vt constantibus hominibus par erat, non apertè. ille autem Græcus quid mirũ si magnitudine timoris, vt plerumq; fit, à constantia, atq; à mente, atq; à se ipse discessit? qua perturbatione animi, quæ, sanus cùm esset, timebat ne euenirent, ea demens euentura esse dicebat. Vtrum tandem per deos, atque homines magis verisimile est, vesanum remigem, an aliquẽ nostrũm, qui ibi tum eramus, M. Catonem, Varronem, Coponium ipsum consilia deorum immortalium perspicere potuisse? Sed iam ad te venio,

O sancte Apollo, qui vmbilicum terrarum certum obsides,

*Vnde superstitiosa primum sæua euasit vox fera:

Tuis enim oraculis Chrysippus totum volumen impleuit, partim falsis, vt ego opinor; partim casu veris; vt fit in omni oratione sæpissime; partim flexiloquis & obscuris, vt interpres egeat interprete, & sors ipsa referenda sit ad sortes, partim ambiguis, & quæ ad dialecticum referenda sint. nam cùm sors illa edita est opulentissimo regi Asiæ,

Crœsus Halym penetrans magnam peruertet opum vim,

hostium vim sese peruersurũ putauit, peruertit autẽ suã. Vtrũ igitur eorũ accidisset, verũ oraculũ fuissẽt. Cur autẽ hoc credam vmquã editũ Crœsõ? aut Herodotũ cur veraciorem ducã Ennio? num minus ille potuit de Crœso, quàm de Pyrrho fingere Ennius? quis enim est, qui credat Apollinis ex oraculo Pyrrho esse respõsum,

Aio te, Aeacida, Romanos vincere posse?

Primùm Latinè Apollo numquam locutus est: deinde ista sors inaudita Græcis est: præterea Pyrrhi temporibus iam Apollo versus fucere desierat: postremò, quamquam semper fuit, vt apud Ennium est, stolidum genus Aeacidarum: Bellipotentes sunt magi' quàm sapientipotentes: tamẽ hanc* amphiboliam versus intelligere potuissẽt, vincere te Romanos, nihilo magis in se, quàm in Romanos valere. nam illa amphibologia, quæ Crœsum decepit, vel Chrysippum potuisset fallere: hæc verò ne Epicurum quidem. Sed quod caput est, cur isto modo iam oracula Delphis non eduntur, non modò nostra ætate, sed iamdiu, iam vt nihil possit esse contemptius? Hoc loco cùm vrgentur, euanuisse aiunt vetustate vim loci eius, vnde anhelitus ille terræ fieret, quo Pythia mẽte incitata oracula ederet. de vino aut salsamẽto putes loqui, quæ euanescũt vetustate. De vi loci agitur, nec solùm naturali, sed etiam diuina: quæ quo tandem modo euanuit? Vetustate, inquies. quæ vetustas

tustas est, quæ vim diuinam conficere possit? quid tam diuinum, quàm afflatus ex terra mẽtem ita mouens, vt eam prouidam rerum futurarum efficiat, vt ea nõ modò cernat multo ante, sed etiam numero versuq; pronuntiet? quando autem ista vis euanuit? an postquam homines minus creduli esse cœperunt? Demosthenes quidem, qui abhinc annos propè CCC. fuit, iam tum φιλιππίζειν Pythiam dicebat, id est, quasi cum Philippo ficere. Hoc autem eò spectabat, vt eam à Philippo corruptam diceret. Quo licet existimare in alijs quoque oraculis Delphicis aliquid non sinceri fuisse. Sed nescio quo modo isti philosophi superstitiosi, & pene fanatici, quidvis malle videntur, quàm se non ineptos. euanuisse maultis, & exstinctum esse id, quod si vmquam fuisset, certè æternum esset, quàm ea, quæ non sunt credenda, non credere. Similis est error in somnijs: quorum quidem defensio repetita quàm longe est? Diuinos animos censent esse nostros, eosq; esse tractos extrinsecus, animorumq; consentientium multitudine completum esse mundum. hac igitur mentis & ipsius diuinitate, & coniunctione cum externis mentibus cerni quæ sint futura. Contrahi autem animum Zeno, & quasi labi putat, atq; cõcidere, & ipsum esse dormire. iam Pythagoras, & Plato locupletissimi auctores, quo in somnis certiora videamus, præpara-

tos quodam cultu atq; victu proficiſci ad dormiendum iubent: faba quidem Pythagorei vtiq; abſtinere: quaſi vero eo cibo mens, non venter inflatur. Sed neſcio quo modo nihil tam abſurdè dici poteſt, quod non dicatur ab aliquo philoſophorum. Vtrum igitur cenſemus dormientium animos per ſemetipſos in ſomniando moueri; an, vt Democritus cenſet, externa, & aduentitia viſione pulſari? ſiue enim ſic eſt, ſiue illo modo, videri poſſunt permulta ſomniantibus falſa pro veris. nam & nauigantibus moueri videntur ea, quæ ſtant: & quodam obtutu oculorum duo pro vno lucernæ lumina. Quid dicam inſanis, quid ebrijs quàm multa falſa videantur? quòd ſi eiuſmodi viſis credendum non eſt, cur ſomnijs credatur, neſcio. nam tam licet de his erroribus, ſi velis, quàm de ſomnijs diſputare: vt ea, quæ ſtant, ſi moueri videantur, terræmotum ſignificare dicas, aut repentinam aliquam fugam: gemino autem lucernæ lumine, declarari diſſenſionem, ac ſeditionem moueri. Iam ex inſanorum, aut ebriorum viſis innumerabilia coniectura trahi poſſunt, quæ futura videantur: quis eſt enim, qui totum diem iaculans non aliquando collimet? totas noctes ſomniamus: neq; vlla ferè eſt, qua non dormiamus: & miramur, aliquando id *quod ſomniamus, euadere? quid eſt tam incertum, quàm talorum iactus? tamẽ nemo eſt, quin ſæpe iactans, venereum aliquando iaciat, nonnunquã etiam iterũ, ac tertium. num igitur, vt inepti, Veneris id fieri impulſu malumus, quàm caſu dicere? Quòd ſi ceteris temporibus, falſis viſis credendum nõ eſt, non video quid præcipui ſomnus habeat, in quo valeãt falſa pro veris. Quòd ſi ita natura paratũ eſſet, vt ea dormientes agerent, quæ ſomniarent: alligandi eſſent omnes, qui cubitum irent: maiores enim, quàm vlli inſani, efficerent motus ſomniantes. quòd ſi inſanorum viſis fides non eſt adhibenda, quòd falſa ſunt: cur credatur ſomniantium viſis, quæ multo etiam perturbatiora ſunt, non intelligo. an quòd inſani ſua viſa coniectori non narrãt, narrãt qui ſomniauerũt? Quæro etiam, ſi velim ſcribere quid, aut legere, aut canere voce, vel fidibus, aut geometricum quiddam, aut phyſicum, aut dialecticum explicare, ſomniumne exſpectandum ſit, an ars adhibenda, ſine qua nihil earum rerum nec fieri, nec expediri poteſt? atqui, ne ſi nauigare quidem velim, ita gubernarem vt ſomniauerim: præſens enim pœna ſit. *Quid igitur cõuenit ægros à coniectore ſomniorum potius, quàm à medico petere medicinam? An Aeſculapius, an Serapis poteſt præſcribere per ſomnium curationem valetudinis, Neptunus gubernantibus non poteſt? & ſi ſine medico medicinam dabit Minerua, Muſæ ſcribendi, legendi, ceterarumq;

rumq; artium scientiam somniantibus non dabant? at si curatio daretur valetudinis, hæc quoq;, quæ dixi, darentur. quæ quoniam non dantur, medicina non datur. qua sublata; tollitur omnis auctoritas somniorum. Sed hæc quoq; in promptu nunc interiora videamus: aut enim diuina vis quædam consulens nobis somniorum significationes facit: aut coniectores ex quadam conuenientia, & coniunctione naturæ, quam vocant συμπάθειαν, quid cuique rei conueniat, ex somnijs, & quid quamque rem sequatur, intelligunt: aut eorum neutrum est, sed quædam obseruatio constans, atque diuturna est, cùm quid visum secundum quietem sit, quid euenire, aut quid sequi soleat. Primùm igitur intelligendum est, nullam vim esse diuinam effectricem somniorum. Atque illud quidem perspicuum est, nulla visa somniorum proficisci à numine deorum: nostra enim caussa dij id facerent, vt prouidere futura possemus. Quotus igitur est quisque, qui somnijs pareat? qui intelligat? qui meminerit? quàm multi verò, qui contemnant, eamq; superstitionem imbecilli animi, atq; anilis putent? quid est igitur, cur his hominibus consulens deus, somnijs moneat eos, qui illa non modò cura, sed ne memoria quidem digna ducant? nec enim ignorare deus potest, qua mente quisq; sit: nec frustra, ac sine caussa quid facere, digniù deo est: quod abhorret

horret etiam ab hominis constantia. Ita si plerag; somnia aut ignorantur, aut negliguntur, aut nescit hoc deus, aut frustra somniorum significatione vtitur. sed horũ neutrum in deum cadit: nihil igitur à deo somnijs significari fatendum est. Illud etiam requiro, cur, si deus ista visa nobis prouidendi caussa dat, non vigilantibus potius det, quàm dormientibus siue enim externus, & aduentitius pulsus animos dormientium commouet, siue per se ipsi animi mouentur, siue quæ caussa alia est, cur secundum quietem aliquid videre, audire, agere videamur: eadem caussa vigilantibus esse poterat: idq; si nostra caussa secundum quietem dij facerent, vigilantibus idem facerent; præsertim cùm Chrysippus Academicos refellens permulto clariora & certiora esse dicat, quæ vigilantibus videantur, quàm quæ somniantibus. Fuit igitur diuina beneficentia digniùs, cùm consuleret nobis, clariora visa dare vigilantibus, quàm obscuriora per somnium. quod quoniam non fit, somnia diuina putanda non sunt. Iam verò quid opus est circuitione, & amfractu, vt sit vtendum interpretibus somniorum potius, quàm directò deus, si quidem nobis consulebat, Hoc facito, hoc ne feceris, diceret? idq; visum vigilãti potius, quàm dormienti daret? Iam verò quis dicere audeat, vera omnia esse somnia? aliquot somnia vera, inquit Ennius: sed omnia

non est necesse. quæ est tandem ista distinctio? quæ vera, quæ falsa habet? & si vera à deo mittuntur, falsa vnde nascũtur? nam si ea quoque diuina, quid inconstantius deo? quid inscitius autem est, quàm mentes mortalium falsis, & mẽdacibus visis cõcitare? sin vera visa diuina sunt, falsa autem, & inania humana, quæ est ista designandi licentia, vt hoc deus, hoc natura fecerit potius, quàm aut omnia deus, quod negatis, aut omnia natura? quod quoniam illud negatis, hoc necessariò confitendum est. Naturam autem eam dico, qua numquam animus insistens agitatione, & motu esse vacuus potest. is cum languore corporis, nec membris vti, nec sensibus potest, incidit in visa varia, & incerta ex reliquijs, vt ait Aristoteles, inhærentibus earum rerũ, quas vigilans gesserit, aut cogitarit: quarum perturbatione mirabiles interdum existunt species somniorum. Quæ si alia vera, alia falsa; qua nota internoscantur, scire sanè velim: si nulla est, quid istos interpretes audiamus? sin quæpiam est, aueo audire qua sit. sed hærebunt. Venit enim iam in contentionem, vtrum sit probabilius, deósne immortales rerum omnium præstantia excellentes concursare omniũ mortalium, qui vbiq; sunt, non modò lectos, verùm etiam grabatos, &, cùm stertẽtes aliquos viderint, obijcere his visa quædam tortuosa, & obscura, quæ illi exterriti somnio ad

ad coniectorem mane deferant: an natura fieri, vt mobiliter animus agitatus, quod vigilans viderit, dormiens videre videatur. Vtrum philosophia dignius, sagarum superstitione ista interpretari, an explicatione naturæ? vt, si iam fieri possit coniectura vera somniorum, tamen isti, qui profitentur, eam facere non possint: ex leuissimo enim, & indoctissimo genere cõstant. Stoici autẽ tui negant quemquam, nisi sapientem, diuinum esse posse. Chrysippus quidẽ diuinationem definit his verbis, Vim cognoscentem, & videntem, & explicantem signa, quæ à dijs hominibus portendantur: officium autem eius esse, prænoscere dei erga homines mente qua sint, quidq; significent, quemadmodumq; ea procurentur, atque expientur. Idemq; somniorum coniectionem definit hoc modo, Esse vim cernentem, & explanantem quæ à dijs hominibus significentur in somnis. Quid ergo? ad hæc mediocri opus est prudentia, an & ingenio præstanti, & eruditione perfecta? talem autem cognouimus neminem. Vide igitur, ne, etiam si diuinationem tibi esse concessero, quod numquam faciam, neminem tamẽ diuinum reperire possimus. Qualis autẽ ista mens est deorum, si neq; ea nobis significant in somnis, quæ ipsi per nos intelligamus: neq; ea, quorũ interpretes habere possimus? similes enim sunt dij, si ea nobis obijciunt, quorum neq; scientiam, neq;

explanationem habeamus, tamquam si Pœni, aut Hispani in senatu nostro sine interprete loquerentur. Iam verò quò pertinent obscuritates, & ænigmata somniorum? intelligi enim à nobis dij velle debebant ea, quæ nostra caussa nos monebant. * Quid? poëta nemo, nemo physicus obscurus? ille verò nimis etiam obscurus Euphorion: at non Homerus. vter igitur melior? valde Heraclitus obscurus, minime Democritus. num igitur confirendi? mea caussa me mones, quod nō intelligā: quid me igitur mones? vt si quis medicus ægroto imperet, vt sumat

Terrigenam, herbigradam, domiportam, sanguine cassam,

potius quàm hominum more, cochleam, dicere. Nam Pacuuianus Amphion,

Quadrupes tardigrada, agrestis, humilis, aspera,
Capite brevi, ceruice anguina, aspectu truci,
Euiscerata, inanima cum animali sono,

cùm dixisset obscurius, tum Attici respondent: Non intelligimus, nisi apertè dixeris. At ille vno verbo: Testudo. Non potueras hoc igitur à principio citharistæ dicere? Defert ad coniectorem quidam somniasse se, ouum pendere ex fascia lecti sui cubicularis. est hoc in Chrysippi libro somnium. respondit coniector, thesaurū defossum esse sub lecto. fodit: inuenit auri aliquantum, idq; circumdatum argento: misit coniectori quan-

ri quantulū visum est de argento. tum ille, Nihilne de vitello? id enim ex ouo videbatur aurum declarasse, reliquum argentum. Nemone igitur vnquam alius ouum somniauit? Cur ergo hic nescio quis thesaurum solus inuenit? quam multi inopes, digni præsidio deorum nullo somnio ad thesaurum reperiendum admonentur? quam autem ob caussam tam est obscurè admonitus, vt ex ouo nasceretur thesauri similitudo, potius, quàm apertè thesaurum quærere iuberetur, sicut aperte Simonides vetitus est nauigare? Ergo obscura somnia minime consentanea sunt maiestati deorum. Ad aperta & clara veniamus, quale est de illo interfecto à cauppone Megaris, quale de Simonide, qui ab eo, quem humauerat, vetitus est nauigare: quale etiam de Alexandro: quod à te præteritum esse miror: qui, cùm Ptolemæus familiaris eius in prælio telo venenato ictus esset, eoq; vulnere summo cum dolore moreretur, Alexander assidens somno est consopitus. tum secundum quietem visus ei dicitur draco ei, quem mater Olympias alebat, radiculam ore ferre, & simul dicere quo illa loci nasceretur (neque is longe aberat ab eo loco): eius auxisset amicis somnium, emisisse qui illam radiculam quærerent. qua inuenta, & Ptolemæus

sanatus dicitur, & multi milites, qui erant eodem genere teli vulnerati. Multa etiam sunt à te ex historijs prolata somnia, matris Phalaridu, Cyri superioris, matris Dionysij, Pæni Amilcaris, Hannibalis, P. Decij, peruulgatum iam illud de præsultore; Gracchi etiam, & recens Cæciliæ Balearici filiæ somnium. Sed hæc externa, ob eamq; causſam ignota nobis sunt: nonnulla etiam ficta fortasse: quis enim auctor istorum? De nostris somnijs quid habemus dicere? tu de merso me, & equo adripam? ego de Mario cum fascibus laureatis me in suum deduci iubente monumentum? Omnium somniorum, Quincte, vna ratio est. quæ, per deos immortales, videamus ne nostra superstitione, & depravatione superetur. quem enim tu Marium visum à me putas? speciem credo eius, & imaginem, vt Democrito videtur. vnde profectam imaginem? à corporibus enim solidis, & à certis figuris vult fluere imagines. * Quod igitur Marij corpus erat, ex eo, inquit, quod fuerat, plena sunt imaginum omnia ista. Igitur me imago Marij in campum Atinatem persequebatur: nulla enim species cogitari potest, nisi pulsu imaginum. Quid ergo? Istæ imagines ita nobis dicto audientes sunt, vt, simul atq; velimus, accurrant? etiamne earum rerum, quæ nullæ sunt? quæ est enim forma tam inusitata, tam nulla, quam non sibi animus possit effingere? vt, quæ numquam vidimus, ea tamen formata habeamus, oppidorum situs, hominum figuras. num igitur, cùm aut muros Babylonis, aut Homeri faciem cogito, imago illorum me aliqua pellit? Omnia igitur, quæ volumus, nota nobis esse possunt: nihil est enim, de quo cogitare nequeamus. Nullæ ergo imagines obrepunt in animos dormientium extrinsecus, nec omnino fluunt illæ: nec cognoui quemquam, qui maiore auctoritate nihil diceret. Animorum est ea vis, atque natura, vt vigeant vigilantes, nullo aduentitio pulsu, sed suo motu, incredibili quadam celeritate. Hi cùm sustinentur membris, & corpore, & sensibus, omnia certiora cernunt, cogitant, sentiunt. Cùm autem hæc subtracta sunt, desertusq; animus languore corporis, tum agitatur ipse per sese. itaq; in eo & formæ versantur, & actiones, & multa audiri, multa dici videntur. Hæc scilicet imbecillo remissoq; animo multa omnibus modis confusa, & variata versantur: maximeq; reliquiæ earum rerum mouentur in animis, & agitantur, de quibus vigilantes aut cogitauimus, aut egimus: vt mihi temporibus illis multum in animo Marius versabatur recordanti, quàm ille grauem suum casum magno animo, quàm constanti tulisset. Hanc credo causſam de illo somniandi fuisse. tibi autem de me cum solicitudine cogitanti subito

subito sum visus emersus ex flumine : inerant enim in vtriusq; nostrum animis vigilantium cogitationum vestigia. At quædam adiuncta sunt : vt mihi de monumento Marij : tibi, quòd equus, in quo ego vehebar, mecum vnà demersus rursus apparuit. An tu censes vllam animam tam deliram futuram fuisse, vt somnijs crederet, nisi ista casu nonnumquam, forte, temere concurrerent ? Alexandro loqui draco visus est. potest omnino hoc esse falsum, potest verum. sed vtrum sit, non est mirabile : non enim audiuit ille draconem loquentem, sed est visus audire : & quidem, quo maius sit, cùm radicem ore teneret, locutus est. Sed nihil est magnum somnianti. Quæro autem, cur Alexandro tam illustre somnium, tam certum, nec huic eidem alias, nec multa ceteris. mihi quidem, præter hoc Marianum, nihil sanè, quod meminerim. frustra igitur consumpta tot noctes tam longa in ætate. Nunc quidem propter intermissionem forensis operæ, & lucubrationes detraxi, & meridiationes addidi, quibus vti antea non solebam : nec tam multum dormiens vllo somnio sum admonitus, tantis præsertim de rebus: nec mihi magis vsquam videor, quàm cùm aut in foro magistratus, aut in curia senatum video somniare. Etenim ex diuisione hoc secundum est, quæ est continuatio, coniunctioq; naturæ: quam, vt dixi, vocant

cant συμπάθειαν eiusmodi, vt thesaurus ex quo intelligi debeat. nam medici ex quibusdam rebus, & aduenientes, & crescentes morbos intelligunt : nonnullæ etiam valetudinis significationes, vt hoc ipsum, * pleni, enecti ve simus, ex quodam genere somniorum intelligi posse dicuntur. thesaurus verò, & hereditas, & honos, & victoria, & multa generis eiusdem qua cum somnijs naturali cognatione iunguntur? dicitur quidam, cùm in somnijs complexu venerio iungeretur, calculos eiecisse. video sympathiam : visum est enim tale obiectum dormienti, vt id, quod euenit, naturæ vis, non opinio erroris effecerit. Quæ igitur natura obtulit illam speciem Simonidi, à qua vetaretur nauigare? aut quid naturæ copulatum habuit Alcibiadis quod scribitur somnium? qui paullo ante interitum visus est in somnis amicæ esse amictus amiculo. is cùm esset proiectus inhumatus, ab omnibúsque desertus iaceret: amica corpus eius texit suo pallio. ergo hoc inerat in rebus futuris, & caussas naturales habebat. an & vt videretur, & vt eueniret, casus effecit? Quid ipsorum interpretum coniecturæ? nónne magis ingenia declarant eorum quàm vim consensumq; naturæ? Cursor ad Olympia proficisci cogitans, visus est in somnis curru quadrigarũ vehi. mane ad coniectorem. at ille, Vinces, inquit : id enim celeritas significat,

ficat, & vis equorum. Post idem ad Antiphontem. is autem, Vincare, inquit, necesse est. an non intellig⁹ quattuor ante te cucurrisse? ecce alius cursor. Atq; horum somniorum, & talium plenus est Chrysippi liber, plenus Antipatri. Sed ad cursorem redeo. Ad interpretem detulit, aquilam se in somnis visum esse fiectum. at ille, Vicisti. ista enim auis volat nulla vehementius. Huic equidem Antipho, Tu verò, inquit, te victum esse nõ vides? ista enim auis insectans alias & agitans, semper ipsa postrema est. Parere quædam matrona cupiens, dubitans essetne prægnans, visa est in quiete obsignatam habere naturam: retulit. negauit eam, quoniam obsignata fuisset, concipere potuisse. At alter prægnantem esse dixit: nam inane obsignari nihil solere. Quæ est ista ars coniectoris, eludentis ingenio? an ea, quæ dixi, & innumerabilia, quæ collecta habent Stoici, quidquam significant, nisi, acumen hominum ex similitudine aliqua coniecturam modò huc, modò illuc ducentium? medici signa quædam habent ex venis, & ex spiritu ægroti, multisq; ex alijs futura præsentiunt. gubernatores cùm exsultantes Loligenes viderint, aut Delphinos se in portum conijcientes, tempestatem significari putant. Hæc ratione explicari, & ad naturã facilè reuocari possunt: ea verò, quæ paulo antè dixi, nullo modo. At enim obseruatio diuturna (hæc enim pars vna restat) notandis rebus fecit artem, an tandem somnia obseruari possunt? quonam modo? sunt enim innumerabiles varietates. nihil tam præposterè, tam imconditè, tam monstruosè cogitari potest, quod non possimus somniare. Quo modo igitur hæc infinita, & semper noua aut memoria complecti, aut obseruando notare possumus? Astrologi motus errantium stellarum notauerunt. inuentus est enim ordo in ijs stellis, qui non putabatur. cedò tandem: qui sit ordo, aut quæ concursatio somniorum? quo modo autem distingui possunt vera somnia à falsis, cùm eadem & alijs aliter euadant, & ijsdem non semper eodem modo? vt mihi mirũ videatur, cùm mendaci homini, ne verum quidem dicenti credere soleamus, quo modo isti, si somnium verum euasit aliquod, *non ex multis potius vni fidem derogant, quàm ex vno innumerabilia confirmant. Si igitur neq; deus est effector somniorum, neque naturæ societas vlla cum somnijs, neq; obseruatione inueniri potuit scientia: effectum est, vt nihil prorsus somnijs tribuendum sit: præsertim cùm illi ipsi, qui ea vident, nihil diuinent: ij, qui interpretantur, coniecturam adhibeant, non naturam: casus autem innumerabilibus pænè seculis in omnibus plura mirabilia, quàm in somniorum visis efficerit: neq; coniectura, quæ in varias partes duci po-

test, nonnumquam etiam in contrariae, quidquam sit incertius. Explodatur haec quoque somniorum divinatio pariter cum ceteris: nam, vt vere loquamur, superstitio fusa per gentes oppressit omnium ferè animos, atq; hominum imbecillitatem occupauit: quod & in ipso libro dictum est, qui sunt de natura deorum. & hac disputatione id maximè egimus: multum enim & nobismetipsis, & nostris profuturi videbamur, si eam funditus sustulissemus. Nec verò (id enim diligenter intelligi volo) superstitione tollenda religio tollitur. nam & maiorum instituta tueri sacris, caerimoniisq; retinendis, sapientis est: & esse praestantem aliquam, aeternamq; naturam, & eam suspiciendam admirandamq; hominum generi, pulchritudo mundi, ordoq; rerum coelestium cogit confiteri. Quamobrem, vt religio propaganda etiam est, quae est iuncta cum cognitione naturae: sic superstitionis stirpes omnes eradicandae sunt: instat enim, & vrget, & quocumque te verteris, persequitur, siue in auem, siue tu omen audieris, siue immolaris, siue auem aspexeris; si Chaldaeum, si haruspicem videris, si fulserit, si tonuerit, si tactum aliquid erit de coelo, si ostenti simile factumve quippiam; quorum necesse est plerumque aliquid eueniat: vt nunquam liceat quieta mente consistere. Perfugium videtur omnium laborum, & solicitudinum esse somnus. at ex eo ipso plurimae curae, metusq; nascuntur. qui quidem ipsi per se minus valerent, & magis contemnerentur, nisi somniorum patrocinium philosophi suscepissent, nec ij quidem contemptissimi, sed in primis acuti, & consequentia & repugnantia videntes; qui prope iam absoluti & perfecti putantur. Quorum licentiae nisi [illegible] esset, haud scio an soli iam philosophi diuitentur: cum quibus omnis ferè nobis disputatio, contentioque est: non quod eos maximè contemnamus: sed quod videntur acutissimè sententias suas, prudentissimeq; defendere. Cùm autem proprium sit Academiae, iudicium suum nullum interponere, ea probare, quae simillima veri videantur: conferre causas, & quid in quamq; sententiam dici possit, expromere nulla adhibita sua auctoritate, iudicium audientium relinquere integrum, ac liberum: tenebimus hanc consuetudinem à Socrate traditam, eáque inter nos, si tibi Quincte frater placebit, quàm saepissime vtemur. Mihi verò, inquit ille, nihil potest esse iucundius. Quae cùm essent dicta, surreximus.

*

M. T. CICERONIS DE FATO LIBER.

QVIA pertinet ad mores, quos ἤθη Græci vocant, nos eam partem philosophiæ De moribus appellare solemus. Sed decet augentẽ linguam Latinam nominare Moralem. Explicandáq; vis est, ratióque enuntiationum: quæ Græci ἀξιώματα vocant: quæ de re futura, cùm aliquid dicunt, deq; eo, quod possit fieri, aut non possit, quam vim habeant obscura quæstio est: quam περὶ δυνατῶν appellant: totáque est * logicæ: quam rationem disserendi voco. Quod autem in alijs libris feci, qui sunt de natura deorum, itemq; in ijs, quos de diuinatione edidi, vt in vtramq; partem perpetua explicaretur oratio, quo facilius id à quoque probaretur, quod cuique maximè probabile videretur: in hac disputatione de fato casus quidam, ne facerem, impediuit. Nam cùm essem in Puteolano, Hirtius noster consul designatus ijsdem in locis, vir nobis amicissimus, & ijs studijs, quibus nos à pueritia vximus, deditus: multum vnà eramus, maximè nos quidem exquirentes ea consilia, quæ ad pacem, & ad concordiã ciuium pertinerent. Cùm enim omnes post interitum Cæsaris nouarum per-

perturbationum causſæ quæri viderentur, hiúq; esse occurrendum putaremus: omnis ferè nostra in his deliberationibus consumebatur oratio: idq; & sæpe alias, & quodam liberiore, quàm solebat, & magis vacuo ab interuentoribus die, cùm ille ad me venisset; primò illa, quæ erant quotidiana, & quasi legitima nobis, de pace, & de ocio dicta sunt. Quibus acceptis, Quid ergo, inquit ille, quoniam oratorias exercitationes non tu quidem, vt spero, reliquisti, sed certè philosophiam illis anteposuisti, possumne aliquid audire? Tu verò, inquã, vel audire, vel dicere: nec enim, quod rectè existimas, oratoria illa studia deserui: quibus etiam te incendi, quamquam flagrantissimum acceperam: nec ea, quæ nunc tracto, minuunt, sed augent potius illam facultatem. nam cum hoc genere philosophiæ, quod nos sequimur, magnam habet orator societatem: subtilitatẽ enim ab Academia mutuatur, & ei vicissim reddit vbertatem orationis, & ornamenta dicendi. Quamobrem, inquã, quoniam vtriusq; studij nostra possessio est, hodie vtro frui malis, optio sit tua. Tum Hirtius, Gratissimũ, inquit, & tuorum omnium simile: nihil enim vmquam abnuit voluntas tua meo studio. Sed quoniam mihi rhetorica vestra sat nota, teq; in his & audiuimus sæpe, & audiemus, atque hanc Academicorum contra propositum disputandi

tandi consuetudinem indicant te suscepisse Tusculanæ disputationes: ponere aliquid, ad quod audiam, si tibi non est molestum, volo. An mihi, inquam, potest quidquam esse molestum, quod tibi gratum futurum sit? sed ita audies, vt Romanum hominem, vt timidè ingredientem ad hoc genus disputandi, vt longo interuallo hæc studia repetentem. Ita, inquit, audiam te disputantem, vt ea lego, quæ scripsisti. Proinde ordine.

Multa desunt.

*Considerabamus hic, quorũ in alijs vt in *Antipatro poëta, vt in brumali die natis, *vt in simul ægrotantibus fratribus, vt in vrina, vt in vnguibus, vt in reliquis eiusmodi naturæ contagio valeret: quam ego non tollo: vis est nulla fatalis. in alijs autem fortuita quædam esse possunt, vt in illo naufrago, vt in *Icadio, vt in Daphita. Quædam etiam Posidonius, pace magistri dixerim, comminisci videtur. Sunt, inquam, quidem absurda. Quid enim? si Daphitæ fatum fuit de equo cadere, atque ita perire, ex hocne equo, qui cùm equus non esset, nomen habebat alienum? *aut Philippus hasce in capulo quadrigulas vitare monebatur? quasi verò capulo sit occisus. *Quid autem magnum, & naufragum illum sine nomine in vino esse

esse lapsum? quamquam huic quidem hic scribit prædictum in aqua esse pereundũ. *Ne Herculc Icadij quidem prædonis video fatũ vllum: nihil enim scribit ei prædictum. Quid mirum igitur ex spelunca saxum in crura eius incidisse? puto enim, etiam si Icadius tum in spelunca non fuisset, saxum tamen illud casurum fuisse: nam aut nihil est omnino fortuitum, aut hoc ipsum potuit euenire fortuna. Quæro igitur, atque hoc latè patebit, si fati omnino nullũ nomẽ, nulla natura, nulla vis esset, et forte, temere, casu aut pleraq; fierent, aut omnia: num aliter, ac nunc eueniunt, euenirẽt? Quid ergo attinet inculcare fatum, cùm sine fato ratio omniũ rerum ad naturam, fortunámve referatur? Sed Posidoniam, sicut æquum est, cum bona gratia dimittamus: *ad Chrysippi laqueos reuertamur. Cui primùm quidem de ipsa rerum contagione respondeamus: reliqua postea persequemur. *Inter locorũ naturas quãtum intersit? videmus alios esse salubres, alios pestilentes, in alijs esse pituitosos, & quasi redundantes, in alijs exsiccatos, atq; aridos: multaq; sunt alia, quæ inter locum, & locum plurimum differant. Athenis tenue cælum, ex quo acutiores etiam putantur Attici. crassum Thebis: itaque pingues Thebani, & valentes, tamẽ neque illud tenue cæsilam, aut Zenonem quis, aut Arcesilam, aut Theophrastum audiat: neque crassum

sum, vt Nemea potius, quàm Isthmo victoriam petat. Disiunge longius. Quid enim loci natura afferre potest, vt in porticu Pompeÿ potius, quàm in campo ambulemus? tecum, quàm cum alio? Idibus potius, quàm Kalendis? Vt igitur ad quasdã res natura loci pertinet, & operatur aliquid, ad quasdam autem nihil: sic affectio astrorũ valeat, si vis, ad quasdam res: ad omnes certè nõ valebit. At enim quoniam in naturis hominum dissimilitudines sunt, vt alios dulcia, alios subamara delectent; alÿ libidinosi, alÿ iracundi, aut crudeles, aut superbi sint; alÿ talibus vitÿs abhorreant: quoniam igitur, inquit, tantum natura à natura distat: quid mirum est, has dissimilitudines ex dissentientibus caussis esse factas? Hæc disserens, quæ de re agatur, & in quo caussa consistat, non videt. Non enim, si alÿ ad alia propensiores sint propter caussas naturales, & antecedentes, nec circo etiam nostrarum voluntatum, atq; appetitionum sunt caussæ naturales, & antecedentes: nam nihil esset in nostra potestate, si res ita se haberet: nũc verò fatemur, acuti, hebetes, valētes, imbecillíne simus, non esse id in nobis. Qui autem ex eo cogi putat, ne vt sedeamus quidem aut ambulemus voluntatis esse, is non videt quæ quamque res consequatur. Vt enim & ingenioſi, & tardi ita nascantur antecedentibus caussis, itemq; valentes, & imbecilli non sequitur tamen, vt etiam sedere, et ambulare, & rem agere aliquam principalibus caussis definitum, & constitutum sit. * Stilponem Megaricum philosophum, acutum sanè hominem, & probatum temporibus illis accepimus. hunc scribunt ipsius familiares & ebriosum, & mulierosum fuisse: neque hoc scribunt vituperantes, sed potius ad laudem: vitiosam enim naturam ab eo sic edomitam, & compressam esse doctrina, vt nemo vmquã vinolẽtum illũ, nemo in eo libidinis vestigium viderit. Quid? Socratem nõnne legimus, quemadmodum notauit Zopyrus physiognomon, qui se profitebatur hominum mores naturasq; ex corpore, oculis, vultu, fronte pernoscere? stupidum esse Socratem dixit, & bardum, quòd iugula concaua non haberet: obstructas eas partes, & obturatas esse dicebat: addidit etiam mulierosum: in quo Alcibiades cachinnum dicitur sustulisse. Sed hæc ex naturalibus caussis vitia nasci possunt: extirpari autem, & funditus tolli, vt is ipse, qui ad ea propensus fuerit, à tantis vitÿs auocetur, non est id positum in naturalibus caussis, sed in voluntate, studio, disciplina. quæ tolluntur omnia, si vis, & natura fati ex diuinationis ratione firmabitur. * Etenim, si est diuinatio, qualibus nam à perceptis artis profiscitur? percepta appello, quæ dicuntur Græcè θεωρήματα. Non enim credo nullo percepto aut

ceteros artifices versari in suo munere, aut eos qui diuinatione vtatur futura prædicere. Sunt igitur astrologorum percepta huiusmodi: Si quis, verbi caussa, oriēte Canicula natus est, is in mari non morietur. Vigila Chrysippe, ne tuā caussam, in qua tibi* cum Diodoro valente dialectico magna luctatio est, deseras. Si enim verum est, quod ita connectitur: Si quis oriente Canicula natus est, in mari non morietur: illud quoq; verū est: Si Fabius oriente Canicula natus est, Fabius in mari non morietur. Pugnant ergo hæc inter se, oriente Canicula natum esse, & in mari Fabium moriturum: & quoniam certum in Fabio ponitur, ortum esse eum Canicula oriente, hæc quoq; pugnant, & esse Fabium, & in mari morituru̇m. Ergo hæc quoq; coniunctio est ex repugnātibus, & est Fabius, & in mari Fabius morietur. Quod vt propositum est, ne fieri quidem potest. Ergo illud: Morietur in mari Fabius, ex eo genere est, quod fieri non potest. Omne igitur, quod falsum dicitur in futuro, id fieri non potest. At hoc Chrysippe minime vis: maximeq; tibi de hoc ipso cum Diodoro certamen est: ille enim id solum fieri posse dicit, quod aut sit verū, aut futurum sit verum: et quidquid futurum sit, id dicit fieri necesse esse: et quidquid non sit futurū, id negat fieri posse. tu, & quæ non sint futura, posse fieri dicu: vt frangi hanc gemmam, etiam si id

si id numquam futurum sit: neq; necesse fuisse Cypselum regnare Corinthi, quāquam id millesimo antè anno Apollinis oraculo editum esset. At si illa comprobabis diuina prædicta: & quæ falsa in futuro dicentur in his habemus, vt ea fieri non possint: vt si dicatur Africanum Carthagine potiturum, & si verè dicatur de futuro, idq; ita futurum sit, dicas esse necessarium. Quæ est tota Diodori vobis inimica sententia. Etenim si illud verè cōnectitur: Si oriē te Canicula natus es, in mari non morieris: primūq;, quod est in cōnexo, Natus es oriente Canicula, necessariū est (omnia enim vera in præteritū necessaria sunt, vt Chrysippo placet dissentiēti à magistro Cleanthe, quia sunt immutabilia, nec in falsum è vero præterita possunt conuerti) si igitur quod primum in cōnexo est, necessarium est, sit etiam quod consequitur necessarium. Quamquam hoc Chrysippo non videtur valere in omnibus. Sed tamen, si naturalis est caussa cur in mari Fabius non moriatur, in mari Fabius mori non potest. Hoc loco Chrysippus æstuans falli sperat Chaldæos, ceteros q; diuinos, neque eos vsuros esse coniunctionibus, vt ita sua* percepta pronuntient, Si quis natus est oriente Canicula, is in mari non morietur: sed potius ita dicant, Non & natus est quis oriente Canicula, & is in mari morietur. O licentiam ioculārem: ne ipse incidat in

Diodor

Diodorum, docet Chaldæos, quo pacto eos exponere percepta oporteat. Quæro enim, si Chaldæi ita loquantur, vt negationes infinitarum coniunctionum potius, quàm infinita connexa ponant: cur idem medici, cur geometræ, cur reliqui facere non possint? medicus in primis quod erit ei perspectum in arte, non ita proponet: Si cui venæ sic mouentur, is habet febrem: sed potius illo modo: Non & huic venæ sic mouentur, & febrem is non habet. Itemq; geometres non ita dicet: Si in sphæra maximi orbes sunt, medij inter se diuiduntur. sed potius illo modo: Non & sunt in sphæra maximi orbes, & hi non medij inter se diuiduntur. Quid est, quod non possit isto modo ex cõnexo transferri ad coniunctionũ negationem? & quidem aliquo modo eadem res efferre possumus. Modò dixi, Si in sphæra maximi orbes sunt, medij inter se diuiduntur: possum dicere, Si in sphæra maximi orbes erunt: possum dicere, Quia in sphæra maximi orbes erunt. Multa genera sunt enuntiandi, nec vllum distortius, quàm hoc, quo Chrysippus sperat Chaldæos contentos Stoicorum caussa fore. Illorum tamen nemo ita loquitur: maius est enim has contortiones orationis, quàm signorum ortus obitusq; perdiscere. Sed ad illam Diodori contentionem, * quam κυριεύουσαν appellant, reuertamur. in qua quid valeat id, quod fieri possit, * inquirit. Placet igitur

tur Diodoro id solũ fieri posse, quod aut verum sit, aut verum futurum sit. qui locus attingit hanc quæstionem: nihil fieri, quod non necesse fuerit: & quidquid fieri possit, id aut esse iam, aut futurum esse: nec magis commutari ex veris in falsa ea posse, quæ futura sunt, quàm ea quæ facta sunt: sed in factis immutabilitatem apparere: in futuris quibusdam, quia non apparent, ne necesse quidem videri: vt in eo, qui mortifero morbo vrgeatur, verum sit, Hic morietur hoc morbo: at hoc idem si verè dicatur in eo, in quo vis morbi tanta nõ appareat, nihilo minus futurum sit. Ita fit, vt commutatio ex vero in falsum ne in futuro quidem vlla fieri possit. nam, Morietur Scipio, talem vim habet, vt quamquam de futuro dicetur, tamẽ id nõ possit conuerti in falsum: de homine enim dicitur, cui necesse est mori. Sic si diceretur, Morietur noctu in cubiculo suo Scipio vi oppressus, verè diceretur: id enim fore diceretur, quod esset futurum: futurum autem fuisse, ex eo, quia factum est, intelligi debet: nec magis erat verum, Morietur Scipio, quàm, Morietur illo modo: nec minus necesse est mori Scipioni, quàm illo modo mori: nec magis immutabile ex vero in falsum, Necatus est Scipio, quàm, necabitur Scipio: nec cùm hæc ita sint, est caussa cur Epicurus fatum extimescat, & ab atomis petat præsidium, easq; de via deducat, & vno tempore

suscip

suscipiat res duas inenodabiles, vnam, vt sine caussa fiat aliquid, ex quo exsistet, vt de nihilo quippiam fiat, quod nec ipsi, nec cuiquam physico placet: alteram, vt cùm duo individua per inanitatem ferantur, alterum è regione moueatur, alterum declinet. licet enim Epicuro, concedenti omne enuntiatum aut verum, aut falsum esse, nõ vereri, ne omnia fato fieri sit necesse: nõ enim æternis caussis naturæ necessitate manantibus verũ est id, quod ita enuntiatur, Descendit in Academiam Carneades: nec tamen sine caussis: sed interest inter caussas fortuitò antegressas, & inter caussas cohibẽtes in se efficientiam naturalem. Ita & semper verũ fuit, Moritur Epicurus, cùm duo & septuaginta annos vixerit, Archonte Pitarato: neque tamen erant caussæ fatales, cur ita accideret: sed quòd ita cecidisset, certe casurum, sicut cecidit, fuit. Nec ij, qui dicunt immutabilia esse, quæ futura sint, nec posse verũ futurum cõuerti in falsum, fati necessitatem cõfirmant: sed verborum vim interpretantur. At qui introducunt caussarum seriem sempiternã, ij mẽtem hominis voluntate libera spoliatã necessitate fati deuinciunt. Sed hæc hactenus, alia videamus. Concludit enim Chrysippus hoc modo: Si est motus sine caussa, non omnis enuntiatio, quod ἀξίωμα dialectici appellant, aut vera, aut falsa erit: caussis enim efficientes quod non habebit, id nec verum, nec falsum

falsum erit: omnis autem enuntiatio aut vera, aut falsa est: motus ergo sine caussa nullus est. Quod si ita est, omnia, quæ fiunt, caussis fiunt antegressis. id si ita est, omnia fato fiunt. efficitur igitur fato fieri quæcumq; fiant. Hic primũ si mihi libeat assentiri Epicuro, & negare omnem enuntiationem aut veram esse, aut falsam, eam plagam potius accipiam, quàm fato omnia fieri comprobem: illa enim sententia aliquid habet disputationis, hæc verò nõ est tolerabilis. itaq; contendit omnes neruos Chrysippus, vt persuadeat omne ἀξίωμα aut verum esse, aut falsum. Vt enim Epicurus veretur, ne, si hoc cõcesserit, concedendum sit fato fieri quæcumq; fiãt: si enim alterutrũ ex æternitate verum sit, esse id etiam certum: & si certũ, etiam necessarium: ita & necessitatem, & fatũ confirmari putat: sic Chrysippus metuit, ne, si non obtinuerit, omne, quod enuntietur, aut verum esse, aut falsum, nõ teneat omnia fato fieri, & ex caussis æternis rerum futurarum. Sed Epicurus declinatione atomi vitari fati necessitatem putat. Itaque tertius quidã motus oritur extra pondus, & plagã, cùm declinat atomus interuallo minimo. id appellat ἐλάχιστον. Quam declinationem sine caussa fieri, si minus verbis, re cogitur confiteri: non enim atomus ab atomo pulsa declinat. nam quî potest pelli alia ab alia, si grauitate fertur ad perpendiculum

corpora

corpora indiuidua, rectis lineis, vt Epicuro placet? sequitur enim, vt si alia ab alia numquam depellatur, ne contingat quidem alia aliam. Ex quo efficitur, vt iam, si sit atomus, eaq; declinet, declinare sine caussa. Hanc rationem Epicurus induxit ob eam rem, quòd veritus est, ne, si semper atomus grauitate ferretur naturali, ac necessaria, nihil liberum nobis esset, cùm ita moueretur animus, vt atomorum motu cogeretur. Id Democritus auctor atomorum accipere maluit, necessitate omnia fieri, quàm à corporibus indiuiduis naturales motus auellere. Acutius Carneades, qui docebat Epicureos suam caussam sine hac commentitia declinatione defendere: nam cùm doceret, esse posse quendam animi motum volùtarium, id fust defendi melius, quàm introducere declinationem, cuius præsertim caussam reperire non possunt. Quo defenso, facile Chrysippo possent resistere: cùm enim concessissent motũ nullum esse sine caussa, non concederent, omnia, quæ fierent, fieri caussis antecedentibus: voluntatis enim nostræ non esse caussas externas, & antecedẽtes. Communi igitur cõsuetudine sermonis abutimur, cùm ita dicimus, velle aliquid quempiam, aut nolle sine caussa. Ita enim dicimus sine caussa, vt dicimus sine externa, & antecedente caussa, nõ sine aliqua. Vt cùm vas inane dicimus, non ita loquimur vt physici, quibus inane esse nihil placet: sed ita, vt, verbi caussa, sine aqua, sine vino, sine oleo vas esse dicamus: sic, cũ sine caussa animum moueri dicimus, sine antecedẽte, & externa caussa moueri, non omnino sine caussa, dicimus. De ipsa atomo dici potest, cùm per inane moueatur grauitate, et põdere, sine caussa moueri, quia nulla caussa accedat extrinsecus. Rursus autem, ne omnes à physicis irrideamur, si dicamus quidquã fieri sine caussa, distinguendum est, & ita dicendum, ipsius indiuidui hanc esse naturam, vt pondere, & grauitate moueatur, eamq; ipsam esse caussam cur ita feratur. Similiter ad animorum motus volũtarios, non est requirenda externa caussa: motus enim voluntarius eam naturam in se ipso continet, vt sit in nostra potestate, nobisq; pareat: nec id sine caussa: eius enim rei caussa, ipsa natura est. Quod cùm ita sit, quid est, cur non omnis pronuntiatio aut vera, aut falsa sit? nisi concesserimus fato fieri quæcumque fiant. Quia futura, inquit, vera nõ possunt esse ea, quæ caussas, cur futura sint, non habent. Habeant igitur caussas necesse est, vt ea, quæ vera sunt, ita cùm euenerint, fato euenerint. Confectum negotiũ: si* quidem tibi concedendum est, aut fato omnia fieri, aut quidquam posse fieri sine caussa. An aliter hæc enuntiatio vera esse nõ potest, Capiet Numantiam Scipio, nisi ex æternitate caussa caussam ferens hoc erit effectura? An hoc falsum

potuisset esse, si esset sexcentis sæculis antè dictum? & si tum non esset vera hæc enuntiatio, Capiet Numantiam Scipio: ne illa quidem vera est hæc enuntiatio, Capiet Numantiam Scipio. Potest igitur quidquam factum esse, quod non verum fuerit futurũ esse. nam vt præterita ea vera dicimus, quorũ superiore tempore vera fuerint instantia: sic futura, quorum cõsequenti tempore vera erunt instantia, ea vera dicemus. Nec si omne enuntiatum aut verum, aut falsum est, sequitur ilico esse causas immutabiles, easq; æternas, quæ prohibeant quidquam secus cadere, atq; casurũ sit. Fortuitæ sunt causæ quæ efficiant, vt verè dicãtur, quæ ita dicentur, Veniet Cato in senatum: non inclusæ in rerum natura, atq; mundo. & tamen tam est immutabile venturum, cùm est verum, quàm venisse: nec ob eam causam fatum, aut necessitas extimescenda est. *Etenim erit confiteri necesse, si hæc enuntiatio, Veniet in Tusculanum Hortensius, *verum non est: sequitur, vt falsum sit. quorum illi neutrum volunt: quod fieri nõ potest. Nec nos impediet illa ignaua ratio, quæ dicitur: appellatur enim quidam à philosophis ἀργὸς λόγος: cui si pareamus, nihil est omnino quod agamus in vita. Sic enim interrogant: Si fatum tibi est ex hoc morbo conualescere: siue medicum adhibueris, siue nõ, conualesces. item: Si fatũ tibi est ex hoc morbo non conualescere:

siue tu medicum adhibueris, siue non; non conualesces. & alterutrum fatum est: medicũ ergo adhibere nihil attinet. Rectè genus hoc interrogationis ignauum, atque iners nominatum est, quod eadẽ ratione omnis è vita tolletur actio. Licet etiam immutare, vt fati nomen non adiungas, & eandem tamen teneas sententiã, hoc modo: Si ex æternitate verum hoc fuit, Ex isto morbo conualesces: siue adhibueris medicum, siue non; conualesces. itemq;: Si ex æternitate hoc falsum fuit, Ex isto morbo non conualesces: siue adhibueris medicum, siue non adhibueris; non conualesces: deinde cetera. Hæc ratio à Chrysippo reprehẽditur. Quædã enim sunt, inquit, in rebus simplicia, quædam copulata. Simplex est, Morietur eo die Socrates. huic, siue quid fecerit, siue nõ fecerit, finitus est moriendi dies. At si ita fatum sit, Nascetur Oedipus Laio, non poterit dici, siue fuerit Laius cum muliere, siue non fuerit: copulata enim res est, & cõfatalis: sic enim appellat, quia ita fatũ sit, & concubiturũ cum vxore Laium, & ex ea Oedipum procreaturum. Vt si esset dictum, Luctabitur Olympijs Milo: & referret aliquis, ergo, siue habuerit aduersarium, siue nõ habuerit, luctabitur: erraret: est enim copulatum, luctabitur, quia sine aduersario nulla luctatio est. Omnes igitur illius generis captiones eodem modo refelluntur. siue tu adhibueris medicum, siue non

Año de 1766 Diuo Santago

adhibuerũ, conualescès: captiosum. tam enim est fatale medicum adhibere, quàm conualescere. Hæc, vt dixi, confatalia ille appellat. Carneades hoc totum genus nõ probabat, & nimis inconsideratè concludi hanc rationem putabat: itaque premebat alio modo, nec vllam adhibebat calumniam: cuius erat hæc conclusio: Si omnia antecedẽtibus caussis fiunt, omnia naturali colligatione conserte, cõtexteq; fiunt. quod si ita est, omnia necessitas efficit. id si verum est, nihil est in nostra potestate. est autem aliquid in nostra potestate. ac si omnia fato fiũt, omnia caussis antecedẽtibus fiunt. nõ igitur fato fiunt, quæcumque fiunt. Hæc arctius astringi ratio non potest. nam si quis velit idem referre, atque ita dicere: Si omne futurum ex æternitate verum est, vt ita certè eueniat, quemadmodum sit futurum: omnia necesse est colligatione naturali conserte, contexteq; fieri: nihil dicat. multum enim differt, vtrũ caussa naturalis ex æternitate futura vera efficiat, an etiam sine æternitate naturali, futura quæ sint, ea vera esse possint intelligi. Itaque dicebat Carneades, ne Apollinem quidem futura posse dicere, nisi ea quorum caussas natura ita contineret, vt ea fieri necesse esset. Quid enim spectans deus ipse diceret, Marcellum eum, qui ter consul fuit, in mari esse periturum? erat quidem hoc verũ ex æternitate, sed caussas id efficientes non habebat. Ita ne præterita quidem ea, quorum nulla signa tamquam vestigia exstarẽt, Apollini nota esse censebat, quo minus futura: caussis enim efficientibus quamq; rem cognitis, posse denique sciri quid futurum esset. ergo nec de Oedipo potuisse Apollinem prædicere, nullis in rerum natura caussis propositis, cur ab eo patrem interfici necesse esset: nec quidquam huiusmodi. Quocirca si Stoicis, qui omnia fato fieri dicunt, consentaneum est huiusmodi oracula, ceteraq; quæ ad diuinationem pertinent, comprobare: iis autem qui, quæ futura sunt, ea vera esse ex æternitate dicunt, nõ idem dicendũ est: vide, ne non eadem sit illorum caussa, & Stoicorum: hi enim vrgentur angustiùs, illorum ratio soluta, ac libera est. Quòd si concedatur nihil posse euenire nisi caussa antecedente: quid proficiatur, si ea caussa non ex æternis caussis ꝑta ducatur? Caussa autẽ ea est, quæ id efficit cuius est caussa, vt vulnus mortis, cruditas morbi, ignis ardoris. Itaq; nõ sic caussa intelligi debet, vt, quod cuiq; antecedat, id & caussa sit: sed quod cuiq; efficienter antecedat: nec, quòd in campum descenderim, id fuisse caussa, cur pila luderem: nec Hecubam caussam interitus fuisse Troianis, quòd Alexandrum genuerit: nec Tyndareum Agamẽnoni, quòd Clytemnestrã: hoc enim modo viator quoq; bene vestitus caussa grassatori fuisse diceretur, cur ab eo spoliaretur. ex hoc

genere illud est Ennij,

Vtinam ne in nemore Pelio securibus
Cæsa cecidissent abiegna ad terram trabes.

Licuit vel altius, Vtinam ne in Pelio nata vlla vmquam esset arbor: etiam supra, Vtinam ne esset mons vllus Pelius: similiterq; superiora repetentem regredi in infinitum licet.

Ne ve inde nauis inchoandæ exordium
Cepisset.

Quorsum hæc præterita? quia sequitur illud,

Nam numquam hera errans mea, domo efferret pedem
Medea, animo ægro, amore sæuo saucia.

Non vt eæ res causſam afferrent amori. Interesse autem aiunt, vtrum eiusmodi quid sit, sine quo aliquid effici non possit, aut eiusmodi, cum quo aliquid effici necesse sit. Nulla igitur earum causſa est, quoniam nullam rem sua vi efficit, cuius dicitur causſa: nec id sine quo quippiã nõ fit, causſa est: sed id, quod cùm accesſit, id cuius causſa est, efficit necessariò: nõdum enim vlcerato serpentis morsu Philoctetæ, quæ causſa in rerum natura continebatur, foro, vt is in insula Lemno linqueretur? post autem causſa fuit propior, & cum exitu iunctior. Ratio igitur euentus aperit causſam: sed ex æternitate verã fuit hæc enuntiatio: Relinquetur in insula Lemno Philoctetes: nec hoc ex vero in falsum poterat conuerti: necesse est enim in rebus contrarijs duabus

duabus (contraria autem hoc loco ea dico, quorum alterum ait quid, alterum negat) ex his igitur necesse est inuito Epicuro alterum verum esse, alterum falsum: vt, Sanciabitur Philoctetes, omnibus antè sæculis verum fuit: Non sanciabitur, falsum. Nisi fortè volumus Epicureorum opinionem sequi, qui tales enuntiationes nec veras, nec falsas esse dicunt: aut, cum id pudet, illud tamen dicunt, quod est impudentius, veras esse ex contrarijs disiunctiones: sed quæ in his enũtiata essent, eorum neutrum esse verum. O admirabilem licentiam, & miserabilem inscitiam disserendi! Si enim aliquid in eloquendo nec verum, nec falsum est, certè id verum non est. quod autem verum non est, quî potest non falsum esse? aut quod falsum non est, quî potest non verum esse? Tenebitur id, quod à Chrysippo defenditur. Omnem enuntiationem aut veram, aut falsam esse, ratio ipsa coget, & ex æternitate quædam vera esse, & ea non esse nexa causſis æternis, & à fati necessitate esse libera. Ac mihi quidem videtur, cùm duæ sententiæ fuissent veterum philosophorum, vna eorum, qui censerent omnia ita fato fieri, vt id fatum vim necessitatis afferret, in qua sententia Democritus, Heraclitus, Empedocles, Aristoteles fuit: altera eorum, quibus viderentur sine vllo fato esse animorum motus voluntarij: Chrysippus tamquam arbiter

honorarius* medium se ferre voluisse: sed applicat se ad eos potius, qui necessitate motus animos liberatos volut. Dum autem verbis vtitur suis, delabitur in eas difficultates, vt necessitatem fati confirmet inuitus. Atq; hoc, si placet, quale sit videamus in assensionibus, quas prima oratione tractaui: eas enim veteres illi, quibus omnia fato fieri videbatur, vi effici, & necessitate dicebant. qui autem ab his dissentiebant, fato assensiones liberabant, negabantq; fato assensionibus adhibito, necessitatem ab his posse remoueri: vtq; ita disserebant: Si omnia fato fiunt, omnia fiunt antecedente causa: & si appetitus, illa etiam quæ appetitum sequuntur: ergo etiam assensiones. at si causa appetitus non est sita in nobis, ne ipse quidē appetitus est in nostra potestate. quod si ita est, ne illa quidem, quæ appetitu efficiuntur, sita in nobis sunt. nō sunt igitur neq; assensiones, atq; actiones in nostra potestate. Ex quo efficitur, vt neq; laudationes iustæ sint, nec vituperationes: nec honores, nec supplicia. quod cùm vitiosum sit, probabiliter concludi putant, non omnia fato fieri quæcumq; fiant. Chrysippus autem cùm & necessitatem improbare, & nihil vellet sine præpositis causis euenire, causarum genera distinguit, vt & necessitatem effugiat, & retineat fatum. Causarum enim, inquit, aliæ sunt perfectæ, & principales, aliæ adiuuantes, & proximæ.

Quamobrem cùm dicimus omnia fato fieri causis antecedentibus, nō hoc intelligi volumus, causis perfectis, & principalibus, sed causis antecedentibus, adiuuantibus, & proximis. itaque illi rationi, quam paullò antè concluſi, sic occurrit: Si omnia fato fiant, sequi illud quidem, vt omnia causis fiant antepositis, verum non principalibus, & perfectis, sed adiuuantibus, & proximis. Quæ si ipsæ non sint in nostra potestate, non sequitur, vt ne appetitus quidem sit in nostra potestate: at hoc sequeretur, si omnia perfectis & principalibus causis fieri diceremus, vt, cùm hæ causæ nō essent in nostra potestate, ne ille quidem esset in nostra potestate. Quamobrem qui ita fatum introducunt, vt necessitatem adiungant, in eos valebit illa conclusio: qui autem causas antecedentes non dicent perfectas, neque principales, in eos nihil valebit: quòd enim dicantur assensiones fieri causis antepositis, id quale sit, facilè à se explicari putant. Nam quamquam assensio non possit fieri, nisi commota viso; tamen cùm id visum proximam causam habeat, non principalem, hanc habet rationem, vt Chrysippus vult, quam dudum diximus, non vt illa quidem fieri possit nulla vi extrinsecus excitata (necesse est enim assensionem viso commoueri) * sed reuertitur ad cylindrum, & turbinem suū, quæ moueri incipere, nisi pulsa, nō possunt:

id autem cùm accidit, suapte natura, quod superest, & cylindrum volui, & versari turbinem putant. Vt igitur, inquit, qui protrusit cylindrum, dedit ei principium motionis, volubilitatem autem non dedit: sic visum obiectum imprimet illud quidem, & quasi signabit in animo suam speciem, sed assensio nostra erit in potestate, eáq;, quemadmodum in cylindro dictum est, extrinsecus pulsa, quod reliquum est, suapte vi, & natura mouebitur. Quòd si aliqua res efficeretur sine caussa antecedente, falsum esset, omnia fato fieri. Sin omnibus, quæcumque fiùt, verisimile est caussam antecedere; quid afferri poterit, cur non omnia fato fieri fatendum sit? modò intelligatur, quæ sit caussarum distinctio, ac dissimilitudo. Hæc cùm ita sint à Chrysippo explicata: si illi, qui negant assensiones fato fieri, *fatebătur tamen eas nõ sine viso antecedente fieri, alia ratio est: sed si concedunt anteire visa, nec tamen fato fieri assensiones, quòd proxima illa, & continens caussa non moueat assensionem: vide, ne idem dicant: neque enim Chrysippus concedens assensioni proximam, & continentem caussam esse in viso positam, *neq; eam caussam ad assentiendũ necessariam esse, concedet, vt, si omnia fato fiant, omnia fiant caussis antecedentibus, & necessarijs. *itemq; illi, qui ab hoc dissentiunt, cõfitentes nõ fieri assensiones sine præcursione visorũ, dicent,

dicent, si omnia fato fierent eiusmodi, vt nihil fieret nisi prægressione caussæ consistendum esse fato fieri omnia. Ex quo facile intellectu est, cùm vtriq; patefacta, atq; explicata sententia sua, ad eundem exitũ veniant, verbis eos, nõ re dissidere. omninoq;, cùm hæc sit distinctio, vt quibusdam in rebus verè dici possit, cùm hæ causæ antegressæ sint, nõ esse in nostra potestate, quin illa eueniãt, quorum caussæ fuerint: quibusdam autem in rebus, caussis antegressis, in nostra tamen esse potestate, vt illud aliter eueniat: hanc distinctionem vtriq; approbant: sed alteri censent, quibus in rebus, cùm caussæ antecesserint ita, vt non sit in nostra potestate, vt aliter illa eueniant, illas fato fieri: quæ autẽ in nostra potestate sint, ab his fatũ abesse. *Hoc modo hanc caussam disceptari oportet, non ab atomis errãtibus, & de via declinantibus præsidium petere. Declinat, inquit, atomus. Primum cur? aliam enim quandam vim motus habebunt à Democrito impulsionis, quam plagam ille appellat: à te, Epicure, grauitatis & ponderis. Quæ ergo noua caussa in natura est, quæ declinet atomum? aut num sortiuntur inter se, quæ declinent, quæ non? aut cur minimo declinent interuallo, maiore non? aut cur declinent vno minimo, nõ declinent duobus, aut tribus? Optare hoc quidem est, non disputare. nam neq; extrinsecus impulsam atomum loco moueri, & decli

declinare dicit: neq; in illo inani, per quod feratur atomus, quidquam fuisse causæ, cur ea nō è regione ferretur: nec in ipsa atomo mutationis aliquid factum est, quamobrem naturalem sui ponderis motum non teneret. Ita cùm attulisset nullam caussam, quæ istam declinationem efficeret: tamen aliquid sibi dicere videtur: cùm id dicat, quod omnium mentes asspernentur, ac respuant. Nec verò quisquam magis confirmare mihi videtur non modò fatum, verū etiam necessitatem, & vim omnium rerum, sustulisse: motus animi voluntarios, quàm hic, qui aliter obsistere fato fatetur se non potuisse, nisi ad has commentitias declinationes confugisset. Nā, vt essent atomi, quas quidē esse mihi probari nullo modo potest: tamē declinationes istæ numquā explicarentur. nam si atomis, vt grauitate ferātur, tributū est necessitate naturæ, quòd omne pondus nulla re impediente moueatur & feratur necesse est: illud quoque necesse est, declinare quibusdam atomis, vel, si volunt, omnibus naturaliter.

*

Multa desunt.

M. T.

M. T. CICERONIS DE LEGIBVS LIBER I.

*

ATTICVS.

EQVVS quidem ille, & hæc Arpinatium quercus agnoscitur, sæpe à me lectus in Mario. Si manet illa quercus, hæc est profectò: etenim est sanè vetus. QVINCTVS. Manet verò, Attice noster, & semper manebit: sata est enim ingenio. nullius autē agricolæ cultu stirps tam diuturna, quàm poëta versu seminari potest. ATT. Quo tandē modo Quincte? aut quale est istuc, quod poëtæ serunt? Mihi enim videris fratrem laudando suffragari tibi. Q. Sit ita sanè. Verumtamen, dum Latinæ loquentur litteræ, quercus huic loco non deerit, quæ *Mariana dicatur, eaq;, vt ait Scæuula, de fratris mei Mario canescet sæclis innumerabilibus. Nisi forte Athenæ tuæ sempiternam in arce oleam tenere potuerunt: aut, quod Homericus Vlyxes Deli se proceram & teneram palmam vidisse dixit, hodie monstrant eandem: multaq; alia multis locis diutius commemoratione manent, quàm natura stare potuerūt. Quare glandifera illa quercus, ex qua olim euolauit

Nuntia fulua Iouis, miranda visa figura,

nunc sit hæc. sed cùm eam tempestas vetustásve consumpserit, tamẽ erit his in locis, quam Marianam quercum vocent. ATT. Non dubito id quidem: sed hoc iam non ex te Quincte quæro, verùm ex ipso poëta, tuine versus hanc quercum seuerint, an ita fictum de Mario, vt scribis, acceperis. MARCVS. Respondebo tibi equidem, sed non antè, quàm tu ipse mihi respondeas, Attice, *certè non longe à tuis ædibus inambulans post excessum suum Romulus Proculo Iulio dixerit, se deum esse; & Quirinum vocari, templumq; sibi dedicari in eo loco iusserit: & Athenis non longe item à tua illa antiqua domo Orithyiam Aquilo sustulerit: sic enim est traditum. ATT. Quorsum tandem, aut cur ista quæris? M. Nihil sanè, nisi ne nimis diligenter inquiras in ea quæ isto modo memoriæ sint prodita. ATT. Atqui multa quæruntur in Mario ficta ne, an vera sint, & à nonnullis, quod & in recenti memoria, & in Arpinati homine: sed veritas à te postulatur. M. Et mehercule ego me cupio non mendacem putari: sed tamen isti, Tite, faciunt imperitè, qui in isto *opusculo nõ vt à poëta, sed vt à teste veritatẽ exigant: nec dubito, quin ipsi idem, & cum Egeria collocutum Numam, & ab Aquila Tarquinio apicem impositũ putẽt. Q. Intelligo te frater alias in historia leges obseruandas putare, alias in poëmate. M. * Quippe cùm in illa ad veritatem Quincte referantur, in hac ad delectationem pleraq; : quamquam & apud Herodotum patrem historiæ, & apud Theopompum sunt innumerabiles fabulæ. ATT. Teneo quam optabam occasionem, neq; omittam. M. Quam tandẽ, Tite? ATT. Postulatur à te tandiu, vel flagitatur potius historia: sic enim putant, te illam tractãte effici posse, vt in hoc etiã genere Græciæ nihil cedamus. Atq;, vt audias quid ego ipse sentiam, non solùm mihi videris eorum studijs, qui litteris delectantur, sed etiã patriæ debere hoc munus, vt ea, quæ salua per te est, per te eundem sit ornata: abest enim historia litteris nostris, vt & ipse intelligo, & ex te persæpe audio. potes autẽ tu profectò satisfacere in ea: quippe cùm sit opus, vt tibi quidem videri solet, vnum hoc oratorium maxime. Quamobrem aggredere quæsumus, & sume ad hanc rem tempus, quæ est à nostris hominibus adhuc aut ignorata, aut relicta. nam post annales pontificum maximorum, quibus nihil potest esse iucundius; si aut ad Fabium, aut ad eum, qui tibi semper in ore est, Catonem, aut ad Pisonem, aut ad Fannium, aut ad Vennonium veniæ: quanquam ex his alius alio plus habet virium, tamen quid tam exile, quàm isti omnes? Fannij autem ætate coniunctus Antipater paullò inflauit vehementius, habuitq; vires agrestes ille quidem, atq; horridas,

das, sine nitore, ac palæstra, sed tamen admonere reliquos potuit, vt accuratiùs scriberent. Ecce autem succedere huic bello Clodius, Asilo, nihil ad Cælium, sed potius ad antiquorum languorem, atque insciti am. *Nam quid Attium memorem? cuius loquacitas habet aliquid argutiarum, nec id tamen ex illa erudita Græcorum copia, sed ex librariolis Latinis: in orationibus autem multus & ineptus, *ad summam impudentiam. Si senna eius amicus omnes adhuc nostros scriptores, nisi qui forte nondum ediderunt, de quibus existimare non possumus, facilè superauit. is tamen neque orator in numero vestro vmquam est habitus, & in historia puerile quiddam consectatur, vt mum Clitarchum, neque præterea quemquam de Græcis legisse videatur, enim tamen velle dutaxat imitari quem si assequi posset, aliquãtum ab optimo tamen abesset. Quare tuum est munus: hoc à te exspectatur, nisi quid Quincto videtur secus. Q. Mihi verò nihil: & sæpe de isto collocuti sumus: sed est quædã inter nos parua dissensio. ATT. Quæ tandem? Q. A quibus temporibus scribendi capiatur exordium. ego enim ab vltimis censeo. quoniam illa sic scripta sunt, vt ne legantur quidem: ipse autem æqualem ætatis suæ memoriam deposcit, vt ea complectatur, quibus ipse interfuit. ATT. Ego verò huic potius assentior: suæ enim maximæ res in hac

hac memoria, atq; ætate nostra: tum autem hominis amicissimi Cn. Pompeij laudes illustrabit. incurret etiam in illum memorabilem annum suum: quem ab isto malo prædicari, quàm, vt aiũt, de Remo, & Romulo. M. Intelligo equidem à me istum laborem iãdiu postulari, Attice: quem non recusarem, si mihi vllum tribueretur vacuum tempus & liberum: neque enim occupata opera, neq; impedito animo, res tanta suscipi potest: vt vmq; opus est, & cura vacare, & negotio. ATT. Quid? ad cetera, quæ scripsisti plura, quàm quisquam è nostris, quod tibi tandem tempus vacuum fuit concessum? M. *Subsiciua quædam tempora incurrũt: quæ ego perire non patior: vt si qui dies ad rusticandum dati sint, ad eorum numerum accommodentur, quæ scribimus. Historia verò nec instituti potest, nisi præparato otio: nec exiguo tẽpore absolui. & ego animi pendere soleo, *cùm semel quid orsus, traducor aliò: neque tam facile interrupta contexo, quàm absoluo instituta. ATT. Legationem aliquam nimirum oratio ista postulat, aut eiusmodi quampiam cessationem liberam, atque otiosam. M. Ego verò ætatis potius vacationi confidebam, cum præsertim non recusarem, quo minus more patrio sedens in solio consulentibus responderem, senectutiq; non inertis grato, atque honesto fungerer munere: sic enim mihi liceret & isti rei, quã

A desid

desideras, & multis vberioribus, atque maioribus operæ quantū vellem dare. ATT. Atqui vereor, ne istam causſam nemo noſcat, tibiq; ſemper dicendum ſit: & eo magis, quòd te ipſe mutaſti, & aliud dicendi genus inſtituiſti: vt quemadmodum Roſcius ſimiliaris tuus in ſenectute *numeros in cātu cæciderat, ipſumq; tardiores fecerat tibias, ſic tu à contentionibus, quibus ſummis vti ſolebas, quotidie relaxes aliquid, vt iam oratio tua non multum à philoſophorum lenitate abſit. quod ſuſtinere, cùm vel ſumma ſenectus poſſe videatur, nullam tibi à cauſſis vacationē video dari. Q. At mehercule ego arbitrabar poſſe id populo noſtro probariſſe ad ius reſpondendum dediſſes. Quamobrem cùm placebit, tibi experiendum cenſeo. M. Id, ſi quidem Quinctle nullū eſſet in experiendo periculum: ſed vereor, ne, dum minuere velim laborem, augeam, atque ad illam cauſſarum operam, ad quam ego numquam niſi paratus, & meditatus accedo, adiungatur hæc iuris interpretatio, quæ non tam mihi moleſta ſit propter laborem, quàm quòd dicendi cogitationem auferat, ſine qua ad nullam maiorem vmquam cauſſam ſum auſus accedere. ATT. Quin igitur iſta ipſa explicas nobis his ſubſiciuis, vt aiū, tēporibus, & conſcribis de iure ciuili ſubtilius, quàm ceteri? nam à primo tempore ætatis iuri ſtudere te memini, cùm ipſe etiam ad Scæ-

uulam ventitarem: neq; vmquam mihi viſus es ita te ad dicendum dediſſe, vt ius ciuile contemneres. M. In longum ſermonem me reuocas, Attice: quem tamen, niſi Quinctus aliud quid nos agere mauult, ſuſcipiam: &, quoniam vacui ſumus, dicā. Q. Ego verò libenter audierim: quid enim agam potius? aut in quo melius hūc conſumam diem? M. Quin igitur ad illa ſpatia noſtra, ſedesq; pergimus? vbi, cùm ſatis erit deambulatum, requieſcemus: nec profectò nobis delectatio deerit, aliud ex alio quærentibus. ATT. Nos verò, & hac quidem, adire ſi placet per ripam & vmbrā. Sed iam ordire explicare quæſo, de iure ciuili quid ſentias. M. *Ego memini ſummos fuiſſe in ciuitate noſtra viros, qui id interpretari populo, & reſpondere ſoliti ſint: ſed eos magna profiſſos, in paruis eſſe verſatos. Quid enim eſt tantùm, quātum ius ciuitatis? Quid autem tam exiguum quàm eſt munus hoc eorum, qui conſuluntur? *quàm eſt populo neceſſarium? nec verò eos, qui ei muneri præfuerunt, vniuerſi iuris expertes fuiſſe exiſtimo, ſed hoc, ciuile quod vocant, eatenus exercuerunt, *quoad populo præſtare voluerunt. *id autem incognitum eſt, minusq; in vſu neceſſarium. Quamobrē quò me vocas? aut quid hortaris? vt libellos conficiam de ſtillicidiorum, ac de parietum iure? aut vt ſtipulationum, & iudiciorum formulas componam? quæ & conſcri-

pta sunt à multis diligenter, & sunt humiliora, quã illa, quæ à vobis exspectari puto. ATT. Atqui si quæres ego quid exspectem: quoniam scriptum est à te de optimo reipub. statu, consequens esse videtur, vt scribas tu idem de legibus: sic enim fecisse video Platonem illum tuum, quem tu admiraris, quem omnibus anteponis, quem maximè diligis. M. Vísne igitur, vt ille Cretæ cùm Clinia, & cùm Lacedæmonio Megillo, æstiuo, quemadmodum describit, die, in cupressetis Gnosiorum, & spatijs siluestribus, crebrò insistens, interdũ acquiescens, de institutis rerum publicarum, ac de optimis legibus disputat, sic nos inter has proceríssimas populos, in viridi opacaq; ripa inambulantes tum autem residentes, quæramus ijsdem de rebus aliquid vberius, quàm forensis vsus desiderat? ATT. Ego verò ista audire cupio. M. Quid ait Quinctus? Q. Nulla de re magis. M. Et rectè quidem: nam sic habetote, *nullo in genere disputandi magis honesta patefieri, quid sit homini natura tributum, quantam vim rerum optimarum mens humana contineat, cuius muneris colendi, efficiendiq; caussa nati, & in lucem editi simus, quæ sit coniunctio hominum, quæ naturalis societas inter ipsos: his enim explicatis, fons legum, & iuris inueniri potest. ATT. Nou ergo à prætoris edicto, vt plerique nunc, neque à XII. tabulis, vt superiores, sed penitus

penitus ex intima philosophia hauriendam iuris disciplinam putas. M. Non enim id quærimus hoc sermone, Pomponi, quemadmodam caueamus in iure, aut quid de quaque consultatione respondeamus. Sit ista res magna, sicut est: quæ quondam à multis claris viris, nunc ab vno summa auctoritate, & scientia sustinetur. Sed noris ista. Complectenda in hac disputatione tota caussa vniuersi iuris est, ac legum; vt hoc ciuile quod dicimus, in paruum quendam, & angustum locum concludatur naturæ: natura enim iuris nobis explicanda est, eaq; ab hominis repetenda natura: considerandæ leges, quibus ciuitates regi debeant: tum hæc tractanda, quæ composita sunt, & descripta, iura, & iussa populorum, in quibus ne nostri quidem populi latebunt, quæ vocantur iura ciuilia. Q. Alte verò, &, vt oportet, à capite fraterr repetis quod quærimus: & qui aliter ius ciuile tradunt, non tam iustitiæ, quàm litigandi tradunt vias. M. Non est ita Quincte: ac potius ignoratio iuris litigiosa est, quàm scientia. Sed hæc posterius. Nunc iuris principia videamus. Igitur doctissimis viris proficisci placuit à lege: haud scio an rectè, si modò, vt ijdem definiunt, LEX est ratio summa insita in natura, quæ iubet ea, quæ facienda sunt, prohibetq; contraria. Eadem ratio cùm est in hominis mente confirmata, & confecta, lex est. itaq; arbitran-

tur prudentiam esse legem, cuius ea vis sit, vt recte iubeat, vetet delinquere: eamq; rem illi Græco putant nomine à suum cuiq; tribuendo appellatam; ego nostro à legendo. nam vt illi æquitatis, sic nos delectus vim in lege ponimus: & proprium tamen vtrumque legis est. Quòd si ita rectè dicitur, vt mihi quidem plerumque videri solet, à lege ducendum est iuris exordium: ea est enim naturæ vis, ea mens, ratioq; prudentis, ea iuris, atque iniuriæ regula. Sed quoniam in populari ratione omnis nostra versatur oratio, populariter interdũ loqui necesse erit, & appellare eam legem, quæ scripto sancit quod vult, aut iubendo, aut vetando, vt vulgus appellat. Constituẽdi verò iuris ab illa summa lege capiamus exordium, quæ seculis compluribus antè nata est, quàm scripta lex vlla, aut quàm omnino ciuitas constituta. Q. Commodius verò, et ad rationem instituti sermonis * sapientiùs. M. Vísne ergo, ipsius iuris ortum à fonte repetamus? quo inuento, non erit dubium, quo sint hæc referẽda, quæ quærimus. Q. Ego verò ita faciendum esse censeo. ATT. Me quoq; adscribito fratris sententiæ. M. Quoniam igitur eius reipub. quam optimã esse docuit in illis sex libris Scipio, tenendus est nobis, & seruandus status, omnesq; leges accommodandæ ad illud ciuitatis genus: ferendi etiam mores, nec scriptis omnia sancienda: repetam stirp

stirpem iuris à natura: qua duce est nobis omnis disputatio explicanda. ATT. Rectissimè: & quidem ista duce errari nullo pacto potest. M. Dásnes igitur hoc nobis Pomponi (nam Quincti noui sententiam) deorum immortalium natura, ratione, potestate, mente, numine, siue quod est aliud verbum, quo planius significem quod volo, naturã omnem diuinam regi? nam si hoc non probas, à deo nobis caussa ordienda est potissimum. ATT. Do sanè, si postulas: etenim propter hunc concentum auium, strepitumq; fluminum, non vereor, condiscipulorum ne quis exaudiat. M. Atqui cauendum est: solent enim, id quod virorum bonorum est, admodum irasci: nec verò ferent, si audierint te primum caput libri optimi prodidisse: in quo scripsit nihil curare deum nec sui, nec alieni. ATT. Perge quæso: nam id, quod tibi concessi, quorsum pertineat exspecto. M. Non faciam longius: huc enim pertinet. Animal hoc prouidum, sagax, multiplex, acutũ, memor, plenũ rationis, & consilij, quem vocamus hominem, præclara quadam conditione generatum esse à supremo deo: solum est enim ex tot animantiũ generibus atq; naturis, particeps rationis, et cogitationis, cũ cetera sint omnia expertia. Quid est autem, non dicam in homine, sed in omni cælo, atque terra, ratione diuinius? quæ cùm adoleuit, atque perfecta est, nominatur rite

sapientia. Est igitur, quoniam nihil est ratione melius, eaq; & in homine, & in deo, prima hominì cum deo rationis societas. Inter quos autem ratio, inter eosdem etiam recta ratio communis est. Quæ cùm sit lex, lege quoq; consociati homines cum dijs putandi sumus. Inter quos porrò est communio legù, inter eos communio iuris est. Quibus autem hæc sunt inter eos communia, & ciuitatis eiusdem habendi sunt. Si verò ijsdem imperijs, & potestatibus parent, multo etiam magis parent huic cælesti descriptioni, mentiq; diuinæ, & præpotenti deo: vnde etiam vniuersus hic mundus vna ciuitas communis deorum, atq; hominum existimanda: & quod in ciuitatibus ratione quadam, de qua dicetur idoneo loco, agnationibus familiarum distinguuntur status, id in rerum natura tanto est magnificentius, tantóque præclarius, vt homines deorum agnatione, & gente teneantur. Nã cùm de natura omni quæritur, * disputari solent nimirum ista: perpetuis cursibus, conuersionibus cælestibus extitisse quandam materiam serendi generis humani, quod sparsum in terras, atq; satum, diuino auctum sit animorum munere. * nam quòd aliquibus cohærêt homines, è mortali genere sumpserunt quæ fragilia essent & caduca, animum esse ingeneratum à deo, ex quo vere vel agnatio nobis cum cælestibus, vel genus, vel stirps appellari potest.

Itaq;

Itaq; ex tot generibus nullum est animal præter hominem, quod habeat notitiam aliquam dei: de ipsisq; hominibus nulla gens est, neque tam immansueta, neq; tam fera, quæ non, etiam si ignoret qualem habere deum deceat, tamen habendum sciat. Ex quo efficitur illud, * vt is agnoscat deum, qui vnde ortus sit, quasi recordetur ac noscat. Iam verò virtus eadem in homine ac deo est, neq; vllo alio ingenio præterea. Est autem virtus nihil aliud quàm in se perfecta, & ad summum perducta natura. Est igitur homini cum deo similitudo. Quod cùm ita sit, quæ tandem potest esse propior certiórve cognatio? itaque ad hominum commoditates, & vsus tantam rerum vbertatem natura largita est, vt ea, quæ gignuntur, donata consultò nobis, nõ fortuitò nata videantur: nec solùm ea, quæ frugibus atq; bacis terræ fetu profunduntur, sed etiam pecudes: quod perspicuum sit, partim esse ad vsum hominis, partim ad fructum, partim ad vescendum procreatas. Artes verò innumerabiles repertæ sunt docente natura: quam imitata ratio res ad vitam necessarias sollerter consecuta est. Ipsum autem hominem eadem natura non solùm celeritate mentis ornauit, sed etiam sensus tamquam satellites attribuit, ac nuntios: * & rerum plurimarum obscuras, & necessarias intelligentias enudauit, quasi fundamenta quædam scientiæ: figuramq;

corporis habilem, & aptam ingenio humano dedit. nam cùm ceteras animãtes abiecisset ad pastum, solum hominem erexit, ad cæliq; quasi cognationis domicilijq; prisstini conspectum excitauit: tum speciem ita formauit oris, vt in ea penitus reconditos mores effingeret. Nam & oculi nimis arguti, quemadmodum animo affecti simus, loquuntur: & is, qui appellatur vultus, qui nullo in animante esse præter hominẽ potest, indicat mores: cuius vim Græci norunt, nomen omnino non habent. Omitto opportunitates, habilitatesq; reliqui corporis, moderationem vocis, orationis vim, quæ conciliatrix est humanæ maximè societatis. Neque enim omnia sunt huius disputationis, ac temporis: & hunc locum satis, vt mihi videtur in ijs libris, quos legislis, expressit Scipio. Nunc quoniam hominem, quod principium reliquarum rerum esse voluit, generauit & ornauit deus, perspicuum sit illud, ne omnia differantur, ipsam per se naturam longius progredi: quæ etiam nullo docente profecto ab ijs quorum ex prima, & inchoata intelligẽtia genera cognouit, confirmat ipsa per se rationem & perficit. ATT. Dij immortales, quàm tu longe iuris principia repetis, atq; ita, vt ego nõ modò ad illa non properem, quæ expectabam à te de iure ciuili, sed facile patiar te hũc diem vel totum in isto sermone consumere: sunt enim

hæc maiora, quæ aliorum causa fortasse complecteris, quàm ipsa illa, quorum hæc causa præparantur. M. Sunt hæc quidem magna, quæ nunc breuiter attinguntur, sed omnium quæ in hominum doctorum disputatione versantur nihil est profectò præstabilius, quàm planè intelligi, nos ad iustitiam esse natos, neq; opinione, sed natura constitutum esse ius. Id iam patebit, si hominum inter ipsos societatem, coniunctionemq; perspexeris: nihil. st enim vnum vni tam simile, tã par, quàm omnes inter nosmetipsos sumus. Quòd si depravatio consuetudinum, si opinionum vanitas nõ imbecillitatem animorum torqueret, & flecteret quocumque cœpisset: sui nemo ipse tam similis esset, quàm omnes sunt omnium. Itaq; quæcumque est hominis definitio, vna in omnes valet. Quod argumenti satis est, nullam dissimilitudinem esse in genere. quæ si esset, non vna omnes definitio contineret. Etenim ratio, qua vna præstamus belluis, per quam coniectura valemus, argumentamur, refellimus, disserimus, conficimus aliquid, concludimus, certè est communis, doctrina differens, discendi quidem facultate par. nam & sensibus eadem omnia comprehendũtur: & ea, quæ mouent sensus, itidem mouent omnium, quæq; in animis imprimuntur, de quibus antè dixi, inchoatæ intelligentiæ, similiter in omnibus imprimuntur: interpresq; est ment

mentis oratio, verbis discrepans, sententijs cõgruens. Nec est quisquam gentis vllius, qui ducem naturam nactus, ad virtutem peruenire non possit. Nec solùm in rectis, *sed etiam in prauis actibus insignis est humani generis similitudo. nam & voluptate capiuntur omnes: quæ etsi est illecebra turpitudinis, tamen habet quiddã naturalis boni: *lenitatis est enim, & suauitatis: id enim, vt suauitate delectans, sic ab errore mentis tamquam salutare aliquid asciscitur. Similiq; inscitia mors fugitur, quasi dissolutio naturæ: vita expetitur, quia nos in quo nati sumus, cõtinet: dolor in maximis malis ducitur; cum sua asperitate, tum quod naturæ interitus videtur sequi. *Propter quã honestatis, & gloriæ similitudinem beati, qui honorati sunt, videntur: miseri autem, qui inglorij. Molestiæ, lætitiæ, cupiditates, timores similiter omnium mentes peruagantur: nec si opiniones aliæ sunt apud alios, iccirco, qui canẽ & felem vt deos colunt, nõ eadem superstitione, qua ceteræ gentes cõflictantur. Quæ autem natio non comitatem, non benignitatem, nõ gratum animum, & beneficij memorẽ diligit? quæ superbos, quæ maleficos, quæ crudeles, quæ ingratos non aspernatur, nõ odit? Quibus ex rebus cùm omne genus hominum sociatum inter se esse intelligatur, illud extremũ est, quòd rectè viuendi ratio meliores efficit. quæ si approbatis, pergam ad

ad reliqua: sin quid requiritis, id explicemus prius. ATT. Nos verò nihil: vt pro vtroq; respondeam. M. Sequitur igitur, ad participandum *alius alio, cõmunicandumq; inter omnes, iustos natura esse factos (atque hoc in omni disputatione sic intelligi volo *quod dicã natura esse) tantam autem esse corruptelam malæ consuetudinis, vt ab ea tãquam igniculi extinguãtur à natura dati, exoriãturq;, & confirmentur vitia contraria. Quòd si, quo modo est natura, sic iudicio homines humani (vt ait poëta) nihil à se alienum putarent; coleretur ius æque ab omnibus: quibus enim ratio natura data est, ijsdem etiam recta ratio data est. ergo & lex, quæ recta ratio in iubendo, & vetando. si lex, ius quoque. At omnibus ratio: ius igitur datum est omnibus. Rectèq; Socrates exsecrari eum solebat, qui primus vtilitatẽ à natura seiunxisset: id enim quærebatur caput esse exitiorũ omnium: *vnde enim illa Pythagorea vox, τὰ τῶν φίλων κοινὰ, καὶ φιλίαν ἰσότητα. Ex quo perspicitur, cùm hanc beneuolentiam tam late longeq; diffusam vir sapiens in aliquem pari virtute præditum contulerit, tum illud effici, quod quibusdã incredibile videatur, sit autem necessariũ, vt nihilo sese plus, quàm alterum diligat: quid enim est quod *differat, cùm sint cuncta paria? Quòd si intersesse quippiã tantulum modò potuerit, iam amicitiæ

nomen occiderit: cuius est ea vis, vt, simulatq; sibi aliquid, quàm alteri maluerit, nulla sit. quæ præmuniũtur omnia reliquo sermoni, disputationiq; nostræ, quo facilius ius in natura esse positum intelligi possit. De quo cùm perpauca dixero, tum ad ius ciuile veniam, ex quo hæc omnis nata est oratio. Q. Tu verò iam perpauca scilicet: ex ijs enim quæ dixisti, * Attice, * videtur, mihi quidem certe ex natura ortum esse ius. ATT. An mihi aliter videri possit, cùm hæc iam perfecta sint? primùm quasi muneribus deorum nos esse instructos, et ornatos: secundo autem loco vnam esse hominum inter ipsos viuendi parem, communemq; rationem: deinde omnes inter se naturali quadam indulgentia, & beneuolentia, tum etiam societate iuris contineri. Quæ cùm vera esse rectè, vt arbitror, concesserimus, quid iam licet nobis à natura leges, & iura seiungere? M. Rectè dicis; & res sic se habet. Verum philosopharum more, non veterum quidem illorum, sed eorum, qui quasi officinas instruxerunt sapientiæ, quæ fusè olim disputabãtur, ac liberè, ea nunc articulatim distinctéq; dicuntur: nec enim satisfieri censent huic loco, qui nunc est in manibus, nisi separatim hoc ipsum, naturæ esse ius, disputarint. ATT. Et scilicet tua libertas disserendi amissa est: aut tu is es, qui in disputando non tuum iudicium sequare, sed auctoritati aliorum pareas?

pareas? M. *Non semper, Tite: sed iter huius sermonis quod sit, vides: ad reipubl. firmandas, & stabiliendas vires, sanandos populos omnis nostra pergit oratio. Quocirca vereor committere vt non bene prouisa, & diligenter explorata principia ponantur: nec tamẽ vt omnibus probentur (nam id fieri non potest) sed vt ijs, qui omnia recta, atque honesta per se expetenda duxerunt, et aut nihil omnino in bonis numerandum, nisi quod per se ipsum laudabile esset, aut certè nullum habendum magnum bonum, nisi quod verè laudari sua spõte posset. His omnibus, siue in academia vetere cum Speusippo, Xenocrate, Polemone manserunt: siue Aristotelem, & Theophrastum, cum illis re congruentes, genere docendi paullum differentes, secuti sunt, siue, vt Zenoni visum est, rebus non commutatis immutauerũt vocabula, siue etiam Aristonis difficilem, atq; arduam, sed iam tamen fractam, & conuictam sectam secuti sunt, vt virtutibus exceptis, atq; vitijs, cetera in summa æqualitate ponerẽt, his omnibus hæc, quæ dixi, *probantur. sibi autem indulgentes, & corpori deseruiẽtes, atq; omnia quæ sequantur in vita, quæq; fugiant, voluptatibus, & doloribus ponderantes, etiam si vera dicunt (nihil enim opus est hoc loco litibus) in hortulis suis iubeamus dicere, atque etiam ab omni societate reipub. cuius partem

nec

nec norũt vllam, nec vmquam nosse voluerũt, paullisper faciamus rogemus. Perturbatricem autem harum omnium rerum Academiam hanc ab Arcesila, & Carneade recentem exoremus, vt sileat. nam si inuaserit in hæc, quæ satis scitè nobis instructa & composita videntur, nimias edet ruinas. Quam quidem ego placare cupio, submouere non audeo. * Nam & in ijs sine illius suffimentis expiati sumus. At verò scelerum in homines, atque impietatum nulla expiatio est. Itaq; pœnas luunt non tam iudicijs quæ quondam nusquam erant, hodie multifariã nulla sunt; * vt sint tamen, persæpe falsa sunt: vt eos agitent, insectenturq; furiæ, non ardentibus tædis, sicut in fabulis, sed angore conscientiæ, fraudúq; cruciatu. Quod si homines ab iniuria pœna, non natura arcere deberet; quænam solicitudo vexaret impios, sublato supplicioru metu? quorum tamen nemo tam audax vmquam fuit, quin aut abnuerit à se commissum esse facinus, aut iusti sui doloris causſam aliquam fingeret, defensionemq; facinoris à * natura iure aliquo quæreret. Quæ si appellare audent impij; quo tandẽ studio colentur à bonis? Quòd si pœna, si metus supplicij, non ipsa tupitudo, deterret ab iniuriosa, facinorosaq; vita, nemo est iniustus: * at incauti potius habẽdi sunt improbi. Tum autem qui non ipso honesto mouemur, vt boni viri simus, sed vtili

vtilitate aliqua atque fructu, callidi sumus, non boni. Nam quid faciet is homo in tenebris, qui nihil timet nisi testem, vel iudicem? quid in deserto loco, nactus quem multo auro spoliare possit imbecillum, atq; solum? Noster quidem hic natura iustus vir ac bonus etiam colloquetur, iuuabit, in viam deducet. Is verò, qui nihil alterius causſa facit, & metitur suis commodis omnia, videtis credo quid sit * acturus: quòd si negabit se illi vitam erepturum, & aurum ablaturum: numquam ob eam causſam negabit, quòd id natura turpe iudicet, sed quòd metuat ne emanet, id est ne malum habeat. O rem dignam, in qua non modò docti, verùm etiã agrestes erubescant. Iam verò stultissimũ illud, existimare omnia iusta esse, quæ scita sint in populorũ institutis, aut legibus. Etiam'ne, si quæ sint tyrannorum leges, si triginta illi Athenis leges imponere voluissent? aut si omnes Athenienses delectarentur tyrannicis legibus, num iccirco hæ leges iustæ haberentur? nihilo credo magis illa, quam interrex noster tulit, vt dictator, quem vellet ciuiũ, indicta causſa impune posset occidere. est enim vnum ius, quo deuincta est hominum societas, & quod lex constituit vna. Quæ lex est recta ratio impetrandi, atq; prohibendi: quam qui ignorat, is est iniustus, siue est illa scripta vspiam, siue nusquam. Quòd si iustitia est obtẽperatio scriptis legibus,

institutiũq; populorũ, & si, vt ijdẽ dicunt, vtilitate omnia metienda sunt: negliget leges, easq; perrumpet, si poterit, is, qui sibi eam rẽ fructuosam putabit fore. Ita fit, vt nulla sit omnino iustitia, si neq; natura est, & ea, quæ propter vtilitatem constituitur, vtilitate illa conuellitur. Atqui si natura confirmatũ ius non erit, virtutes omnes tollantur: vbi enim liberalitas, vbi patriæ caritas, vbi pietas, vbi aut bene merendi de altero, aut referendæ gratiæ voluntas poterit existere? nã hæc nascũtur ex eo, quòd natura propẽsi sumus ad diligẽdos homines, quod fundamentum iuris est: neq; solùm in homines obsequia, sed etiam in deos cæremoniæ, religionesq; tolluntur: quas non metu, sed ea coniunctione, quæ est homini cum deo, conseruandas puto. Quod si populorũ iussis, si principum decretis, si sententijs iudicũ, iura constituerentur: ius esset latrocinari, ius adulterare, ius testamẽta falsa supponere, si hæc suffragijs, aut scitis multitudinis probarẽtur. *Quæ si tanta potentia est stultorum sententijs, atq; iussis, vt eorum suffragijs rerum natura vertatur: cur non sanciunt, vt quæ mala, pernicioſaq; sunt, habeantur pro bonis, ac salutaribus? aut cur, cùm ex iniuria lex facere possit, bonum eadem facere non possit ex malo? Atqui nos legem bonam à mala nulla alia nisi naturali norma diuidere possumus. nec solùm ius à natura dijudicatur,

dicatur, sed omnino omnia honesta, ac turpia. nam & communis intelligentia nobis notas res efficit, *easq; in animis nostris inchoauit, vt honesta in virtute ponantur, in vitijs turpia. Hæc autem in opinione existimare, *non in naturæ ponere dementis est. nam nec arboris, nec equi virtus quæ dicitur, in quo abutimur nomine, in opinione sita est, sed in natura. quod si ita est, honesta quoque, & turpia natura dijudicanda sunt. Nam si opinione vniuersa virtus, eadem eius etiam partes probarentur. Quis igitur prudentem, &, vt ita dicam, catum non ex ipsius habitu, sed ex aliqua re externa iudicet? est enim virtus perfecta ratio. quod certè in natura est. Igitur omnis honestas eodem modo. nam vt vera & falsa, vt consequentia & contraria, sua sponte, non aliena iudicantur: sic constans, & perpetua ratio vitæ, quæ est virtus, itemq; inconstantia, quod est vitium, sua natura probatur. *Nos ingenia iuuenũ non ratione ab ingenita naturæ virtute, sed vitia, quæ existunt ab ingenijs, iudicamus. an ea non aliter, quàm honesta & turpia non ad naturam referri necesse erit? Quod laudabile bonum est, in se habeat quod laudetur necesse est: ipsum enim bonum non est in opinionibus, sed in natura. nam ni ita esset, beati quoq; opinione essent: quo quid dici potest stultius? Quare cùm & bonum & malũ natura iudicetur, &

ea sunt principia naturæ: certe honesta quoque, & turpia simili ratione dijudicanda, & ad naturam referēda sunt. Sed perturbat nos opinionum varietas, hominumq; dissensio: & quia non idem contingit in sensibus, hos natura certos putamus: illa, quæ alijs sic, alijs secus, nec ijsdem semper vno modo videntur, ficta esse dicimus. quod est longe aliter nam sensus nostros non parens, non nutrix, non magister, non poëta, non scena deprauat, non multitudinis consensus abducit à vero. animis omnes tenduntur insidiæ, vel ab ijs, quos modò enumerauí, qui teneros, & rudes cùm acceperunt, inficiunt, & flectunt, vt volunt: vel ab ea, quæ penitus in omni sensu implicata insidet imitatrix boni voluptas, malorum autem mater omnium: cuius blanditijs corrupti, quæ natura bona sunt, quia dulcedine hac & scabie carent, non cernimus satis. Sequitur, vt conclusa mihi iam hæc sit omnis ratio, id quod ante oculos ex ijs est, quæ dicta sunt, & ius, & omne honestum sua sponte esse expetendum. Etenim omnes viri boni ipsam æquitatem, & ius ipsum amant: nec est viri boni errare, & diligere, quod per se non sit diligendum. Per se igitur ius est expetēdum, & colendum. Quòd si ius, etiam iustitia. sic reliquæ quoq; virtutes per se colendæ sunt. Quid liberalitas? gratuitáne est, an mercenaria? si sine præmio benigna est, gratuita: si cum mercede

cede, conducta. nec est dubium, quin is, qui liberalis, benignúsve dicitur, officium, non fructum sequatur. Ergo item iustitia nihil expetit præmij, nihil pretij: per se igitur expetitur. eademq; omnium virtutum caussa, atque sententia est. atque etiam si emolumentis, non suapte naturæ virtus expetitur, vna erit virtus, quæ malitia rectissimè dicētur. Vt enim quisq; maximè ad suum commodum refert quæcumq; agit, ita minime est vir bonus, vt, qui virtutē præmio metiuntur, nullam virtutem nisi malitiā putent. Vbi enim beneficus, si nemo alterius caussa benigne facit? vbi gratus, si non eum ipsum, cui referunt gratiā, ipsi cernunt grati? vbi illa sancta amicitia, si non ipse amicus per se amatur toto pectore, vt dicitur? qui etiam deserendus, & abijciendus est, desperatis emolumentis, & fructibus. quo quid potest dici immanius? Quòd si amicitia per se colenda est, societas quoq; hominum, & æqualitas, & iustitia per se expetēda. quod ni ita est, omnino iustitia nulla est: id enim iniustissimum ipsum est, iustitiæ mercedem quærere. Quid verò de modestia, quid de temperantia, quid de continentia, quid de verecundia, pudore, pudicitiaq; dicemus? infamiæne metu non esse petulātes, an legum, & iudiciorum? Innocentes ergo, & verecundi sunt, vt bene audiant: & vt rumorē bonum colligant, *erubescūt, & pudet impudica loqui.

Ac me nimirum istorum philosophorum pudet, qui nullum vitium vitare, nisi iudicio ipso multatum putant. Quid enim? possumus eos, qui stupro arcentur infamiæ metu, pudicos dicere, cùm ipsa infamia propter rei turpitudinẽ consequatur? Nam quid aut laudari rite, aut vituperari potest, si ab eius natura recesseris, quod aut laudandum, aut vituperandum putes? An corporis prauitates, si erunt perinsignes, habebunt aliquid offensionis, animi deformitas non habebit? cuius turpitudo ex ipsis vitijs facillimè perspici potest: quid enim fœdius auaritia, quid immanius libidine, quid contemptius timiditate, quid abiectius tarditate, & stultitia dici potest? Quid ergo? eos, qui singulis vitijs excellunt, aut etiam pluribus, propter damna, aut detrimenta, aut cruciatus aliquos miseros dicimus, an propter vim turpitudinemq; vitiorum? quod item ad contrariam laudem in virtute dici potest. Nam si propter alias res virtus expetitur: melius esse aliquid, quàm virtutem, necesse est. Pecuniamne igitur? an honores? an formam? an valetudinem? quæ &, cùm adsunt, perparua sunt, &, quàm diu affutura sint, certum sciri nullo modo potest. an, id quod turpissimum dictu est, voluptatem? at in ea quidem spernenda & repudiãda, virtus vel maximè cernitur. Videtisne quanta series rerum, sententiarumq; sit? atque vt ex alio alia

nectantur? Quin labebar longius, nisi me retinuissem. Q. Quo tandem? libenter enim frater *cum ista oratione tecum prolaberer. M. Ad finem bonorum, quò referrntur, & *cuius caussa sunt facienda omnia, cõtrouersam rem, & plenam dissensionis inter doctissimos, sed aliquando tamen iudicandam. A. Quî istuc fieri potest L. Gellio mortuo? M. Quid tandem id ad rem? ATT. Quia me Athenis audire ex Phædro meo memini, Gellium, familiarem tuum, cùm proconsul ex prætura in Græciam venisset, Athenis philosophos, qui tum erant, in locum vnum conuocasse, ipsisq; magnopere auctorem fuisse, vt aliquando controuersiarum aliquem facerent modum: quòd si essent eo animo, vt nollent ætatem in litibus conterere, posse rem conuenire: & simul operam suam illis esse pollicitum, si posset inter eos aliquid conuenire. M. Ioculare istud quidem, Pomponi, & à multis sæpe derisum: sed ego planè vellem me arbitrum inter antiquam Academiam & Zenonem datum. ATT. Quo tandem istuc modo? M. Quia de re vna solũ dissident, de ceteris mirificè congruunt. ATT. Ain tandem? vna de re est solum dissensio? M. Quæ quidem ad rem pertineat, vna: quippe cùm antiqui omnes, quod secundum naturam esset, quo iuuaremur in vita, bonum esse decreuerint, hic, nisi quod honestum esset, putauerit bonum. ATT.

Perparuam verò controuersiam dicis, ac non eam quæ dirimat omnia. M. Probe quidem sentis, si re, ac non verbis dissiderent. ATT. Ergo assentiris Antiocho familiari meo: magistro enim non audeo dicere: quocum vixi, & qui me ex nostris pænè conuellit hortulis, deduxitq; in Academiam perpauculis passibus. M. Vir iste fuit ille quidem prudens & acutus, & in suo genere perfectus, mihiq;, vt scis, familiaris: cui tamen ego assentiar in omnibus, nec ne, mox videro: hoc dico, controuersiam totam istã posse sedari. ATT. Quî istuc tandem vides? M. Quia si, vt Chius Aristo dixit, solum bonum esse diceret, quod honestum esset: malumq;, quod turpe: ceteras res omnes planè pares, ac ne minimum quidem, vtrum adessent, an abessent, interesse: valde à Xenocrate, & Aristotele, & ab illa Platonis familia discreparet, essetq; inter eos de re maxima, & de omni viuendi ratione dissensio. nunc verò cùm decus, quod antiqui summum bonum esse dixerunt, hic solum bonum dicat: item dedecus, quod illi summum malum, hic solum: diuitias, valetudinẽ, pulchritudinem, commodas res appellet, non bonas: paupertatem, debilitatem, dolorem, incõmodas, non malas: sentit idem, quod Xenocrates, quod Aristoteles: loquitur alio modo. Ex hac autem non rerum, sed verborum discordia cõtrouersia nata est de finibus: in qua quoniam

quoniam vsucapionem XII. tabulæ inter quinque pedes esse *noluerunt, depasci veterem possessionem Academiæ ab hoc acuto homine non sinemus: * nec Mamilia lege singuli, sed ex his tres arbitri fines regemus. Q. Quamnam igitur sententiam dicimus? M. Requiri placere terminos, quos Socrates * pepigerit, ijsq; parere. Q. Præclare frater iam nunc à te verba vsurpantur ciuilis iuris, & legum: quo de genere exspecto disputationem tuam: nam ista quidem magna dijudicatio est, vt ex te ipso sæpe cognoui. M. Sed certè res ita se habent, vt ex natura viuere summum bonum sit, id est vita modica, & apta virtute perfrui, aut naturam sequi, & eius quasi lege viuere, id est nihil, quãtum in ipso sit, prætermittere, quo minus ea, quæ natura postulet, consequatur, quòd inter hæc velit virtute tamquam lege viuere. Quapropter, hoc dijudicari nescio an vmquam, sed hoc sermone certe non potest, si quidem id, quod suscepimus, perfecturi sumus. ATT. At ego huc declinabam non inuitus. Q. Licebit alias: nunc id agamus quod cœpimus, cùm præsertim ad id nihil pertineat hæc de summo malo, bonoq; dissensio. M. Prudentissime Quincte dicis: nam quæ à me adhuc *dicta sunt, *

Q. Nec Lycurgi leges, nec Solonis, neque Charondæ, neq; Zaleuci, nec nostras XII. tabulas, nec plebiscita desidero: sed te existimo tũ popu-

lis

ijs, tum etiam singulis hodierno sermone legem viuendi, & disciplinam daturum M. Est huius verè disputationis Quinctæ proprium id, quod exspectas: atque vtinam esset etiã facultatis meæ. sed profectò ita se res habet, vt, quoniam vitiorum emendatricem legem esse oportet, commendatr cemq; virtutum, ab ea viuendi doctrina ducatur ita fit, vt mater omnium bonarum artium sapientia sit: à cuius amore Græco verbo philosophia nomen inuenit: qua nihil à dijs immortalibus vberius, nihil florentius, nihil præstabilius hominum vitæ datum est. Hæc enim vna nos cùm ceteras res omnes, tum, quod est difficillimum, docuit, vt nosmetipsos nosceremus: cuius præcepti tanta vis, tãta sententia est, vt ea non homini cuipiam, sed Delphico deo tribueretur. nã qui se ipse norit, primùm aliquid sentiet se habere diuinum, ingeniumq; in se suum sicut simulacrum aliquod, dedicatum putabit: tantoq; munere deorum semper dignum aliquid & faciet, & sentiet: & cùm se ipse perspexerit, totumq; tentarit, intelliget quemadmodum à natura subornatus in vitã venerit, quantaq; instrumenta habeat ad obtinendam, adipiscendamq; sapientiam, quoniam principio rerum omnium quasi adumbratas intelligentias animo ac mente conceperit. quibus illustratus sapientia duce bonum virum, & ob eam ipsam caussam cernat

nat se beatum fore. Nam cùm animus, cognitis perceptiq; virtutibus, à corporis obsequio, indulgentiaq; discesserit; voluptatemq; sicut labem aliquam dedecoris oppresserit, omnémque mortis doloriq; timorem effugerit, *societatémque carnis eiecerit; tum suis, omnibusq; natura coniunctos, suos duxerit; cultumq; deorum, & puram religionem susceperit; & exacuerit illam, vt oculorum, sic ingenij aciem ad bona deligenda, & reijcienda contraria, quæ virtus ex prouidendo est appellata prudentia: quid eo dici, aut excogitari poterit beatius? Idemq; cùm cælum, terras, maria, omniumq; rerum naturam perspexerit, eáque vnde generata, quò recurrant, quando, quo modo obitura, quid in ijs mortale, & caducum, quid diuinum, æternumq; sit, viderit, ipsumq; ea moderantem, & regentem pænè præhenderit, sesq; non vnis circumdatum mœnibus populare alicuius loci, sed ciuem totius mundi quasi vnius vrbis, agnouerit: in hac ille magnificentia rerum, atq; in hoc conspectu, & cognitione naturæ, dij immortales, quàm ipse se nosset, quod Apollo præcepit Pythius: quàm contemnet, quàm despiciet, quàm pro nihilo putabit ea, quæ vulgò dicuntur amplissima! Atq; hæc omnia, *quasi sepimento aliquo, vallabit disserendi ratione, * veri, & falsi, iudicio, scientia, & arte quadam intelligendi quid quamq; rem

sequat

sequatur, & quid sit cuiq; contrarium. cumq; se ad ciuilem societatem natum senserit, non solùm illa subtili disputatione sibi vtendum putabit, sed etiam fusa latius perpetua oratione, qua regat populos, qua stabiliat leges, qua castiget improbos, qua tueatur bonos, qua laudet claros viros, qua præcepta salutis, & laudis aptè ad persuadendum edat suis ciuibus, quà hortari ad decus, reuocare à flagitio, consolari possit afflictos, factaq; & consulta fortium, & sapientum cum improborum ignominia sempiternis monumentis prodere. Quæ cùm tot res tantæq; sint quæ inesse in homine perspiciantur ab ijs, qui se ipsi velint noscere: earum parens est, educatrixq; sapientia. ATT. Laudata quidem à te grauiter, & vere. Sed quorsus hæc pertinent? M. Primum ad ea Pomponi, de quibus acturi iam sumus: quæ tanta esse volumus: non enim erunt, nisi ea fuerint, vnde illa manant, amplissima: deinde facio & libenter, &, vt spero, rectè, quòd nam, cuius studio teneor, quæq; me, quicumque sum, effecit, non possum silentio præterire. ATT.

*Reuera facis & merito, &
ipse, fuitq; id, vt dicis,
in hoc sermone
faciendũ.

*

M. T. CICERONIS
DE LEGIBVS
LIBER II.

ATTICVS.

SED visne, quoniam & satis iam deambulatum est, & tibi aliud dicendi initium sumendum est, locum mutemus, & in insula, quæ est in Fibreno (nam opinor illi alteri flumini nomen esse) sermoni reliquo demus operam sedentes? M. Sanè quidem: nam illo loco libentissimè soleo vti, siue quid mecum ipse cogito, siue aliquid scribo, aut lego. ATT. Equidem, qui nunc primum huc venerim, satiari non queo, magnificasq; villas, & pauimenta marmorea, & laqueata tecta contemno. Ductus verò aquarum, quos isti *nilos & euripos vocant, quis non, cùm hæc videat, irriserit? Itaq; vt tu paullò antè de lege & iure disserens ad naturam referebas omnia, sic in his ipsis rebus, quæ ad quietem animi, delectationemq; quæruntur, natura dominatur. Quare antea mirabar (nihil enim his in locis nisi saxa, & montes cogitabam: idq; vt facerem, & orationibus inducebar tuis, & versibus) sed mirabar, vt dixi, te tam valde hoc loco delectari: nunc contra miror, te, cùm Roma absis, vsquam potius esse. M. Ego verò, cùm licet plures dies abesse,

præser

præsertim hoc tempore anni, & amœnitatem, & salubritatem hanc sequor: rarò autem licet. Sed nimirum me alia quoque causſa delectat, quæ te non attingit ita. ATT. Quæ tandem istа causſa est? M. Quia, si verum dicimus, hæc est mea, & huius fratris mei germana patria: hic enim orti stirpe antiquissima sumus: hîc sacra, hic genus, hîc maiorum multa vestigia. Quid plura? hanc vides villam, vt nunc quidem est, lautius ædificatam patris nostri studio, qui cùm esset infirma valetudine, hic ferè ætatem egit in litteris. Sed hoc ipso in loco cùm auus viueret, & antiquo more parua esset villa, vt illa Curiana in Sabinis, me scito esse natum. *Quare id est nescio quid, & l tet in animo ac sensu meo, quo me plus hic locus fortasse delectet: si quidem etiam ille sapientissimus vir, Ithacam vt videret, immortalitatem scribitur repudiasse. ATT. Ego verò tibi istam iustam causſam puto, cur huc libentius venias, atque hunc locum diligas. quin ipse, vere dicam, sum ipsi villæ amicior factus, atque huic omni solo, in quo tu ortus, & procreatus es: mouemur enim nescio quo pacto locis ipsis, in quibus eorum, quos diligimus, aut admiramur, adsunt vestigia. Me quidem ipsæ illæ nostræ Athenæ non tam operibus magnificis, exquisitisq; antiquorum artibus delectant; quàm recordatione summorum virorum, vbi quisq; habitare, vbi

vbi sedere, vbi disputare sit solitus: studioseq; eorum etiam sepulcra contemplor. Quare istis vbi tu es natus, plus amabo posthac locum. M. Gaudeo igitur me incunabula pænè mea tibi ostendisse. ATT. Et quidē me cognosse admodum gaudeo. Sed illud tamen quale est, quod paullo antè dixisti? hunc locū (idē *ego te accipio dicere Arpinum) germanam patriam esse vestram. Numquid vos duæ habetis patrias, an est illa vna patria communis? nisi fortè sapienti illi Catoni fuit patria non Roma, sed Tusculum. M. Ego mehercule & illi, & omnibus municipibus duas esse censeo patrias, vnam naturæ, alteram ciuitatis: vt ille Cato, cùm esset Tusculi natus, in populi R. ciuitatem susceptus est: itaque, cùm ortu Tusculanus esset, ciuitate Romanus, habuit alteram loci patriam, *alteram iuris: vt vestri Attici, prius quam Theseus *eosdem migrare ex agris, & in astu, quod appellatur, omnes se conferre iussit, *& Symphradas ex Atticis: sic nos & eam patriam dicimus, vbi nati, & illam, qua excepti sumus. sed necesse est caritate eam præstare, *qua reipublicæ nomen vniuersæ ciuitatis est: pro qua mori, & cui nos totos dedere, & in qua nostra omnia ponere, & quasi consecrare debemus. Dulcis autem non multo secus est, quæ genuit, quàm illa, quæ excepit. itaq; ego esse hanc meam patriam prorsus numquam negabo, dum illa sit

maior

maior, & hæc in ea contineatur. ATT. Rectè igitur Magnus ille noster me audiente posuit in iudicio, cùm pro * Ambio tecum simul diceret, Remp. nostram iustissimas huic muncipio gratias agere posse, quod ex eo duo sui conseruatores exstitissent: vt iam videar adduci, hãc quoq;, quæ te procreauit, esse patriam tuã. Sed ventũ in insulam est. Hac verò nihil est amænius: vt enim hoc quasi rostro finditur Fibrenus, & diuisus æqualiter in duas partes latera hæc alluit, rapideq; dilapsus citò in vnum confluit, & tãtum complectitur, *quod satis sit modicæ palestræ loci. quo effecto, tamquam id habuerit operis, ac muneris, vt hanc nobis efficeret sedem ad disputandum, statim præcipitat in Lirem, &, quasi in familiam patritiam venerit, amittit nomen obscurius, Liremq; multo gelidiorem facit: nec enim vllum hoc frigidius flumen attigi, cùm ad multa accesserim, vt vix pede tentare id possim: quod in Phædro Platonis facit Socrates. M. Esto verò ita: sed tamen huic amœnitati, *quam ex Quincto sæpe audio, *Thebanus Epirotes tuus ille mihi, opinor, concesserit. Q. Est ita, vt dicis: caue enim putes Attici nostri * Emathio, platanisq; illis quidquam esse præclarius. sed, si videtur, consideremus hîc in vmbra, atque ad eam partẽ sermonis, ex qua egressi sumus, reuertamur. M. Præclare exigis Quincte. at ego effugisse arbitrabar:

bar: & tibi nihil horum deberi potest. Q. Ordire igitur. *nam hunc tibi totum dicamus diẽ, maiore musarum primordio, sicut in Arati carmine orsi sumus. M. Quorsum istuc? Q. Quia nunc itidem ab eodem, & ceteris dijs immortalibus sunt nobis agendi capienda primordia. M. Optime verò frater: & fieri sic decet. Videamus igitur rursus, priusquam aggrediamur ad leges singulas, vim naturamq; legis, ne cùm referenda sint ad eam nobis omnia, labamur interdum errore sermonis, ignoremusq; vim sermonis eius, quo iura nobis definienda sunt. Q. Sanè quidem, Hercule: & est ista recta docendi via. M. Hanc igitur video sapientissimorum fuisse sententiam, legem neque hominum ingenijs excogitatam, neq; scitum aliquod esse populorum, sed æternum quiddam, quod vniuersum mundum regeret imperandi, prohibendiq; sapientia. ita principem legem illam, & vltimam, mentem esse dicebant omnia ratione aut cogentis, aut vetantis dei: ex qua illa lex, quam dij humano generi dederunt, rectè est laudata: est enim ratio, mensq; sapientis ad iubendum, & ad deterrendum idonea. Q. Aliquoties iam iste locus à te tactus est: sed antequam ad populares leges veniãs, vim istius cælestis legis explana, si placet: ne æstus nos consuetudinis absorbeat, & ad sermonis morem vsitati trahat. M. A paruis enim, Quincte,

didicimus, Si in ius vocat, atq; eat, eiusmodi leges alias nominare. Sed verò intelligi sic oportet, & hæc, & alia iussa, ac vetita populorum vim habere ad rectè facta vocandi, & à peccatis auocandi: quæ vis non modò senior est, quàm ætas populorum, & ciuitatũ, sed æqualis illius cælum, atq; terras tuentis, & regentis dei: neq; enim esse mens diuina sine ratione potest, nec ratio diuina non hanc vim in rectis prauisq; sanciendis habere: nec, quia nusquam erat scriptum, vt contra omnes hostium copias in ponte vnus assisteret, à tergoq; pontem interscindi iuberet: iccirco minus Coclitem illum rem gessisse tantam fortitudinis lege, atque imperio putabimus. nec, si regna te Tarquinio nulla erat Romæ scripta lex de stupro, iccirco non contra illam legem sempiternam Sex. Tarquinius vim Lucretiæ Tricipitini filiæ attulit. erat enim ratio profecta à rerum natura, & ad rectè faciendum impellens, & à delicto auocans: quæ non tum demiq; incipit lex esse, cùm scripta est, sed tum, cùm orta est, orta autem simul est cum mente diuina. quamobrem lex vera, atque princeps, apta ad iubendum, & ad vetandum, ratio est recta summi Iouis. Q. Assentior, frater, vt quod est rectum, verum quoq; sit, neq; cum litteris, quibus scita scribuntur, aut oriatur, aut occidat. M. Ergo, vt illa diuina mens summa lex est, item, *cùm in homine

mine est perfecta, est in mente sapientis. Quæ sunt autem variæ, & ad tempus scriptæ, populi fauore magis, quàm re, legum nomen tenent: omnem enim legem, quæ quidem rectè lex appellari possit, esse laudabilem quibusdam talibus argumentis docent. Constat profectò ad salutem ciuium, ciuitatumq; incolumitatem, vitamq; omnium quietam, & beatam conditas esse leges: eosq;, qui primùm eiusmodi scita sanxerunt, populis ostendisse, ea se scripturos, atq; laturos, quibus illi ascripti, susceptiq;, honestè beateq; viuerent: quæq; ita compositæ, sanctæq; essent, eas leges vidiuet nominarunt. Ex quo intelligi par est, eos, qui pernicioſa, & iniusta populis iussa descripserint, cùm contra fecerint, quàm polliciti, professiq; sint, quidvis potius tulisse, quàm leges: vt perspicuum esse possit, in ipso nomine legis interpretando inesse vim, & sententiam iusti, & iuris colendi. Quæro igitur, Quincte, à te, sicut illi solent: quo ſi ciuitas careat, ob eam ipsam causſam quòd eo careat, pro nihilo habenda sit, id est ne numerandum in bonis? Q. Ac maximis quidem. M. Lege autem carens ciuitas annè ob ipsum habenda nullo loco? Q. Dici aliter non potest. M. Necesse est igitur legem haberi in rebus optimis. Q. Prorsus assentior. M. Quid, quòd multa pernicioſa, multa pestifera sciscuntur in populis? quæ non magis legis nomen attingunt,

quàm si latores aliquas concessu suo sanxerint. nam neque medicorum præcepta dici verè possent, si quæ inscij imperitiq; pro salutaribus mortifera conscripserint: neque in populo lex, cuicuimodi fuerit illa, etiam si pernicioſum aliquid populus acceperit. Ergo est lex iusſtorum, iniusſtorumq; distinctio, ad illam antiquissimam, & rerum omnium principem expressa naturam, ad quam leges hominum diriguntur, quæ supplicio improbos afficiunt, & defendunt, & tuentur bonos. Q. Præclarè intelligo: nec verò iam aliam esse vllam legem puto nõ modò habendam, sed ne appellandam quidem. M. Igitur tu * Seias & Apuleias leges nullas putas? Q. Ego verò ne Liuias quidem. M. Et rectè, quæ præsertim vno versiculo senatus puncto temporis sublatæ sint: lex autem illa, cuius vim explicaui, neq; tolli, neq; abrogari potest. Q. Eas tu igitur leges rogabis videlicet, quæ numquam abrogentur. M. Certè, si modò acceptæ à vobis duobus erũt. sed, vt vir doctissimus fecit Plato, atque idem grauissimus, omniumq; princeps, de rep. cum scripsit, idemq; separatim de legibus eius, id mihi credo esse faciendum, vt priusquam ipsam legem recitem, de eius legis laude dicam, quod idem & Zaleucum, & Charondam fecisse video, cùm quidem illi non studij, & delectationis, sed reipub. causſa leges ciuitatibus suis scripserunt: quos imitatus Plato, videlicet hoc quoq; legũ putauit esse, persuadere aliquid, non omnia vi, ac minis cogere. Q. Quid, quòd Zaleucum istum negat vllũ fuisse Timæus? M. At Theophrastus auctor, haud deterior mea quidem sententia, meliorem multi nominant: commemorant verò ipsius ciues, nostri clientes, Locri. Sed siue fuit, siue non fuit, nihil ad rem. loquimur, quod traditum est. Sit igitur hoc iam à principio persuasum ciuibus, dominos esse omnium rerum, ac moderatores deos, eaq; quæ gerantur, eorum geri iudicio, ac numine, eosdemq; optimè de genere hominum mereri, & qualis quisque sit, quid agat, quid in se admittat, qua mente, qua pietate religiones colat, intueri, piorumq; & impiorum habere rationem: his enim rebus imbutæ mentes, haud sanè abhorrebunt ab vtili, & à vera sententia. quid est enim verius, quàm neminem esse oportere tam stultè arrogantem, vt in se mentem, & rationem putet inesse, in cælo mundoq; non putet? aut ea, quæ vix summa ingenij ratione comprehendat, nulla ratione moueri putet? Quem verò astrorum ordines, quem dierum noctiumq; vicissitudines, quem mensum temperatio, quemq; ea, quæ gignuntur nobis ad fruendum, non gratum esse cogãt, hunc hominem omnino numerare quî decet? cumq; omnia: quæ rationem habent, præstent ijs, quæ sint rationis expertia, nefasq; sit dicere

vllam rem præstare naturæ omnium rerum: rationem inesse in ea confitendum est. Vtiles esse autem opiniones has quis neget, cùm intelligat, quàm multa firmentur iureiurando? *quantæ salutis sint fœdera religionis? quàm multos diuini supplicij metus à scelere reuocarit? quamq; sancta sit societas ciuitũ, inter ipsos dijs immortalibus interpositis tum iudicibus, tũ testibus? Habes legis proœmium sic enim hoc appellat Plato. Q. Habeo verò, frater: & *in hoc admodum delector, quòd in alijs rebus, alijs; sententijs versaris, atq; illemihil enim tã dissimile est, quàm vel ea, quæ antè dixisti, vel hoc ipsum legis exordium. vnum illud mihi videris imitari orationis genus. M. Vellem fortasse: quis enim id potest aut vmquam poterit imitari? nam sententias interpretari perfacilè est: quod quidem ego facerem, nisi planè esse vellem meus. quid enim negotij est, eadem propè verbis ijsdem conuersa dicere? Q. Prorsus assentior. verum, vt modò tute dixisti, te esse malo tuum. Sed iam exprome, si placet, istas leges de religione. M. Expromam equidem, vt potero: & quoniam & locus, & sermo familiaris est, legum vocem proponam. Q. Quidnam id est? M. Sunt certa legum verba, Quincle, nec ita priscа, vt in veteribus his, sacratisq; legibus, & tamen quo plus auctoritatis habeant, paullo antiquiora, quam hic sermo est. eis igitur

igitur cum breuitate si potero consequar. Leges autem à me edentur non perfectæ. nam esset infinitum, sed ipsæ summæ rerum ac sententiæ. Q. Ita verò necesse est: quare audiamus verba legis. M. Ad diuos adeunto castè: pietatem adhibento: opes amouento. qui secus faxit, deus ipse vindex erit. Separatim nemo habessit deos, neue nouos: *sed ne aduenas, nisi publice adscitos, priuatim colunto. Constructa à patribus delubra habento: lucos in agris habeto, & larum sedes: ritus familiæ, patrumq; seruanto. Diuos, & eos, qui cælestes semper habiti, colunto, & ollos, quos in cælum merita vocauerint, Herculem, Liberum, Aesculapium, Castorem, Pollucem, Quirinum. ast olla, propter quæ datur homini ascensus in cælum, Mentem, Virtutem, Pietatem, Fidem, earumq; laudum delubra sunto. Nec vlla vitiorum sacra solemnia obeunto. Ferijs iurgia amouento, eaq; in famulis operibus patratu habento. Itaq;, vt ita cadat in annuis anfractibus, descriptũ esto: certa q; fruges, certasq; bacas sacerdotes publicè libanto. hoc certis sacrificijs ac diebus. *uémque alios addes. vbertatem lactis, fœtusq; seruato. *Idq; ne committi possit, ad eam rem, & rationem cursus annuos sacerdotes finiunto. Quæq; cuique diuo decoræ gratæq; sint hostiæ, prouidento: diuisq; alijs alij sacerdotes; omnibus pontifices; singulis flamines sunto. Virgines Vestales in

vrbe custodiunto ignem foci publici sempiternum. Quoq; & priuatim, & publicè modo, rituq; fiat, discunto ignari à publicis sacerdotibus. Eorũ autem duo genera sunto; vnum quod præsit ceremonijs, & sacris; alterũ quod interpretetur fatidicorum & vatum effata incognita, cùm senatus populusq; asciuerit. Interpretes autem Iouis optimi maximi, publici augures signis, & auspicijs, postea vidento, disciplinam tenento. Sacerdotes vineta, virgetaq;, & salutẽ populi augurãto. Quiq; agent rem duelli, quiq; populare auspicium præmonento, olliq; obtemperanto. Diuorumq; iras prouidento, ijsq; parento; Cæliq; fulgura regionibus ratis temperanto; vrbemq;, & agros, & templa liberata, & effata habento: quæq; augur iniusta, nefasta, vitiosa, dira defixerit, irrita, *insectaq; sunto: quiq; non paruerit, capitale esto. Fœderũ, pacis, belli, inducIarum oratores, fetiales, iudices sunto. *bella, disceptatio, prodigia, portenta ad Etruscos & haruspices, si senatus iusserit, deferunto. *Etruriæq; principes disciplinam docẽto. Quibus diuis creuerint, procuranto: idemq; fulgura atq; obstita pianto. Nocturna mulierum sacrificia ne sunto, præter olla, quæ pro populo rite fient. *néve initiato, nisi vt assolet Cereri, Græco sacro. Sacrum cõmissum, quod neq; expiari poterit, impiè commissum esto. quod expiari poterit, publici sacerdotes expianto. Lu-

dis publicis, quod sine curriculo, & sine certatione corporum fiat, popularem lætitiam in cãtu, & fidibus, & tibijs moderanto, eamq; cùm diuũ honore iungunto. Ex patrijs ritibus optuma colunto, præter Idææ matris famulos, eosq; iustis diebus, nequis stipem cogito. Sacrum sacróve commendatum *qui clepserit, rapseritq;, paricida esto. periurij pœna diuina, exitium: humana, dedecus. Incestum pontifices supremo supplicio sanciunto. Impius ne audeto placare donis iram deorum. sanctè vota reddũto. Pœna violati iuris esto. Ne quis agrum consecrato: auri, argenti, eboris sacrandi modus esto. sacra priuata perpetua manento. Deorum manium iura sancta sunto. Hos *leto dato diuos habento. Sumptum in ollos luctumq; minuunto. ATT. Concluſa est quidem *aptè tam magna lex, sanequam breuis: &, vt mihi quidem videtur, nõ multum discrepat ista constitutio religionum à legibus Numæ, nostriq; moribus. M. An censes, cùm in illo de repub. libris persuadere videatur Africanus, omnium rerum publicarum nostram veterem illam fuisse optimam, non necesse esse optumæ reipu. leges dare consentaneas? ATT. Immo prorsus ita censeo. M. Ergo adeo exspectatæ leges, quæ genus illud optimum reip. cõtineant: & si quæ forte à me hodie rogabuntur, quæ non sint in nostra rep. nec fuerint, tamen erãt fere in more ma-

iorũ, qui tũ vt lex valebat. ATT. Suade igitur, si placet, istam ipsam legem, *vt ego, VT ET TV ROGAS, posim edicere. M. Ain tandem, Attice, nõ es edicturus aliter? ATT. Prorsus maiorem quidẽ rẽ nullam sciscam aliter: in mmoribus, si voles, remittam hoc tibi. M. Atque mea quidem sententia est. at ne longum fiat, videte. ATT. Vtinam quidem: quid enim agere malumus? M. Caste iubet lex adire ad deos, animo videlicet, in quo sunt omnia: nec tollit castimoniam corporis: sed hoc oportet intelligi, cùm multum animus corpori præstet, obseruetur q; vt casto corpore adeatur, multo esse in animis id seruandum magis: nam illud vel aspersione aquæ, vel dierũ numero tollitur: animi labes nec diuturnitate vanescere, * nec manibus vllis eluipotest. Quòd autẽ pietatem adhiberi, opes amoueri iubet, significat probitatem gratã esse deo, sumptũ esse remouẽdum. Quid est enim, cùm paupertatem diuitijs etiam inter homines esse æqualem velimus, cur eam sumptu ad sacra adhibito deorum aditu arceamus? præsertim cùm ipsi deo nihil minus gratum futurum sit, quàm non omnibus patere ad se placandum, & colendum viam. Quòd autem non iudex, sed deus ipse vindex constituitur, præsentis pœnæ metu religio cõfirmari videtur. Suos q; deos, aut nouos, aut alienigenas coli confusionem habet religionum, & ignotas

tas ceremonias etiam sacerdotibus. nam à patribus acceptos deos ita placet coli, si huic legi paruerint ipsi. patrum delubra esse in vrbibus censeo: nec sequor magos Persarum: quibus auctoribus Xerxes inflãmasse tepla Græciæ dicitur, quòd parietibus includerent deos, quibus omnia deberent esse patentia, ac libera, quorum q; hic mundus omnis templum esset, & domus. melius Græci, atq; nostri: qui, vt augerent pietatẽ in deos, easdem illos, quas nos, vrbes incolere voluerunt. affert enim hæc opinio religionem vtilem ciuitatibus: siquidem & illud bene dictum est à Pythagora doctissimo viro, tum maximè & pietatem, & religionem versari in animis, cùm rebus diuinis operã daremus: * & quod Thales, qui sapientissimus inter septem fuit, homines existimare oportere, deos omnia cernere, deorum omnia esse plena: fore enim omnes castiores, veluti quo insans esset maximè religiosus. est enim quadam opinione species deorum oculis, non solùm in mentibus. Eandem q; rationem luci habent in agris, neq; ea, quæ à maioribus prodita est cùm domibus, tum fumulis, posita in fundis vllis q; conspectu * religio larum repudianda est. Iam ritus familiæ patrum q; seruari, id est, quoniam antiquitas proximè accedit ad deos, à dijs quasi traditam religionem tueri. Quòd autem ex hominum genere consecratos, sicut Herculem,

&

& ceteros, coli lex iubet, indicat omnium quidem animos immortales esse: sed fortium, bonorumq; diuinos. Bene verò, quòd Mens, Pietas, Virtus, Fides, consecratur manu: quarum omnium Romæ dedicata publice templa sunt, vt illa qui habeant (habent autẽ omnes boni) deos ipsos in animis suis collocatos putent. nam illud vitiosum Athenis, quòd*Cylonio scelere expiato, Epimenide Crete suadente, fecerunt Contumeliæ fanum, & Impudentiæ: virtutes enim, nõ vitia consecrare decet. araq; vetus stat in Palatio Febris, & altera Exquiliis*Malæ Fortunæ, detestataq;. quæ omnia eiusmodi repudianda sunt.* Quòd si fingenda nomina vicepoëtæ, & potius vincendi, atque potiundi, statasſandiq; cognomina, Statoris, & Inuicti Iouis: rerumq; expetendarum nomina, salutis, honoris, opis, victoriæ: quoniam quidem exspectatione rerum bonarum erigitur animus. Rectè etiam*à Collatino Spes consecrata est, *Fortunaq; sit vel huius diei. nã valet in omnes dies; vel Respiciens ad opem ferendam, vel*forum in quo incerti casus significantur magis; vel primigeniam à gignendo: cùm est * feriarum festorumq; dierũ ratio in liberis requietem habet litium, & iurgiorum, in seruis operum, & laborum: quæ compositio anni conferre debet, *& perfectionem operum *rusticorum. quod tempus, vt sacrificiorum libamenta seruentur, festusq;

festusq; pecorum, quæ dicta in lege sunt, diligenter habenda ratio intercalandi est. quod institutum peritè à Numa, posteriorum pontificum negligentia dissolutum est. Iam illud ex institutis põtificum & haruspicum nõ mutandum est, quibus hostijs immolandum cuique deo, cui maioribus, cui lactentibus, cui maribus, cui feminis. Plures autem deorum omnium, singuli singulorum sacerdotes, & respondendi iuris & confitendarum religionum facultatem afferunt. Cumq; Vesta quasi focus vrbis, vt Græco nomine est appellata, quod nos propè idem Græcum interpretatum nomen tenemus, conspecta sit: ei colendæ virgines præsint*vt aduigiletur facilius ad custodiam ignis, & sentiant mulieres in * natura feminarum omnium deum castitatem pati. Quod sequitur verò, non solùm ad religionem pertinet, sed etiam ad ciuitatis statum, vt sine ijs, qui sacris publicè præsunt, religioni priuatæ satisfacere non possint: continet enim reip. consilio et auctoritate optimatum semper populũ indigere: descriptioq; sacerdotum nullum iustæ religionis genus prætermittit. nam sunt ad placandos deos alij constituti, qui sacris præsint solennibus: ad interpretãda alij prædicta vatum, *neque multorũ, ne esset infinitum, neq; vt ea ipsa, quæ suscepta publicè essent, quisquam extra collegium nosset. Maximum autem, &

præst

præstantissimum in rep. ius est augurum, cùm est auctoritati coniunctum. neque verò hoc, quia sum ipse augur, ita sentio, sed quia sic existimare nos est necesse. Quid enim maius est, si dè iure quærimus, quàm posse à summis imperijs, & summis potestatibus comitia tollere? concilia vel instituta dimittere, vel habita rescindere? quid grauius, quàm rem susceptã dirimi, si vnus* augur Alio die dixerit? quid magnificentius quàm posse decernere, vt magistratu se abdicent cõsules? quid religiosius, quàm cum populo, cum plebe agẽdi ius aut dare, aut non dare? quid legem, si non iure rogata est, tollere? * vt etiã decreto collegij, vt Liuius cõsilio Philippi, consules, & augures: nihil domi, nihil foris per magistratus gestum, sine eorum auctoritate posse cuiquã probari? A T T. Ar. ita ista video, fateorq; omnia esse magna, sed est in collegio vestro inter Marcellũ, et Appium optimos augures magna dissensio: nam eorũ ego in libros incidi: cùm alteri placeat auspicia ista ad vtilitatẽ esse reip. cõposita, alteri disciplina vestra quasi diuinari videatur prorsus nosse. Hæc tu de re quæro quid sentias. M. Ego ne? diuinationẽ, quã Græci μαντικὴν appellant, esse censeo, & huius hanc ipsam partem, quæ est in auibus ceteriisq; signis disciplinæ nostræ, quod cùm summos deos esse concedamus, eorumq; mente mundũ regi, & eorundem benig

benignitatẽ hominũ consulere generi, & posse nobis signa rerum futurarum ostendere, nõ video cur diuinationem esse negem. sunt autẽ ea, quæ posui, ex quibus id, quod volumus, efficitur, & * cogitur. Iam verò permultorum exemplorum & nostra plena est resp. & omnia regna, omnesq; populi, cunctaq; gentes augurum prædictis multa incredibiliter vera cecidisse: * neque enim Poletis, neque Melãpodis, neque Mopsi, neque Amphiarai, neque Calchantis, neq; Heleni tantum nomen fuisset, neq; tot nationes id ad hoc tempus retinuissent, Arabum, Phrygum, Lycaonum, Cilicum, maximeq; Pisidarum, nisi vetustas ea certa esse docuisset. nec verò Romulus noster auspicato vrbẽ condidisset, neque Attij Nauij nomen memoria floreret tamdiu, nisi hi omnes multa ad veritatem admirabilia dixissent. Sed dubium non est, quin hæc disciplina, & ars augurum euanuerit iam & vetustate, & negligentia. Itaq; neque illi assentior, qui hanc scientiam negat vmquam in nostro collegio fuisse: neque illi qui esse etiam nunc putat. quæ mihi videtur apud maiores * fuisse dupliciter, vt ad reipub. tempus nonnunquam, ad agendi consilium sæpissimè pertineret. A T T. Credo hercle ita esse, isteque rationi potissimum assentior: sed redde cetera. M. Reddam verò, & si potero, breui. Sequitur enim de iure belli: in quo & suscipiẽdo, & gerẽdo

rendo, & deponendo ius vt plurimum valet, & fides: horumq; vt publici interpretes essent, lege sancimus. Iam de haruspicum religione, de expiationibus, & procurationibus satis superq; in ipsa lege dictũ puto. A T T. Assentior, quoniam omnis hæc in religione versatur oratio. M. At verò, quod sequitur, quo modo aut tu assentiare, aut ego reprehendam, sanè quæro Tite. A T T. Quid tandem id est? M. De nocturnis sacrificijs mulierum. A T T. Ego verò assentior, excepto præsertim in ipsa lege sollenni sacrificio ac publico. M. Quid ergo aget Iacchus, Eumolpidæq; * nostri, & augusta illa mysteria, siquidem sacra nocturna tollimus? nõ enim populo Ro. sed omnibus bonis firmiq; populis leges damus. A T T. Excipis credo illa, quibus ipsi initiati sumus. M. Ego verò excipiam. nam mihi cùm multa eximia diuináque videntur Athenæ tuæ peperisse, atq; in vita hominum attulisse, tum nihil melius illis mysterijs, quibus ex agresti immaniq; vita exculti ad humanitatem, & mitigati sumus: initiaq; vt appellantur, ita re vera principia vitæ cognouimus: nec; solùm cum lætitia viuendi rationem accepimus, sed etiam cum spe meliore moriendi: Quid autem mihi displiceat, * innocentes poëtæ indicant comici. Qua licẽtia Romæ data, quidnam egisset ille, qui in sacrificiũ cogitatã libidinem intulit, quò ne imprudentiam quidem oculorum

rum adjici fas fuit? A T T. Tu verò istam Romæ legem rogato, nobis nostras ne ademeris. M. Ad nostra igitur reuertor: quibus profectò diligentissimè sanciendum est, vt mulierum famam multorum oculis lux clara custodiat, initienturq; eo ritu Cereri, quo Romæ initiantur. quo in genere seueritatem maiorum senatus vetus auctoritas de Bacchanalibus, & consulum exercitu adhibito quæstio, animaduersioq; declarat. atq; omnia nocturna, ne nos duriores forte videamur, in media Græcia Diagondas Thebanus lege perpetua sustulit. Nouos verò deos, & in his colẽdis nocturnas peruigilationes sic Aristophanes facetissimus poëta veteris comœdiæ vexat, vt apud eum Sabazius, & quidam alij dij, peregrini iudicati, è ciuitate ejiciantur. Publicus autem sacerdos imprudentiam consilio expiatam metu liberet, audaciam in admittendis religionibus fœdis damnet, atq; impiam iudicet. Iam ludi publici, cùm sint cauea, circoq; diuisi; sint corporũ certationes, cursu, & pugillatione, luctatione, curriculoq; equorum vsq; ad certam victoriã circo * constitutis: cauea, cantu, voce, ac fidibus, & tibijs: dummodo ea moderata sint, vt lege præscribitur. assentior enim Platoni, nihil tam facile in animos teneros, atque molles influere, quàm varios canendi sonos, quorũ dici vix potest quãta sit vis in vtramq; partem. namq; &

incitat languentes, & languefacit excitatos, & tum remittit animos, tum contrahit: ciuitatumq; hoc multarum in Græcia interfuit, antiquum vocum seruare modum: quarum mores lapsi ad mollitiem, pariter sunt immutati cum cantibus, aut hac dulcedine corruptelaq; depraua ti, vt quidam putant: aut, cùm seueritas eorum ob alia vitia cecidisset, tum fuit in auribus animiq; mutatis etiam huic mutationi locus. Quamobrem ille quidem sapientissimus Græciæ vir, longeq; doctissimus valde hanc labem veretur: negat enim mutari posse musicas leges sine mutatione legũ publicarum. Ego nec tam valde id timendum, nec planè contemnendum puto. Illa quidem, quæ solebant quondam complecti seueritate iucunda Liuianus, & Næuianis modis, nunc vt eadem exsultent, ceruices oculosq; pariter cum modorum flexionibus torqueant. Grauiter olim ista vindicabat vetus illa Græcia, longe prouidens, quàm sensim pernicies illapsa* ciuium animos malis studijs, malisq; doctrinis repente totas ciuitates euerteret: siquidem illa seuera Lacedæmon neruos iussit, quòd plures quàm septem haberet, in Timothei fidibus *inde demi. Deinceps in lege est, vt de ritibus patrijs colantur optimi: de quo cum consulerent Athenienses Apollinem Pythium, quas potissimum religiones tenerent: oraculum editum est, eas, quæ essent in more maiorum, quò

quò cùm iterum venissent, maiorumq; morem dixissent sæpe esse mutatum, quæsiuissentque quem morem potissimum sequerentur è varijs: respõdit, optimum. Et profectò ita est, vt id habendum sit antiquissimum, & deo proximum, quod sit optimum. Stipem sustulimus, nisi eam, quam ad paucos dies propriam Idææ matris excepimus: implet enim superstitione animos, & exhaurit domos. Sacrilego pœna est, neq; ei soli, qui sacrum abstulerit: sed etiam ei, qui sacro commendatum. quod & nunc multis fit in fanis. Alexander in Cilicia depositisse *apud Solem in delubro pecuniam dicitur, & Athenienses Clisthenes Iunoni Samiæ ciuis egregius, cùm rebus timeret suis, filiarum dotes credidit. Sed iam de periurijs: de incestis nihil sanè hoc quidem loco disputandum est. Donis impij ne placare audeant deos: Platonem audiant, qui vetat dubitare qua sit mente futurus deus, cùm vir nemo bonus ab improbo se donari velit. Diligentia votorum satis in lege dicta est, ac voti sponsio, qua obligamur deo. Pœna verò violatæ religionis iustam recusationem non habet. Quid ego hîc sceleratorum vtar exemplis, quorum sunt plenæ tragœdiæ? quæ ante oculos sunt, ea potius attingantur. etsi hæc commemoratio vereor ne supra hominis fortunam esse videatur: tamen, quoniam mihi sermo est *apud deos, nihil reticebo: velimq; hoc, quod

Universidad de Deusto
Biblioteca

loquar, dijs immortalibus gratum potius videri, quàm graue. *Omnia autẽ tum perditorum ciuium scelere discessu meo religionum iura polluta sunt: vexati nostri lares familiares: in eorum sedibus exædificatum templum Licentiæ: pulsus à delubris is, qui illa seruarat. *Circumspicite celeriter animo (nihil enim attinet quemquam nominari) qui sint rerũ exitus consecuti. nos, qui illam custodem vrbis, omnibus ereptis nostris rebus, ac perditis, violari ab impijs passi non sumus: eamq; ex nostra domo in ipsius patris domum detulimus, iudicia senatus, Italiæ, gentium deniq; omnium, conseruatæ patriæ consecuti sumus. quo quid accidere potuit homini præclarius? *quo scelere religiones prostratæ, afflictæq; sunt: partim ex illis distractæ ac dissipatæ iacent. Qui verò ex his & omnium scelerum principes fuerunt, & præter ceteros in omni religione impij, non solum* vita cruciati, atq; dedecore, verùm etiam sepultura, ac iustis exsequijs caruerũt. Q. Equidem illa agnosco, frater, & meritas dijs gratias ago: sed nimis sæpe secus aliquanto videmus euadere. M. Non enim Quincte rectè existimamus, quæ pœna diuina sit: & opinionibus vulgi rapimur in errorem, nec vera cernimus: morte, aut dolore corporis, aut luctu animi, aut offensione iudicij, hominum miserias ponderamus: quæ fateor humana esse, & multis boni viris

viris accidisse: sceleris autem pœna tristis, & præter eos euentus, qui sequuntur, per se ipsa maxima est. Vidimus eos, qui nisi odissent patriam, numquam inimici nobis fuissent, ardentes* tum cupiditate, tum metu, tum conscientia: quid agerent modò timentes, vicissim cõtemnentes religiones: iudicia perrupta, ab ijsdem corrupta hominum, nõ deorum. *Reprimam iam, & non insequar longius, eoq; minus, quo plus pœnarum habui, quàm petiui. * tantum pœnam merui, duplicem pœnam esse diuinam, quòd constaret & ex vexandis viuorum animis, & ea fama mortuorum, vt eorum exitium, & iudicio viuorum, & gaudio comprobetur. Agri autem ne consecrentur. Platoni prorsus assentior: qui, si modò interpretari potuero, his ferè verbis vtitur: Terra igitur, vt focus, domicilium sacrum omnium deorum est. quocirca ne quis iterum idem consecrato. Aurum autem, & argentũ in vrbibus & priuatim, & in fanis inuidiosa res est. Tum ebur ex *inani corpore extractum, haud satis casum donum deo. Iam æs, atq; ferrum duelli instrumenta, non fani. Ligneum autẽ *quod quis voluerit vno è ligno dedicato, *itemq; lapideũ in delubris cõmunibus. Textile: nec operosius, quàm mulieris opus mens struum. Color autem albus præcipuè decorus deo est tum in ceteris, tum maximè in textili. tincta verò absint, nisi à bellicis insignibus.

*Diuinissima autem dona aues, & formæ ab vno pictore vno absolutæ die. Itémque cetera huius exempli dona sunt. hæc illi placent. Sed ego cetera non tam restrictè præfinio, vel hominum vitijs, vel subsidijs temporum victus. Tenuæ cultū segniorem suspicor fore, si ad eam tuendam, *ferróque subijciendam superstitionis aliquid accesserit. A T T. Habeo ista. nunc de sacris perpetuis, & de manium iure reliquum. M. O miram memoriam, Pomponi, tuam. at mihi ista exciderant. A T T. Ita credo: sed tamen, hoc magis eas res & memini & exspecto, quòd & ad pontificium ius, & ad ciuile pertinet. M. *Vera, & apertissima sunt istis de rebus & responsa, & scripta multa: & ego in hoc omni sermone nostro, quod ad eum quæ legis genus me disputatio nostra deduxerit, tractabo, quoad potero, eius ipsius generis ius ciuile nostrum: *sed ita locus ipse vt notus sit, ex quo ducatur quæque res, & ars iuris, vt non difficile sit, quæcumque noua caussa consultationi acciderit, eius tenere ius, cùm scias à quo sit capite repetendum. *Sed iurisconsulti siue erroris obijciendi caussa, quo plura & difficiliora scire videantur: siue, quod similius veri est, ignoratione docendi (nam non solùm scire aliquid, artis est, sed quædam ars etiam docendi) sæpe, quod positum est in vna cognitione, id in infinita dispertiuntur: velut in hoc ipso genere, quàm magnum illud Scæuulæ

faciunt, pontifices ambo, & ijdem iuris peritissimi? *At inquit Publij filius, ex patre audiui, pontificem neminem bonum esse, nisi qui ius ciuile cognosset. Totúmne? quid ita? quid enim ad pontificem de iure parietum, aut aquarum, *aut vllo omnino? *Si ergo quod cum religione coniunctum est: id autem quantulum est? de sacris credo, de votis, de feriis, de sepulcris, & si quid eiusmodi est. Cur igitur hæc tanta facimus, cùm cetera perparua sint? De sacris autem, qui locus patet latius, hæc sit vna sententia, vt conserventur semper, & deinceps familijs prodantur, &, vt in lege posui, *perpetua sint sacra hîc posita. Hæc iura pontificum auctoritatem consecuta sunt, vt ne morte patrisfamilias sacrorum memoria occideret, *& ijs esset ea adiuncta, ad quos eiusdem morte pecunia venerit. Hoc vno posito, quod est ad cognitionem disciplinæ satis, innumerabilia nascuntur, quibus implentur iurisconsultorum libri. Quæruntur enim, qui astringantur sacris. Heredum caussa iustissima est: nulla est enim persona, quæ ad vicem eius, qui è vita emigrauerit, propius accedat. Deinde qui morte, testamentóve eius tantundem capiat, quantum omnes heredes: id quoque ordine: est enim ad id, quod propositum est, accommodatum. Tertio loco, si nemo sit heres, is, qui de bonis, quæ eius fuerint, *cùm moreretur, acceperit plurimū possidendo,

Quartò, si nemo sit, qui vllam rem ceperit, de creditoribus eius qui plurimum seruet. Extrema illa persona est, *vt is, qui mortuus sit, pecuniam debuerit, neminiq; eam soluerit, perinde habeatur, quasi eam pecuniã ceperit. Hæc nos à Scæuula didicimus. non ita descripta sunt ab antiquis. nam illi quidem his verbis docebant, tribus modis sacris astringi hereditatem, aut si maiorem partem pecuniæ capiat, aut si maior pars pecuniæ legata est, aut si inde quippiam ceperit. Sed pontificem sequamur. Videtis igitur omnia pendere ex vno illo, quòd *pontificiũ pecuniam sacro coniungi volunt, ijsdemq; ferias & cerimonias ascribendas putant, *atq; etiam dant hoc Scæuulæ, quod est partitio: *vt si in testamento deducta scripta non sint, ipsiq; minus ceperint, quàm omnibus heredibus relinquatur, sacris ne alligentur. In donatione hoc ijdem secus interpretantur: & quod paterfamilias in eius donatione, qui in ipsius potestate esset, approbauit, ratum est: quod eo inscio factum est, si id is non approbat, ratum non est. His propositis, quæstiunculæ multæ nascũtur: quas qui intelligat, non, si ad caput referat, per se ipse perspiciat: veluti, si minus quis cepisset, ne sacris alligaretur, pòst de eius heredibus aliquis exegisset pro sua parte id, quod ab eo, cuius ipse heres esset, prætermissum fuisset: eaq; pecunia non minor esset facta cum superiore exactione, quàm

quàm heredibus omnibus esset relicta: qui eam pecuniam exegisset, solum, *sine coheredibus, sacris alligari. Quin etiam cauent, vt cui plus legatum sit, quàm sine religione capere liceat, is per æs, & libram heredem testamenti soluat: propterea quòd eo loco res est ita solutæ hereditate, quasi ea pecunia legata non esset. Hoc ego loco, multisq; alijs quæro à vobis Scæuulæ pontifices maximi, & homines meo quidem iudicio acutissimi, quid sit, quod ad ius pontificium ciuile appetatis. ciuilis enim iuris scientia pontificium quodammodo tollitis. nam sacra cum pecunia pontificum auctoritate nulla lege coniuncta sunt: *itaque vsibus tantummodo pontificis esset, si pontificalis maneret autoritas. Sed quod idem iuris ciuilis est, spernitis, ac scientia illa eluditis. Placuit P. Scæuulæ, & Corũcanio pontificibus maximis, idemq; ceteris, qui tantumdem caperet, quãtum omnes heredes, sacris alligari. Habeo ius pontificium. Quid huc accessit ex iure ciuili? partitionis caput, scriptum cautè, vt centum numi deducerentur. Inuenta est ratio, cur pecunia sacrorum molestia liberaretur. * Quòd si hoc, qui testamentum faciebat, cauere noluisset, admonet iurisconsultus hic quidem ipse Mucius, pontifex idem, vt minus capiat, quàm omnibus heredibus relinquatur. *Super dicebant, quidquid cepisset, astringi. rursus sacris liberantur. Hoc

verò nihil ad pōtificium ius, & è medio est iure ciuili, vt per æs, & libram heredem testamenti soluāt, & eodem loco res sit quasi ea pecunia legata non esset, si is, cui legatum est, stipulatus est id ipsum, quod legatum est, vt ea pecunia ex stipulatione debeatur: *sitq; ea non *doctum hominem sanè: *cuius fuit Attius perfamiliaris: sed mensem credo extremum anni, vt veteres Februarium, sic hic Decembrem sequebatur. Hostia autem maxima parentare, pietatis esse adiunctum putabat. Iam tanta religio est sepulcrorum, vt extra sacra, & gentem inferri fas negent esse: idq; apud maiores nostros Torquatus in gente Popillia iudicauit. Nec veto tam Denicales, quæ à nece appellatæ sunt, *qua residūt mortui, quàm ceterorum cælestium quieti dies feriæ nominarētur, nisi maiores eos, qui ex hac vita migrassent, in deorum numero esse voluissent: *eas in eos dies conferre ius, vt neq; ipsius, neq; publicæ feriæ sint, totaq; huius iuris compositio pontificalis magnam religionem cæremoniamq; declarat. Neque necesse est edisseri à nobis, quæ finis funestæ familiæ, *quod genus sacrificij Lare veruecibus fiat, quemadmodum os reiectum terræ obtegatur, quæq; in porca* contracta iura sint, quo tempore incipiat sepulcrū esse, & religione teneatur. At mihi quidem antiquissimum sepulturæ genus id fuisse videtur, quo apud Xenophontem

phontem Cyrus vtitur: redditur enim terræ corpus, & ita locatum, ac situm, quasi operimento matris obducitur. eodemq; ritu in eo sepulcro *quod procul ad fontis aras, regem nostrū Numam conditum, accepimus: gentemq; Corneliā vsq; ad memoriam nostram hac sepultura scimus *esse humatam. C. Marij sitas reliquias apud Anienem dissipari iussit Sylla victor *acerbiore odio incitatus, quàm si tam sapiens fuisset, quàm fuit vehemens. quod haud scio an timens suo corpore posse accidere, primus è patritijs Cornelijs igni voluit cremari. declarat enim Ennius de Africano,

Hic est ille situs.

Verè. nam siti dicuntur ij, qui conditi sunt: nec tamen eorum antè sepulcrum est, quàm iusta facta, *& corpus incensum est. Et quod nunc cōmuniter in omnibus sepultis *penitus, humati dicantur: id erat proprium tum in ijs, quos humus iniecta contegeret: eumq; morem ius pontificale confirmat. nam priusquam in os iniecta gleba est, locus ille, vbi crematū est corpus, nihil habet religionis, iniecta gleba *tum & ille humatus est, & gleba vocatur: ac tū deniq; multa religiosa iura complectitur. Itaque in eo, qui in naui necatus, deinde in mare proiectus esset, decreuit P. Mucius familiam puram, *quòd os supra terram non exstaret, porcam hæredi esse. Contra censet habendas triduum ferias: &

porca

porco femina*piaculum pati : si in mari mortuus esset , eadem præter piaculum & ferias. ATT. Video quæ sint in pontificio iure, sed quæro, quidnam sit in legibus. M. Pauca sanè, Tite, &, vti arbitror, non ignota vobis: sed ea non tam ad religionem spectãt, quàm ad ius sepulcrorum. Hominem mortuũ, inquit lex in duodecim tabulis , in vrbe ne sepelito, néve vrito. Credo vel propter ignis periculum. Quod autem addit, néve vrito, indicat, non qui vratur sepeliri, sed qui humetur. ATT. *Quid, qui post duodecim in vrbe sepulti sunt? M. Claros viros credo Tite fuisse, aut eos, quibus hoc ante hanc legem virtutis causa tributum est, *vt Poplicolæ, vt Tuberto: quod eorum posteri iure tenuerunt, aut eos, si qui hoc, vt C. Fabricius, virtutis causa soluti legibus consecuti sunt. Sed in vrbe sepeliri lex vetat sic decretum à pontificum collegio, nõ esse ius in loco publico fieri sepulcrum. nostis extra portam Collinam ædem Honoris & aram in eo loco fuisse memoriæ proditum est: ad eam cùm lamina esset inuenta, & in ea scriptum, *Domina honoris: ea causa fuit ædis huius dedicandæ. Sed cùm multa in eo loco sepulcra fuissent, exarata sunt: statuit enim collegium, locum publicum non potuisse priuata religione obligari. Iam cetera in duodecim , Minuendi sunt sumptus, lamentationesq; funeris, translata de Solonis ferè legibus. Hoc plus, inquit,

quit, ne facito: rogum ascia ne polito. nostis quæ sequuntur. discebamus enim pueri duodecim vt carmẽ necessarium: quæ iam nemo discit. Extenuato igitur sumptu*tribus ricinijs, & vinculis purpuræ , & decem tibicinibus, tollit etiam lamentationẽ. Mulieres genas ne radunto, néve lessum funeris ergò habento. Hoc veteres interpretes, Sex. Aelius, L. Acilius non satis se intelligere dixerunt, sed suspicari vestimenti aliquod genus funebris; *L. Aelius lessum quasi lugubrem eiulationẽ, vt vox ipsa significat. quod eo magis iudico verum esse, quia lex Solonis id ipsum vetat. Hæc laudabilia, & locupletibus ferè cum plebe communia. quod quidem maximè è natura est: tolli fortunæ discrimen in morte. cetera item funebria, quibus luctus augetur, duodecim sustulerunt. Homini, inquit , mortuo ne ossa legito, quo post funus faciat. Excipit bellicam peregrinamq; mortẽ. Hæc præterea sunt in legibus de vnctura: quæ seruilis vnctura tollitur, omnisq; circumpotatio. Quæ & rectè tolluntur, neq; tollerẽtur, nisi fuissent, ne sumptuosa aspersio, ne longæ coronæ, nec acerræ præterearentur. Vlla iã significatio est, laudis ornamenta ad mortuos pertinere. quòd coronã virtute partam, & ei , qui periisset, & eius parenti sine fraude esse lex impositam iubet. credoq; quòd erat factitatum, vt vni plura fierẽt, lectiq; plures sternerẽtur. id quoq; ne fieret lege sancitum

est.

est.*quà in lege cum esset, Néve aurum addito, quàm humanè excipiat. Altera lex præcipit, altera lex vetat, vt cui auro dẽtes iuncti essent, astim cum illo sepeliretur: & ne se fraudi esto: & simul illud videtote,*aliud habitum esse sepelire & vrere. Duæ sunt præterea leges de sepulcris: quarum altera priuatorũ ædificijs, altera ipsis sepulcris cauet. Nam quòd rogum bustúmve nouum vetat propius sexaginta pedes adijci ædes alienas inuito domino, incendium veretur acerbum. Quòd autem forum, id est, vestibulum sepulcri bustúmve vsucapi vetat, tuetur ius sepulcrorum. Hæc habemus in duodecim sanè secundum naturam: quæ norma legis est. reliqua sunt in more: funus vt indicatur, si quid ludorum,*domus ú; funeris vtatur accenso, atq; lictoribus: honoratorum virorum laudes in concione*memorantur, eásque etiam ad cantus ad tibicinem prosequuntor. cui nomen Næniæ; quo vocabulo etiam*Græci cantus lugubres nominant. Q. Gaudeo nostra iura ad naturam accommodari, maiorumq; sapientia admodum delector. M. Sed credo Quincte, vt ceteros sumptus, sic etiam sepulcrorum modum rectè requiri. quos enim ad sumptus progressa iam ista res sit, in C. Figuli sepulcro vides. Sed credo minimam olim istius rei fuisse cupiditatem, alioquin multa exstarent exẽpla maiorum. Nostræ quidem legis interpretes, quo

quo capite iubentur sumptus, & luctum remouere à deorum manium iure, hoc intelligunt, in primis sepulcrorum magnificentiam esse minuendam. Nec hæc à sapientissimis legum scriptoribus neglecta sunt. nam & Athenis iam ille mos à Cecrope, vt aiunt, permansit,*corpus terra humandi: *quam cùm proximi fecerant, obducta q; terra erat, frugibus obserebatur, vt sinus, & gremium quasi matris mortuo tribueretur: solum autem frugibus expiatum, vt viuis redderetur. Sequebantur epulæ, quas mibãt*patrẽtes coronati: apud quas de mortui laude, cùm quid veri erat prædicatum: nam mentiri nefas habebatur:*ad iusta coniecta erant. Postea quam, vt scribit Phalereus, sumptuosa fieri funera, & lamentabilia cæpissẽt, Solonis lege sublata sunt. quã legem eisdem propè verbis*nostri viri in decimam tabulam coniecerunt. nam de tribus ricinijs, & pleraq; illa Solonis sunt. de lamentis verò expressa verbis sunt. Mulieres genas ne radunto, nẽve lessum funeris ergò habẽto. De sepulcris autem nihil est apud Solonem amplius, quàm ne quis ea deleat, néve alienum inferat: pœnaq; est, siquis bustum (nam id puto appellari tymbon) aut monumentum, inquit, aut columnam violarit, deiecerit, fregerit. Sed pòst aliquanto, propter has amplitudines sepulcrorum, quas in Ceramico videmus, lege sanctum est, nequis sepulcrum faceret operosius, quàm

quàm quod decem homines effecerint triduo. neq; id opere tectorio exornari, nec, Hermas quos vocant, licebat imponi: nec de mortui laude, nisi in publicis sepulturis, nec ab alio, nisi qui publicè ad eam rem constitutus esset, dici licebat. Sublata etiam erat celebritas virorum & mulierum, quo lamentatio minueretur: habet enim luctum concursus hominum. quocirca Pittacus omnino accedere quemquam vetat in funus aliorum. Sed ait rursus idem Demetrius increbruisse eam funerum, sepulcrorumq; magnificentiam, quæ nunc ferè Romæ est: quam consuetudinem lege minuit ipse: fuit enim hic vir, vt scitis, non solùm eruditissimus, sed etiam *ciuis rei. maxime, tuendæq; ciuitatis peritissimus. Iste igitur sumptus minuit non solùm pœna, sed etiam tempore: ante lucem enim iussit efferri. Sepulcris autem nouis finiuit modum. nam super terræ tumulum noluit quid statui, nisi columellam tribus cubitis non altiorem, aut mensam, aut labellum: & huic procurationi certum magistratum præfecerat. Hæc igitur Athenienses tui. Sed videamus Platonem, qui iusta funerum reijcit ad interpretes religionum: quem nos morem tenemus. De sepulcris autem dicit hæc: Vetat ex agro culto, eóve, qui colipossit, vllam partem sumi sepulcro: sed quæ natura agri tantummodo efficere possit, vt mortuorum corpora sine detrimento viuorum recipiat, ea potissimum vt compleatur: quæ autem terra fruges ferre, & vt mater cibos suppeditare possit, eam ne quis nobis minuat nêve viuis, nêve mortuis. Extrui autem vetat sepulcrum altius, quàm quod quinque diebus absoluerint, nec è lapide excitari plus, nec imponi, quã quod capiat laudem mortui incisam quattuor heroicis versibus: quos longos appellat Ennius. Habemus igitur huius quoq; auctoritatem summi viri de sepulcris: à quo iterum funerum sumptus præfinitur ex cẽsibus à minis quinque vsq; ad minam. Deinceps dicit eadem illa de immortalitate animorum, & reliqua post mortem tranquillitate bonorum, pœnis impiorum. Habetis igitur explicatũ omnem, vt arbitror, religionis locum. Q. Nos verò frater, & copiosè quidem: sed perge ad cetera. M. Pergam equidem: & quoniam libitum est vobis me ad hæc impellere, hodierno sermone conficiam spero, hoc præsertim die: video enim Platonem idem fecisse, omnemq; orationem eius de legibus peroratam esse vno æstiuo die. Sic igitur faciam, & dicam de magistratibus: id est enim profecto, quod constituta religione remp. contineat maxime. ATT. Tu verò dic, & istam rationem, quam cœpisti, tene.

M. T. CICERONIS
DE LEGIBVS
LIBER III.

MARCVS.

SEQVAR igitur, vt instituí, diuinum illum virum: quem quadam admiratione commotus sæpius fortasse laudo, quàm necesse est. ATT. Platonem videlicet dicis. M. Istum ipsum Attice. ATT. Tu verò eũ nec nimis valde vmquã, nec nimis sæpe laudaueris: nam hoc mihi etiam nostri illi, qui neminem nisi suum laudari volunt, concedunt, vt eum arbitratu meo diligã. M. Bene Hercle faciunt: quid enim est elegantia tua dignius? cuius & vita, & oratio consecuta mihi videtur difficillimam illam societatem grauitatis cum humanitate. ATT. Sanè gaudeo, quòd te interpellaui, quandoquidem tam præclarum mihi dedisti iudicij tui testimonium. sed perge, vt cœperas. M. Laudemus igitur prius legem ipsam veris, & proprijs generis sui laudibus. ATT. Sanè quidem, sicut de religionum lege fecisti. M. Videtis igitur, magistratus hanc esse vim, vt præsit, præscribatq; recta, & vtilia, & coniuncta cum legibus? Vt enim magistratibus leges, ita populo præsunt magistratus: vereq; dici potest, magistratum legem esse loquentem; legem autem mutum

mutam magistratum. Nihil porrò tam aptum est ad ius, conditionẽq; naturæ: *quod cùm dico legem, à me dici nihil aliud intelligi volo, quàm imperium: sine quo nec domus vlla, nec ciuitas, nec gens, nec hominum vniuersum genus stare, nec rerũ natura omnis, nec ipse mundus potest. nam & hic deo paret, & huic obediunt maria terræq;, & hominum vita iussis supremæ legis obtemperat. Atque, vt ad citeriora veniam & notiora nobis, omnes antiquæ gentes regibus quondam paruerunt. quod genus imperij primùm ad homines iustissimos, & sapientissimos deferebatur. idq; in repub. nostra maximè valuit, quoad ei regalis potestas præfuit. Deinde etiam deinceps posteris prodebatur: quod & in his etiam, qui nunc regnant, manet. Quibus autem regia potestas non placuit, non ij nemini, sed non semper vni parere voluerunt. Nos autem, quoniã leges damus liberis populis: quæq; de optima rep. sentiremus, in sex libris antè diximus: accommodabimus hoc tempore leges ad illum, quem probamus, ciuitatis statum. Magistratibus igitur opus est: sine quorum prudentia ac diligentia esse ciuitas nõ potest. quorũ descriptione omnis reip. moderatio continetur. Neq; solùm ijs præscribendus est imperandi, sed etiã ciuibus obtemperandi modus. nam & qui bene imperat, paruerit aliquando necesse est: & qui modestè paret, videtur, qui aliquando

imperet, dignus esse. Itaq; oportet & eum, qui paret, sperare se aliquo tempore imperaturum: & illum, qui imperat, cogitare breui tempore sibi esse parendum. Nec verò solùm vt obtemperent, obediantq; magistratibus, sed etiam vt eos colant, diligantq;, præscribimus: vt Charondas in suis facit legibus. Noster verò Plato Titanum è genere statuit eos, qui vt illi cælestibus, sic hi aduersentur magistratibus. Quæ cùm ita sint, ad ipsas iam leges veniamus, si placet. ATT. Mihi verò & istud, & ordo iste rerum placet. M. Iusta imperia sunto, ijsq; ciues modestè, ac sine recusatione parento. Magistratus nec obedientem, & noxium ciuem multa, vinculis, verberibusq; coërcento, ni par, maiórve potestas, populusve prohibessit, ad quos prouocatio esto. Cùm magistratus iudicassit, interrogassit ve, per populum multæ pœnæ certatio esto. Militiæ ab eo, qui imperabit, prouocatio ne esto: quodq; is, qui bellum geret, imperassit, ius ratúmq; esto. Minores magistratus periti iuris *plures in prælia sunto. Militiæ quibus iussi erunt imperanto, eorumq; tribuni sunto. Domi pecuniam publicam custodiunto. Vincula sontium seruato. Capitalia vindicanto. Aes, argentum, aurum ve publicè signanto. lites contractas iudicanto. quodcumque senatus creuerit, agunto. Suntoq; Aediles curatores vrbis, annonæ, ludorumq; solennium: olliq; ad honoris ampl

amplioris gradum, is primus ascensus esto. Censores, populi æuitates, soboles, familias, pecuniasq; censento. Vrbis templa, vias, aquas, ærarium, vectigalia tuento: populiq; partes in tribus distribuunto. exin pecunias, æuitates, ordines partiunto. equitum, peditumq; prolem describunto. cælibes esse prohibento. mores populi regunto. probrum in senatu ne relinquunto. bini sunto. magistratum quinquennium habento. reliqui magistratus annui sunto: eaq; potestas semper esto. Iuris disceptator, qui priuata iudicet, iudicari ve iubeat, prætor esto: is iuris ciuilis custos esto: huic potestati parento. Quotcumq; Senatus creuerit, populus ve iusserit, tot sunto. Regio imperio duo sunto: ijq; præeundo, iudicando, consulendo, prætores, iudices, consules appellanto. Militiæ summum ius habento: nemini parento. *Salus populi suprema lex esto. eundem magistratum, ni interfuerint x. anni, nequis capito. Aeuitatē annali lege seruato. Ast quando duellum grauius, *discordiæ ciuiū estuato ne amplius sex menses, si Senatus creuerit: idem iuris, quod duo consules, tenunto: iúq; aue sinistra dictus, populi magister esto. *Aequitatem quicumq; regat habeto pari iure cum eo, quicumque erit iuris disceptator. * Ast quando consulis est magistratúsve populi, nec reliqui magistratúsve sunto. Auspicia patrum sunto: olliq; ex se produnto, qui comitijs creare Con-

sules rite posſint. Imperia, potestates, legationes cũ senatus creuerit, populus ve iusserit, ex vrbe exeunto: duella iusta iustè gerũto: socijs parcũto: se, & seruos cõtinento: populi sui gloriã augento: domum cum laude redeunto: rei suæ ergo ne quis legatus esto. Plebes quos pro se contra vim auxiliũ ergo decem creaßit, tribuni eius sunto: quod q; ij prohibeßint, quodq; plebẽ rogaßint, ratũ esto sanctiq; sunto: néve plebem orbã tribunis relinquunto. Omnes magistratus auspiciũ, iudiciumq; habẽto: eq; his senatus esto: eius decreta rata sunto. Aſt ni potestas par, maior've prohibeßit; S.C. perſcripta seruãto. is ordo vitio vacato: cæteris specimẽ esto. Creatio magistratuũ, iudicia, populi iussa, vetita* cum suffragio cõsciscentur, optimatibus nota, plebi libera sunto. at si quid erit, quod extra magistratus* cohærario æsußit, qui cohæret, populus creato, eiq; ius cohærendi dato. Cum populo, patribusq; agendi ius esto consuli, prætori, magistro populi, equitumq; , eiq; quem produnt patres consulũ rogandorũ ergo: tribunisq;, quos sibi plebs rogaßit, ius esto cũ patribus agendi: idem ad plebẽ, *quod census erit, ferunto. Quæ cum populo, quæ cum patribus agentur, modica sunto.* Senatori, qui nec aderit, aut causſa, aut culpa esto. loco senator, & modo orato. causſas populi teneto. Vis in populo abesto. Par maior've potestas plus valeto. aſt qui turbaßitur in agẽ do, fraus

do, fraus* actoris esto. Interceſſor rei malæ salutaris ciuis esto. Qui agẽt, auſpicia seruãto: augurio publico parẽto: promulgata, propoſita, in ærario cognita, agunto: nec plus, quàm de singulis rebus semel consulunto: rem populum docento: doceri à magistratibus priuatiq; patiuntor. Priuilegia ne irroganto de capite ciuis, niſi per maximum* comitiatum, ollosq; quos censores in partibus populi locaßint, ne ferũto. Doniũ ne capiunto, néve danto, néve petenda, néve gerẽda, néve gesta potestate. quod quis earum rerum migraßit, noxiæ pœna par esto. Censores fide legem custodiunto.* Priuata ad eos acta referũto: nec eo magis lege liberi sunto.* Lex recitata est,* discere rẽ, & tabellam iubebo dari. Q. quàm breui frater in cõſpectu poſita est à te omnium magistratuum deſcriptio! ſed ea pænè noſtræ ciuitatis: etſi à te paullulum allatum est noui. M. Rectiſſimè Quincte animaduertis: hæc est enim, quam Scipio laudat* in libris, & quã maximè probat temperationẽ reip. quæ effici non potuiſſet, niſi tali deſcriptione magistratuum. nam ſic habetote, magistratibus, ijsq;, qui præſunt, contineri rempub. & ex eorum compoſitione, quod cuiusq; in repub. genus sit, intelligi. Quæ res, cùm ſapientiſſimè, moderatiſſimeq; conſtituta eſſet à maioribus noſtris, nihil habui sanè, nõ modò multum, quod putarem nouandum in legibus. A T T. Reddes igitur nobis,

vt in religionis lege fecisti admonitu, & rogatu meo, sic de magistratibus, vt disputes, quibus de causis maximè placeat ista descriptio. M. Faciam, Attice, vt vis, & locum istum totum, vt à doctissimis Græciæ quæsitum, & disputatum est, explicabo: & vt institui, nostra iura attingam. ATT. Istud maximè exspecto disserendi genus. M. Atqui pleraque sunt dicta in illis libris, quod faciundum fuit, cùm de optima repub. quæreretur. sed huius loci de magistratibus sunt propria quædã, à Theophrasto primùm, deinde à Dione Stoico quæsita subtiliùs. ATT. Ain' tandem? etiam à Stoicis ista tractata sunt? M. Non sanè, nisi ab eo, quem modò nominaui; & postea à magno homine, & in primis erudito, Panætio. nam veteres verbo tenus, acutè illi quidem, sed nõ ad hunc vsum popularem, atq; ciuilem, de repub. disserebãt.* ab hac familia magis ista manarũt Platone principe. pòst Aristoteles illustrauit omnem hunc ciuilem in disputando locum, Heraclidesq; Ponticus profectus ab eodem Platone, Theophrastus verò institutus ab Aristotele habitauit, vt scitis, in eo genere rerum: ab eodemq; Aristotele doctus Dicæarchus huic rationi studioq; non defuit. pòst à Theophrasto Phalereus ille Demetrius, de quo feci suprà mentionem, mirabiliter doctrinã ex vmbraculis eruditorum, otioq; non modò in solem, atq; puluerem, sed in ipsum

ipsum discrimen, aciemq;* perduxit. nam et mediocriter doctos, magnos in repub. viros, et doctissimos homines non nimis in rep. versatos multos cõmemorare possumus, qui vero vtraq; re excelleret, vt & doctrinæ studijs, & regẽdæ ciuitate princeps esset, quis facilè præter hunc inueniri potest? ATT. Puto posse, & quidem aliquem de tribus nobis. sed perge, vt cæperas. M. Quæsitum igitur ab illis est, placerétne vnum in ciuitate esse magistratum, cui reliqui parerent: quod exactis Regibus intelligo placuisse nostris maioribus. sed quoniam regale ciuitatis genus probatum quondam, postea non tam regni, quàm regis vitijs repudiatum est, nomen tãtum videbitur regis repudiatum; res manebit, si vnus omnibus reliquis magistratibus imperabit. Quare nec Ephori Lacedæmone sine caussa à Theopompo oppositi regibus, nec apud nos consulibus tribuni. nam illud quidem ipsum, quod in iure positum est, habet consul, vt ei reliqui magistratus omnes pareant excepto tribuno;* qui pòst exstitit, ne id, quod fuerat, esset: hoc enim primum minuit consulare ius, quòd exstitit ipse, qui eo nõ teneretur: deinde quòd attulit auxilium reliquis nõ modò magistratibus, sed etiam priuatis, consuli non parentibus. Q. Magnum dicis malum. nam, ista potestate nata, grauitas optimatum cecidit, conualuitq; ius multitudinis. M. Non est

ita Quincte: non enim ius illud solùm superbius populo, sed violentius videri necesse erat quòd posteaquam modica & sapiens temperatio accessit, conuersa lex in omnes est.

Multa desunt.

Domum cum laude redeunto: nihil enim præter laudem bonis, atque innocentibus, neque ex hostibus, neq; à socijs reportandum. Iam illud apertum profectò est, nihil esse turpius, quàm quëquam legari nisi reip. caussa. omitto, quemadmodum isti se gerant, atq; gesserint, qui legatione hereditates, aut syngraphas suas persequuntur. in hominibus est hoc fortasse vitium. sed quæro, quid *reapse sit turpius, quàm sine procuratione senator; legatus sine mandatis, sine vllo reipub. munere. Quod quidem genus legationis ego consul, quamquam ad commodum senatus pertinere videatur, tamen approbante senatu frequentissimo, nisi mihi leuissimus tribunus pl. intercessisset, sustulissem: tamen minus tempus, &, quod erat infinitum, annuũ feci. Ita turpitudo manet, diuturnitate sublata. Sed iam, si placet, de prouincijs decedatur, in vrbemq; redeatur. A. Nobis verò placet: sed ijs, qui in prouincijs sunt, minime placet. M. At vero, Tite, si parcat his legib⁹, nihil erit his vrbe, nihil domo sua dulci⁹, nec laboriosius, mole

molestiusq; prouincia. Sed sequitur lex, quæ sancit eam tribunorum pl. potestatem, quæ in repub.*nostra: de qua differi nihil necesse est. Q. At mehercule ego frater quæro, de ista potestate quid sentias. nam mihi quidem pestifera videtur, quippe quæ in seditione, & ad seditionem nata sit. cuius primum ortum, si recordari volumus, inter arma ciuium et occupatis, & obsesßu vrbis locis procreatum videmus. deinde cùm esset*cito legatus tamquam ex XII. tabulis, insignis ad deformitatem puer breui tẽpore nescio quo pacto*creatus, multoq; tetrior, & fœdior natus est. Quem enim ille nõ edidit? qui primùm, vt impio dignum fuit, patribus omnem honorem eripuit, omnia infima summis paria fecit, turbauit, miscuit: cùm afflixisset principum grauitatem, numquam tamen conquieuit? atq; vt C. Flaminium, atq; ea, quæ prisca sunt, relinquam, quid iuris bonis viris T. Gracchi tribunatus reliquit? etsi quinquennio ante D. Brutum, & P. Scipionẽ cõsules (quos, & quãtos viros) homo omnium infimus, & sordidissimus tribunus pl. C. Curiatius in vincula comecit: quod antè factũ nõ erat. C. verò Gracchus ruinis, & *emissicijs, quas ipse se proiecisse in forum dixit, quibus digladiarentur inter se ciues, nõne omnem reipub. statum permutauit? Quid iam de Saturnini supplicio, relis quinq; dicam? quos ne depellere quidẽ à se sine

fur

ferro potuit respub. cur autem aut vetera, aut aliena proferamus potius, quàm & nostra, & recentia? quis vnquam tam audax, tam inimicus nobis fuisset, vt cogitaret vmquã de statu nostro labefactando, nisi mucronem aliquem tribunitium exacuisset in nos? quẽ cùm homines scelerati, ac perditi non modò vlla in domo, sed nulla in gẽte reperirent, gentes sibi in tenebris reipub. perturbandas putauerũt. quod nobis quidem egregium, & ad immortalitatem memoriæ glorioſum, neminem in nos mercede vlla tribunum potuisse reperiri, nisi cui ne esse quidem licuisset tribuno sed ille quas strages edidit? eas videlicet, quas sine vlla spe bona furor edere potuit impuræ belluæ multorum inflãmatus furoribus. Quamobrem in ista quidem re vehementer Syllam probo, qui tribunis pl. sua lege iniuriæ faciendæ potestatem ademerit. auxilium ferendi reliquerit: Pompeiumq; nostrum ceteris rebus omnibus, semper amplissimis, summisq; effero laudibus: de tribunitia potestate taceo: nec enim reprehendere libet, nec laudare possum. M. Vitia quidẽ tribunatus præclare Quinctẽ perspicũ. sed est iniqua in omni re accusanda prætermissis bonis, malorum enumeratio, vitiorumq; selectio. nam isto quidem modo vel consulatus vituperabilis est, si cõsulũ, quos enumerare nolo, peccata collegeris. Ego enim fateor in

ista ipsa potestate inesse quiddam mali. sed bonum, quod est quæsitum in ea sine isto malo non haberemus. Nimia potestas est tribunorum pl. quis negat? sed vt populi multo sæuior, multoq; vehementior: quæ ducem quòd habet, interdum lenior est, quàm si nullum haberet. dux enim suo periculo progredi cogitat, populi impetus periculi rationem sui non habet. At aliquando incẽditur: et quidem sæpe sedatur: quod enim est tam desperatum collegiũ, in quo nemo è decem sana mente sit? quin per ipsum Tib. Gracchum* non solùm vetitus, sed etiam sublatus intercessor fuerat: quid enim illi aliud perculit, nisi quòd potestatem intercedendi collegæ abrogauit?* Sed tu sapientia maiore nihilo vide. concessa plebi à patribus ista potestate arma ceciderunt: restincta seditio est: inuentum est temperamentum, quo tenuiores cum principibus æquari se putarint: in quo vno fuit ciuitatis salus. At duo Gracchi fuerunt. Et præter eos quãuis enumeres multos licet, cùm dentes crearentur,* nullos in omni memoria reperies pernicioſos tribunos: leues, & non bonos fortasse plures. inuidia quidem summus ordo caret: plebs de suo iure periculosas contentiones nullas facit. Quamobrem aut exigẽdi reges non fuerunt, aut plebi re, non verbo danda libertas: quæ tamẽ sic data est,* vt multis præclarissimis addiceretur, vt auctoritati principũ cedeꝛ

cederet. Nostra autem causſa, quæ optime, & dulciſſime frater incidit in tribunitiam poteſtatem, nihil habuit contentionis cum Tribunatu: non enim plebs incitata noſtris rebus inuidit: ſed vincula ſoluta ſunt, & ſeruitia incitata adiuncto terrore etiam militari. neque nobis cum illa tum peſte certamen fuit, ſed cum grauiſſimo reipublicæ tempore: cui ſi non occiſſem, non diuturnum beneficij mei patria fructum tuliſſet. atque hoc rei exitus indicauit. quis enim non modò liber, ſed etiam ſeruus libertate dignus fuit, cui noſtra ſalus cara non eſſet? Quòd ſi is caſus fuiſſet rerum, quas pro ſalute reipub. geſſimus, vt non omnibus gratus eſſet: * & ſi nos multitudinis furentis inflammata inuidia pepuliſſet tribunitia: quis in me populum, ſicut Gracchus in Lenatē, Saturninus in Metellum, incitaſſet, ferremus ò Quincte frater: cōſolarenturq; nos non tam philoſophi, qui Athenis fuerunt, qui hoc facere debent, quàm clariſſimi viri, qui illa vrbe pulſi carere ingrata ciuitate, quàm manere in improba maluerunt. Pompeium verò quod vna iſta in re non ita valde probas, vix ſatis mihi illud videris attendere, non ſolùm eis quid eſſet optimum, videndum fuiſſe, ſed etiam quid neceſſarium: ſenſit enim deberi non poſſe huic ciuitati illam poteſtatem. quippe quam tantopere populus noſter ignotam expetiſſet, qui

qui poſſet carere cognita? ſapientis autem ciuis fuit, cauſſam nec perniciosam, & ita popularem, vt non poſſet obſiſti, perniciosè populari ciui non relinquere. Scis ſolere, frater, in huiuſmodi ſermone, vt trāſiri aliò poſſit, admodum, dici. A T T. Prorſus ita eſt. Q. Haud equidē aſſentior: tu tamen ad reliqua pergas velim. M. Perſeueras tu quidē, & in tua vetere ſententia permanes. *Q. Non mehercule. A T T. Ego ſanè à Quincto noſtro diſſentio, ſed ea, quæ reſtant, audiamus. M. Deinceps igitur omnibus magiſtratibus auſpicia, & iudicia dantur: iudicia, vt eſſet populi poteſtas, ad quam prouocaretur: auſpicia, vt multos inutiles *comitiat' probabiles impedirēt moræ: ſæpe enim populi impetū iniuſtum auſpicijs dij immortales repreſſerunt: ex ijs autem, qui magiſtratū ceperunt, *quod ſenatus cōſulto efficitur, popularem ſanè neminem in ſummum locum, niſi per populum venire, ſublata cooptatione cenſoria. Sed præſto eſt huius vitij tēperatio, quòd ſenatus lege noſtra cōfirmatur auctoritas: ſequitur enim, Eius decreta rata ſunto. nā ita ſe res habet, vt, ſi ſenatus dominus ſit publici conſilij, quodq; is creuerit, defendant omnes, & ſi ordines reliqui principi ordinis conſilio rempublicā gubernari velint, poſſit ex temperatione iuris, cui poteſtas in populo, auctoritas in ſenatu ſit, teneri ille moderatus, & concors ciuitatis ſtatus, præſertim

ſi prox

si proximè legi parebitur. nam proximum est Is ordo vitio careto, ceteris specimen esto. Q. *Præclara verò frater ista lex: sed & altera, vt & vitio careat ordo, & vt censorē quærat interpretem. A T T. Ille verò, etsi tuus totus est ordo, gratissimamq; memoriam retinet consulatus tui: pace tua dixerim, non modò censores, sed etiam iudices omnes potest defatigare. M. Omitte ista Attice: non enim de hoc senatu, nec his de hominibus, qui nunc sunt, sed de futuris, si qui fortè his legibus parere voluerint, hæc habetur oratio: nam cùm omni vitio carere lex iubeat, ne veniet quidem in eum ordinem quisquam vitij particeps. Id autem difficile factu est, nisi educatione quadam, et disciplina, de qua dicemus aliquid fortasse, si quid fuerit loci, aut temporis. A T T. Locus certè non deerit, quoniam tenes ordinem legum: tempus verò largitur longitudo diei. Ego autem, etiam si præterieris, repetam à te istum de educatione & de disciplina locum. M. Tu verò & istum Attice, *& si quem aliū. Ceteris specimen esto quòd sic tenemus omnia.* Vt cum cupiditatibus principū, & vitijs inficiendi solet tota ciuitas: sic emēdari & corrigi continētia. Vir magnus & nobis omnibus amicus, L. Lucullus ferebatur quā commodissimè respondisse, cū esset obiecta magnificētia villæ Tusculanæ, duos se habere vicinos, superiorem equitem R. inferiorem libertinū: quorū cū essent magnificæ villæ, concedi sibi oportere, quod ijs, qui tenuioris ordinis essent, liceret. Nónne vides Luculle à te id ipsum natum, vt illi cuperent? quibus id, si tu non faceres, non liceret. quis enim ferret istos, cùm videret eorum villas signis, & tabulis refertas partim publicis, partim etiam sacris, & religiosis? quis non frangeret eorū libidines, nisi illi ipsi, *qui eas frangere deberent; cupiditatis eiusdē tenerentur? nec enim tantū mali est peccare principes (quamquam est hoc magnum per seipsum malum) quantum illud, quòd permulti imitatores principum exsistunt. nam licet videre, si velis replicare memoriam temporum, quales cumq; summi ciuitatis viri fuerūt, talem ciuitatem fuisse: quæcumq; mutatio morum in principibus exstiterit, eandem in populo* secuturam. idq; haud paullo est verius, quàm quod Platoni nostro placet, qui musicorum cantibus ait mutatis, mutari ciuitatum status. ego autem, nobilium vita, victuq; mutato, mores mutari ciuitatum puto. quo perniciosius de republica merentur vitiosi principes, quod non solum vitia concipiunt ipsi, sed ea infundunt in ciuitatem: neq; solùm obsunt, quòd ipsi corrūpuntur, sed etiam quòd corrumpunt, plusq; exemplo quàm peccato nocent. Atq; hæc lex dilatata in ordinem cunctum coangustari etiam potest: pauci enim atque admodum pauci, honore &

gloria amplificati, vel corrumpere mores ciuitatis, vel corrigere possunt. Sed hæc & nunc satis, & in alijs libris tractata sunt diligentius: quare ad reliqua veniamus. Proximus autem est de suffragijs: quæ iubeo nota esse optimatibus, populo libera. ATT. Ita mehercule attĕdi, nec satis intellexi, quid sibi lex, aut quid verba ista vellent. M. Dicam Attice, & versabor in re difficili, ac multũ & sæpe quæsita: suffragia in magistratu mandando, aut de reo iudicando *quin in lege aut in rogatione clàm, an palàm ferre, melius esset. Q. An etiam id dubium est? vereor ne à te rursus dissentiam. M. Non facies Quincte. nam ego in ista sum sententia, quæ te fuisse semper scio, nihil vt fuerit in suffragijs voce melius. sed obtineri an possit, videndũ est. Q. Bona tua venia dixerim, ista sententia maxime & fallit imperitos, & obest sæpissime reip. cùm aliquid verum, & rectum esse dicitur, sed obtineri, id est, obsisti posse populo, negatur: primùm enim obsistitur, cùm agitur seuere: deinde vi opprimi in bona causa, est melius, quàm male cedere. Quis autem non sentit auctoritatem omnem optimatium tabellariam legem abstulisse? quam populus liber numquam desiderauit; idem oppressus dominatu, ac potentia principum flagitauit. itaq; grauiora iudicia de potentissimis hominibus extant vocis, quàm tabellæ. Quamobrem suffragandi nimia

nimia libido in non bonis caussis eripienda fuit potentibus, non latebra danda populo, in qua, bonis ignorãtibus quid quisq; sentiret, tabella vitiosum occultaret suffragiũ. Itaq; isti *rationi neq; lator quisquam est inuentus, neq; autor vmquã bonus. sunt enim quattuor leges tabellariæ: quarum prima de magistratibus mandandis: ea est Gabinia, lata ab homine ignoto, & sordido. secuta biĕnio pòst Cassia est de populi iudicio: ea à nobili homine lata est L. Cassio, sed, pace familiæ dixerim, dissidente à bonis, atque omnes rumusculos populari ratione aucupante. Carbonis est tertia de iubendis legibus, ac vetandis, seditiosi atque improbi ciuis: cui ne reditus quidem ad bonos salutem à bonis potuit afferre. Vno in genere relinqui videbatur vocis suffragiũ, quod ipse Cassius exceperat, perduellionis. dedit huic quoq; iudicio Cælius tabellã, doluitq; quoad vixit. sed vt opprimeret Cælius populum, nocuit & reip. & auus quidĕ noster singulari virtute in hoc municipio, quoad vixit, restitit M. Gratidio, cuius in matrimonio sororĕ auiam nostram habebat, ferenti legem tabellariam: excitabat enim *fluctus in simpulo, vt dicitur, Gratidius, quos pòst filius eius in Aegæo excitauit mari. * Ac nostro quidem, cùm res esset ad se delata Scaurus consul, Vtinam inquit, M. Cicero isto animo, atq; virtute in summa rep. nobiscum versari,

quàm in municipali maluisses. quamobrem, quoniam non recognoscimus nunc leges pop. R. sed aut repetimus ereptas, aut nouas scribimus, nõ quid ab hoc populo obtineri possit, sed quid optimum sit, tibi dicendum puto. nam Cassiæ legis culpam Scipio tuus sustinet, quo auctore lata esse dicitur. tu, si tabellariam tuleris, ipse præstabis: nec enim mihi placet, nec Attico nostro, quantum è vultu eius intelligo. ATT. Mihi verò nihil vmquam populare placuit: eamq; optimam rempub. esse duco, quam hic consul constituerat, quæ sit in potestate optimorum. M. Vos demum, vt video, legem antiquastis sine tabella: sed ego, etsi satis dixit pro se in illis libris Scipio, tamen libertatem istam largior populo, vt & auctoritate valeant, & vtantur bonis. sic enim à me lex est recitata de suffragijs. Optimatibus nota, plebi libera sunto. quæ lex hanc sententiam continet, vt omnes leges tollat, quæ postea latæ sunt, quæ tegunt omni ratione suffragium, ne quis inspiciat tabellam, ne roget, ne appellet. pontes etiam lex Maria fecit angustos. quæ si oppositæ sunt ambitiosis, vt sunt ferè, nõ reprehendo: sin valuerint tamen leges, vt ne sint ambitus: habeat sanè populus tabellam, quasi vindicem libertatis, dummodo hæc optimo cuiq;, & grauissimo ciui ostendatur, vltroq; offeratur; vti sit ipsa libertas, in qua populo potestas honestè bonis

bonis gratificandi datur. Eoq; nunc sit illud, quod à te modò Quincte dictum est, vt minus multos tabella condemnet, quàm solebat vox, quia populo licere satis est hoc retento, reliqua volũtas auctoritati, aut gratiæ traditur. Itaq;, vt omittam largitione corrupta suffragia, non vides, si quando ambitus sileat, quæri in suffragijs, quid optimi viri sentiant? Quamobrem lege nostra libertatis species datur, bonorum auctoritas retinetur, cõtẽtionis caussa tollitur. Deinde sequitur: Quibus ius sit cum populo agendi, aut cum senatu. Grauis, &, vt arbitror, præclara lex. Quæ cum patribus agentur, modica sunto: id est modesta, atq; sedata: *auctor enim moderatur, & effingit nõ modò mentẽ, ac voluntates, sed pænè vultus eorum, apud quos agit. quòd si in senatu nõ difficile est: est enim ipse senator is, cuius nõ ad auctorẽ referatur animus, sed qui per se ipse spectari velit. huic iussa tria sunt: vt adsit, nam grauitatem res habet, cùm frequens ordo est: vt loco dicat, id est rogatus: vt modo, ne sit infinitus. nã breuitas non modò senatoris, sed etiam oratoris magna laus est in sentẽtia, nec est vmquam longa oratione vtendum, nisi aut spectante senatu, quod fit, ambitione sæpissimè, nullo magistratu adiuuante, tolli diem vtile est: aut cùm tanta caussa est, vt opus sit oratoris copia vel ad hortandum, vel ad docendum, quorum generum in vtroq; ma-

gnus noster Cato est. quodq; addit, Caussas populi teneto, est senatori necessarium nosse rempid; late patet, quid habeat militum, quid valeat ærario, quos socios resp. habeat, quos amicos, quos stipendiarios, qua quisq; sit lege, condi tione, fœdere, tenere cõsuetudinem decernendi, nosse exempla maiorum. Videtis iam genus hoc omne scientiæ, diligẽtiæ, *memoriæ esse: sine quo paratus esse senator nullo pacto potest. Deinceps sunt cum populo actiones, in quibus primũ & maximum, Vis abesto: nihil est enim exitiosius ciuitatibus, nihil tam contrarium iuri, & legibus, nihil minus ciuile & humanũ, quàm, composita, & constituta rep. quidquã agi per vim. Parere iubet intercessori, quo nihil præstãtius: impediri enim bonam rem melius, quã concedi malæ. Quòd verò actoris iubeo abesse fraudem, id totum dixi ex Crassi sapientissimi hominis sententia: quam Senatus est secutus, cùm decreuisset, C. Claudio cõsule de C. Carbonis seditione referente, eo inuito, qui cum populo ageret, seditionem non posse fieri: quippe cui liceat consilium, simul atq; intercessum turbariq; cœptũ sit, dimittere. quod qui permouet cùm agi nihil potest, vim quærit, cuius impunitatem amittit hac lege. sequitur illud, Intercessor rei malæ salutaris ciuis esto. Quis nõ studiosè reip. subuenerit, hac tam præclara legis voce laudatus? Sunt deinde posita deinceps, quæ habemus etiam in publicis

publicis institutis, ac legibus, Auspicia seruanto: auguri parento. est autem boni auguris meminisse, maximis *reip. temporibus præsto esse debere, Iouiq; optimo maximo se consiliarium, atq; administrũ datum, vt sibi eos, quos in auspicio esse iusserit, caliq; partes sibi definitas esse traditas, * è quibus sæpe opem reip. ferre possit. deinde de promulgatione, de singulis rebus agendis, de priuatis, magistratibus ve audiendis. tum leges præclarissimæ de XII. tabulis translatæ duæ: quarum altera priuilegia tollit, altera de capite ciuis rogari, nisi maximo comitiatu, vetat, *nondũ initis seditiosis tribunis plebis: negocialis quidem. admirandum tantum maiores in posterum prouidisse. in priuatos homines leges ferri noluerunt: id est enim priuilegium: quo quid est iniustius? cùm legis hæc vis sit, *scitum est iussum in omnes, ferri de singulis nisi centuriatis comitijs noluerunt: descriptus enim populus censu, ordinibus, ætatibus, plus adhibet ad suffragium auxilij, quàm fusè in tribus conuocatus. quo verius in nostra caussa vir magni ingenij, summaq; prudentia L. Cotta dicebat, nihil omnino actum esse de nobis: præter enim quàm quòd comitia illa essent armis gesta seruilibus, præterea neq; tributa capitis, comitia rata esse posse, neque vlla priuilegia. quocirca nihil nobis opus esse lege, de quibus nihil omnino actum esse legibus.

bus. sed visum est & nobis, & clarissimis viris melius, *de quo serui, & latrones sciuisse se aliquid dicerent, de hoc eodem cunctam Italiam, quid sentiret, ostendere. Sequitur de captis pecunijs, de ambitu legis, quæ, cùm magis iudicijs, quàm verbis sancienda sint, adiungitur. Noxiæ pœna par esto, vt in suo vitio quisq; plectatur, vis capite, auaritia multa, honoris cupiditas ignominia sanciatur. Extremæ leges sunt nobis non vsitatæ, reip. necessariæ. legum custodiam nullam habemus, itaq; hæ leges sunt, quas apparitores nostri volunt: à librarijs petimus: publicis litteris consignatam memoriam publicam nullam habemus. Græci hoc diligentius: apud quos νομοφύλακες creantur: nec hi solùm litteras (nam id quidem etiam apud maiores nostros erat) sed etiam facta hominum obseruabant, ad leges q; reuocabant. Hæc detur cura censoribus: quandoquidem eos in repu. semper volamus esse: apud eosdem, qui magistratu abierint, edant, & exponant quid in magistratu gesserint: deq; ijs censores præiudicent. Hoc in Græcia fit publicè constitutis accusatoribus, qui quidem graues esse non possunt, nisi sint voluntarij. Quocirca melius est rationes referri caussamq; exponi censoribus: integram tamen legem accusatori, iudicioq; seruari. Sed satis iam disputatum est de magistratibus, nisi forte

forte quid desideratis. A T T. Quid? si nos tacemus, locus tamen ipse non admonet quid tibi sit deinde dicendum? M. Mihíne? de iudicijs arbitror, Pomponi: id est enim iunctum magistratibus. A T T. Quid? de iure populi Rom. quemadmodum instituisti, dicendum nihil putas? M. Quid tandem in hoc loco est, quod requiras? A T T. Egóne? quod ignorari ab ijs, qui in republ. versantur, turpissimum puto: nam, vt modò à te dictum est, leges à librarijs lego: sic animaduerto, quosque in magistratibus ignoratione iuris sui tantum sapere, quantum apparitores velint. quamobrem, si de sacrorum alienatione dicendum putasti, cùm de religione leges proposueras: faciendum tibi est, vt, magistratibus lege constitutis, de potestate, tum de iure disputes. M. Faciam breuiter, si consequi potero: nam pluribus verbis scripsit ad patrem suum M. Iunius sodalis, perite meo quidem iudicio, & diligenter. At de iure naturæ cogitari per nos, & quæ dicere debemus de iure populi Romani quæ relicta sunt, & tradita.

A T T. Sic profectò censeo: & id ipsum quod dicis, expecto.

*

Multa desunt.

M. T. CICERONIS

DE VNIVERSITATE LIBER.

*

MVLTA sunt à nobis & in Academicis conscripta contra physicos, & sæpe cum P. Nigidio, Carneadeo more, & modo disputata: fuit enim vir ille cùm ceteris artibus, quæ quidem dignæ libero essent, ornatus omnibus: tum acer inuestigator, & diligens earum rerum, quæ à natura inuolutæ videntur. Deniq; sic iudico, post illos nobiles Pythagoreos, quorum disciplina exstincta est quodam modo, cùm aliquot sæcula in Italia Siciliaq; viguisset, hunc exstitisse, qui illam renouaret. qui cùm me in Ciliciam proficiscentem, Ephesi exspectauisset, Romam ex legatione ipse decedens, venissetq; eodem Mitylenis mei salutandi, & visendi caussa Cratippus Peripateticorũ omnium, quos quidem ego audiuerim, meo iudicio facile princeps: perlibenter & Nigidium vidi, & Cratippum cognoui. ac primum quidem tempus salutationibus, reliquum percunctatione consumpsimus.

Desunt multa.

Quid est, quod semper sit, neq; vllum habet ortum

ortum, & quod gignatur, nec vmquã sit. quorum alterum intelligentia, & ratione comprehenditur, quod vnũ semper, atq; idem est: alterum, quod affert opinionem per sensus, rationis *expers, quod totum opinabile est, id gignitur & interit, nec vmquam esse vere potest. omne autem, quod gignitur, ex aliqua caussa gigni necesse est: nullius enim rei, caussa remota, reperiri origo potest. Quocirca si is, qui aliquod munus efficere molitur, eam speciem, quæ semper est eadem, intuebitur, atq; eam sibi proponet exemplar, præclarum opus efficiat necesse est. sin autem illam, quæ gignitur, numquam illam, quam expetet, pulchritudinẽ cõsequetur. omne igitur cælum, siue mundus, siue quouis alio vocabulo gaudet, hoc à nobis nuncupatus sit. De quo id primùm consideremus, quod principiò est in omni quæstione considerandum, sempérne fuerit nullo generatus ortu, an ortus sit, ab aliquo temporis principatu ortus est, quandoquidem cernitur, & tangitur, & est vndiq; corporatus. omnia autem talia sensum mouent: sensusq; mouentia quæ sunt, eadem in opinatione *consident: quæ ortum habere, gigniq; diximus: nihil autem gigni posse sine caussis. Atque illum quidem quasi parẽtem huius vniuersitatis inuenire difficile: &, cùm iam inueneris, indicare in vulgus nefas. rursus igitur videndum, ille fabricator tanti operis vtrum sit imitatus

tatus exemplar, idne, quod semper vnũ, & idẽ & sui simile, an id quod generatũ ortũq; dicimus? Atqui si pulcher est hic mundus, si probus eius artifex: profectò speciem æternitatis imitari maluit. sin secus, quod ne dictu quidẽ fas est, generatũ exemplũ est pro æterno secutus. non igitur dubium, quin æternitatem maluerit exequi, quandoquidem neq; mundo quidquam pulchrius, neq; eius ædificatore præstantius. *Sic ergo generatus ad id est effectus, quod ratione sapientiaq; comprehenditur, atq; immutabili æternitate continetur. ex quo efficitur, vt sit necesse hunc, quem cernimus, mundum, simulacrũ æternũ esse alicuius æterni. Difficillimum autem est in omni conquisitione rationis exordiũ. De ijs igitur, quæ diximus, hæc sit prima distinctio in omni oratione cum ijs rebus, de quibus explicandum videtur, esse cognatio. itaq; cùm de re stabili, & immutabili disputatur, oratio talis sit, qualis sit illa, quæ neq; redargui, neq; conuinci potest. cùm autẽ ingressa est imitata, & efficta simulacra, bene agi putat, si similitudinem veri consequatur. quantũ enim ad id, quod ortum est, æternitas valet: tantum ad fidem veritas. Quocirca si forte de deorum natura, ortuq; mundi dissentes, minus id quod habemus animo, consequimur, vt tota dilucidè, & planè oratio exornata sibi constet, & ex omni parte secũ ipsa cõsentiat, haud sanè erit

erit mirum: contentiq; esse debebitis, si probabilia dicentur: æquum est enim meminisse, & me, qui differam, hominẽ esse, & vos, qui iudicatis: vt, si probabilia dicentur, nil vltra requiratis. Quæramus igitur causam, quæ eum impulerit, qui hæc machinatus sit, vt originẽ rerum, & molitionem nouam quæreret. probitate videlicet præstabat: probus autem inuidet nemini. itaq; omnia sui similia generauit. Hæc nimirum gignendi mundi causa iustissima. nam cùm constituisset deus bonis omnibus explere mundũ, mali nihil admiscere, quoad natura pateretur: quidquid erat quod in cernẽdi sensum caderet, id sibi assumpsit, non tranquillum & quietum, sed immoderatè agitatũ, & fluctuans: idq; ex inordinato in ordinem adduxit: hoc enim iudicabat esse præstãtius. fas autẽ nec est, nec vmquam fuit, quidquã nisi pulcherrimum facere eũ, qui esset optimus. Cùm rationẽ igitur habuisset, reperiebat nihil esse eorum, quæ natura cernerentur, non intelligẽs, intelligente, in toto genere præstantius. quocirca intelligentiam in animo, animũ in corpore. sic ratus est opus illud effectum esse pulcherrimum, quam ob causam non est cunctandũ profiteri, si modò inuestigari aliquid coniectura potest, hunc mundũ animal esse, idq; intelligens, & diuina prouidentia constitutũ. Hoc posito, quod sequitur videndum est, cuiusnam

anim

animantium deus in fingendo mundo similitudinẽ secutus sit. nullius profectò eorum quidem, quæ sunt nobis nota animantia: sunt enim omnia in quædam genera partita, aut inchoata nulla ex parte perfecta: imperfecto autem nec absoluto simile, pulchrum esse nihil potest. cuius ergo omne animal quasi particula quædam est, siue in singulis, siue in diuerso genere cernatur, eius similem mundum esse dicamus. omnes igitur, qui animo cernuntur & ratione intelliguntur animantes, complexu rationis & intelligentiæ, sicut homines, hec mundo, & pecudes, & omnia quæ sub aspectũ cadunt, comprehenduntur. quod enim pulcherrimum in rerum natura intelligi potest, & quod ex omni parte absolutissimum est, cùm deus similem mundum efficere vellet, animal vnũ, aspectabile, in quo omnia animalia continerẽtur, effecit. *Recténe igitur vnum mundum dixerimus, an sint plures, an innumerabiles, dictu verius & melius. vnus profecto: siquidem factus est ad exemplum: quod enim omnes animantes eos, qui ratione intelliguntur, complectitur, id nõ potest esse cum altero: rursus enim alius animans, qui eum contineat, sit necesse est, cuius partes sint animantes superiores, cælumq; hoc simulacrum illius vltimi sit, non proximi. quorum ne quid accideret, atq; vt hic mundus esset animanti absoluto simillimus, hoc ipso, quòd solus atque

atque vnus esset, iccirco singularem deus mundum, atque vnigenam procreauit. corporeum autem & aspectabile, itemq; tractabile omne necesse est esse, quod natũ est. Nihil porrò igni vacuum videri potest, nec verò tangi, quod careat solido: solidum autem nihil, quod terræ sit expers. Quamobrem mundum efficere moliens deus, terram primùm, ignemq; iungebat. omnia autem duo ad cohærendum tertium aliquid requirunt, & quasi nodũ, vinculumq; desiderãt. *sed vinculorum id est aptissimum, atque pulcherrimum, quod ex se, atq; de his quæ astringit, quam maximè vnum efficit. id optimè assequitur quæ Græcè ἀναλογία, Latine (audendum est enim, quoniam hæc primùm à nobis nouantur) comparatio, proportióve dici potest: quando enim trium vel numerorum, vel figurarum, vel quorumcunque generum *contingit, vt quod medium sit, vti primum proportione, ita id postremo comparetur, vicissimq; vt extremum cum medio, sic medium cum primo conferatur: id quod medium est, tum primum fit, tum postremum: postrema verò & primæ media fiunt. ita necessitas cogit, vt eadem sint ea quæ *deiuncta fuerunt. eadẽ autem cùm facta sint, efficitur vt omnia sint vnum. Quòd si vniuersitatis corpus planum & æquabile explicaretur, neq; in eo *quidquam esset requisitũ: vnum interiectum medium, & seipsum, & ea,

ea, quibus esset interpositum, colligaret. sed cùm soliditas mundo quæreretur, solida autem omnia vno medio numquã, duobus semper copulentur: ita contingit vt inter ignem, & terram, aquam deus, *animamq; poneret, eaq; inter se compararet, & proportione coniungeret: vt, quemadmodum ignis animæ, sic anima aquæ: quodq; anima aquæ, id aqua terræ proportione redderet. qua ex coniunctione cælum ita aptum est, vt sub aspectum, & tactum cadat. Itaq; & ob eam caussam, & ab ijs rebus numero quattuor, mundi est corpus effectum, ea constructum proportione, qua dixi: ex quo ipse se concordi quadam amicitia, & caritate complectitur: atq; ita apte cohæret, vt dissolui nullo modo queat, nisi ab eodem à quo est colligatus. Earum autem quattuor rerum, quas supra dixi, sic in omni mundo omnes partes collocatæ sunt, vt nulla pars huiusce generis excederet extra, atq; in hoc vniuerso inessent genera illa vniuersa. id ob eas caussas, primum vt mundus animans * posset ex perfectis partibus esse perfectus: deinde vt vnus esset, nulla parte, vnde alter gigneretur, relicta: postremò ne quis morbus eum posset, aut senectus afflingeret. omnis enim coagmentatio corporis vel calore, vel frigore, vel ali qua impulsione vehementi labefactatur, & frangitur, & ad morbos senectutemq; compellitur. Hanc igitur habuit rationem

tionem effector mundi, molitorq; deus, vt vnũ opus totum, atque perfectum ex omnibus totis, atq; perfectis absolueret, quod omni morbo senióve careret. formam autem & maximè sibi cognatam, & decoram dedit: à quo enim animãte omnes reliquos contineri vellet animantes, hunc ea forma figurauit, qua vna omnes reliquæ formæ concluduntur: & globosus est fabricatus, quod σφαιροειδὲς Græci vocant: cuius omnis extremitas paribus à medio radijs attingitur: idq; ita tornauit, vt nihil effici posset rotundius, nihil vt asperitatis haberet, nihil offensionis, *nihil inclusum angulis, nihil amfractibus, nihil eminens, nihil lacunosum, omnesq; partes simillimæ omnium, *quoad eius præstabat iudicio dissimilitudini similitudo. Omni autem totam figuram mundi læuitate circumdedit: nec enim oculis egebat, quia nihil extra quod cerni posset, relictum erat: nec auribus, quia ne quod audiretur quidem: neque erant anima circumfusa extrema mundi, vt respirationem requireret: nec verò desiderabat aut alimenta corporis, aut detractionem confecti, & consumpti cibi: neq; enim vlla decessio fieri poterat, neque accessio. neque verò erat vnde: ita se ipse consumptione & senio alebat sui, cùm ipse per se, & à se & pateretur, & faceret omnia. sic enim ratus est ille, qui ista iunxit, & condidit, ipsum se contentum

esse mundum, neque egere altero. Itaq; nec ei manus *affixit, quia nec capiendum quicquam erat, nec repellendum: nec pedes, nec alia membra, quibus ingressus *corpore sustineret: *motum enim dedit cælo eum, qui figuræ eius sit aptissimus, qui vnus ex septem motibus mentem, atq; intelligentiã cohiberet maximè. itaq; vna conuersione, atq; eadem ipse circum se torquetur, & vertitur. sex autem reliquos motus ab eo separauit. itaq; eum ab omni erratione liberauit. ad hanc igitur conuersionem, quæ pedibus, & gradu non egeret, ingrediendi membra non dedit. Hæc deus ille, *qui erat, de aliquando deo futuro cogitans, lætum eũ effecit, & vndiq; æquabilem, & à medio ad summum parem, & perfectum, atque absolutum ex absolutis, atq; perfectis. animum autem vt in eius medio collocauit, ita per totum tetendit: deinde eum circumdedit corpore, & vestiuit extrinsecus: cæloq; soliuago, & volubili, & in orbem incitato complexus est: *quod secum ipse propter virtutem facile esse posset, nec desideraret alterum, satis sibi ipse notus & familiaris. Sic deus ille æternus hunc perfectè beatum deum procreauit. sed animum haud ita, vt modò locuti sumus, tum denique cùm corpus ei effecisset, inchoauit: neque enim esset rectum minori parere maiorem. sed nos multa inconsideratè ac temere dicimus. deus autem & ortu, & virtute antiquiorẽ genuit animum, eumq; vt dominum atq; imperantem obedienti præfecit corpori: idq; molitus tali quodam est modo. ex materia, quæ indiuidua est, & quæ semper vniusmodi, suiq; similis, & ex ea, quæ corporibus diuidua gignitur, tertium materiæ genus ex duobus in medium admiscuit, quod esset eiusdem naturæ, & quod alterius: idq; interiecit inter indiuiduum, atque id quod diuiduum esset in corpore. ea cùm tria sumpsisset, vnam in speciem temperauit: naturamq; illam, quam alterius diximus, *vi cum eadem cõiunxit fugientem, & eius copulationis * alienam. Permiscens cum materia, cùm ex tribus effecisset vnũ, id ipsum in ea quæ decuit membra partitus est: iam partes singulas ex eodem & ex altero, & ex materia temperauit. fuit autem talis illa partitio: Vnam principiò partem detraxit ex toto: secundam autem primæ partis duplam: deinde tertiam, quæ esset secundæ sesquialteram, primæ triplam: deinde quartam, quæ secundæ dupla esset: quintã inde, quæ tertiæ tripla: tum sextam octuplam primæ: postremò septimam, quæ septem, & viginti partibus antecederet primæ: deinde instituit dupla, & tripla interualla explere, partes rursus ex toto desecans: quæ interuallis ita locabat, vt in singulis essent bina media: vix enim audeo dicere medietates, quas Græci μεσότητας appellant:

ſed quaſi ita dixerim, intelligatur: erit enim planius. earum alteram, eadem parte præſtantẽ extremis, eademq; ſuperatam, alterã pari numero præſtantẽ extremus; pariq; numero ſuperatam. ſeſquialteris autem interuallis, & ſeſquitertijs, & ſeſquioctauis ſumptis ex his colligationibus in primis interuallis, ſeſquioctauo interuallo, ſeſquitertia omnia explebat, cùm particulam ſingulorum relinqueret. eius autẽ particulæ interuallo relicto, habebat numerus ad numerum eandem proportionem, comparationẽq; in extremis, quã habent CCLVI. cũ CCXLIII. atq; ita permiſtum illud, ex quo hæc ſecuti, iam omne conſumpſerat. hanc igitur omnem coniunctionem, duplicem in longitudinem diffidit: mediaq; accommodans mediam, quaſi decuſſauit: deinde in orbem torſit, vt & ipſæ ſecum, & inter ſe, ex commiſſura, quæ è regione eſſet, iungerentur: eoq; motu cuius orbis ſemper in eode erat, eodemq; modo ciebatur, vndiq; eſt eas circumplexus, *atq; ita cùm alterũ eſſet exteriorem, alterum interiorem amplexus orbem, illum eiuſdem naturæ, hunc alterius nominauit: eumq;, qui erat eiuſdem, detorſit à latere in dextram partem: hunc autem citimum à media linea direxit ad lævam: ſed principatum dedit exteriori, quem ſolum indiuiduum reliquit, interiorẽ autem cùm in ſex partes diuiſiſſet, ſeptem orbes diſpares duplo, & triplo

triplo interuallo moueri iuſſit, contrarijs inter ſe curſibus. eorum autem trium ſicit pares celeritates, ſed quattuor & inter ſe diſpares, et diſſimiles trium reliquorum. animum igitur cùm ille procreator mundi deus ex ſua mente & diuinitate genuiſſet, tum denique omne, quod erat concretum, atq; corporeum, ſubſternebat animo, interiusq; faciebat: atq; ita medio medium accommodans copulabat. ſic animus à medio profectus extremitatem cæli à ſuprema regione rotundo ambitu circumiecit, ſeſeq; ipſe verſans, diuinæ, ſempiternæ, ſapientiq; vitæ induxit exordium. & corpus quidem cæli *ſpectabile effectum eſt. animus autẽ oculorum effugit obtutum. eſt autem vnus ex omnibus rationis *concentionisq; (ἁρμονία Græcè) ſempiternarum rerum, & ſub intelligentiam cadentium compos & particeps: quo nihil ab optimo & præſtantiſſimo genitore melius procreatũ: *quippe qui ex eadem vinctus, alteraq; natura, adiuncta materia, temperatione trium partium, proportione compacta, ſe ipſe conuerſans, cùm materiam mutabilem arripuit, & cùm rurſus indiuiduam, atque ſimplicem, in ſe omnis mouetur, diſcernitq; quid ſit eiuſdem generis, & quid alterius: & cetera dũdicat, quid cuique rei ſit maximè aptum, quid quoque loco, aut modo, aut tempore contingat: quæq; diſtinctio ſit inter ea, quæ gignantur, & ea quæ ſint

*semper eadem. ratio autem vera quæ versatur in ijs, quæ sunt semper eadẽ, & in ijs quæ mutantur, cum in eodem, & in altero mouetur ipsa per se sine voce, & sine vllo sono, * cũ eam partem attingit, qua sensus cieri potest: orbis illius generis alterius * immutatus & rectus omnia animo mentiq; denũtiat: tum opiniones, adsensionesq; firmæ veræq; gignuntur: Cùm autem in illis rebus vertitur, quæ manentes semper eædem, non sensu, sed intelligentia continentur.*

Desunt multa.

**Ita vim suã natura conuertit, vt terrã Lunæ cursus proximè ambiret, eiq; suprà terrã proxima solis circunuectio esset. Luciser deinde & sancta Mercurij stella cursum habent Solis celeritati parem, sed vim quãdam contrariam: eaq; cõuersione, quam inter se habẽt Lucifer, Mercurius, Sol, alij alios vincunt, vicissimq; vincũtur. Reliquorum siderum quæ caussa collocandi fuerit, quæq; eorum sit collocatio, in sermonem alium differendum est, ne in eo quod attingendum fuit, quàm in eo, cuius caussa id attigimus, longior ponatur oratio. *Quando igitur vnumquodque eorum siderum cursum decorum est adeptum, quibus erat motus temporis consignandus: colligataq; corpora vinc*

*vinculis animalibus, animantia orta sunt, eaq; imperio parere didicerunt: tunc ex alterius naturæ motione transuersa, in eiusdem naturæ motum incurrentia, in eoq; hærentia, atque impedita, cum alia maiorem lustrarent orbem, alia minorem, tardiusq; maiorem, celeriusq; minorem, motu verò vnius eiusdemq; naturæ: quæ velocissimè mouebantur, ea celeritate vinci à tardioribus, et, cùm superabant, superari videbantur. omneis enim orbes eorum *quasi Helicis inflexio vertebat: quam bifarium contrariè simul procedentia efficiebant, vt quod esset tardissimum, id proximum fieret celerrimo. atq; vt esset mensura quædam euidens, quæ in istis octo cursibus celeritates, tarditatesq; declararet: deus ipse solem, quasi lumen accẽdit ad secundum supra terram ambitum. vt quammaximè cælum omnibus colluceret, animantesq;, quibus ius esset doceri, ab eiusdẽ motu, & ab eo, quod simile esset numerorum naturam, vimq; cognoscerẽt. nox igitur & dies ad hunc modum, & ob has generatæ caussas, vnũ circuitũ orbis efficit sapientissimũ, atq; optimum: mensis autem quando Luna lustrato suo cursu Solem cõsecuta est: annus, vbi Sol suum totum confecit, & peragrauit orbem. ceterorum autẽ siderum ambitus ignorantes homines, præter admodum paucos, neq; nomine appellant, neque inter se numero com-*

metiuntur. itaq; nesciũt hos siderum errores id ipsum esse, quod rite dicitur tempus, multitudine infinita, varietate admirabili præditos. Attamen illud perspici, & intelligi potest, absoluto, perfectoq; numero temporis, absolutũ perfectumq; annum tunc compleri deniq; , cùm se octo ambitus confectis suis cursibus ad idem caput retulerũt, cumq; eos permensus est idem, & semper sui similis orbis. Has igitur ob causas nata astra sunt, quæ per cælũ penetrantia solstitiali se & brumali reuocatione conuerterent: vt hoc omne animal, quod videmus, esset illi animali, quod sentimus, ad æternitatis imitationẽ simillimum. & cetera quidem vsq; ad tẽporis ortum* impressa ab illis, quæ imitabatur, effinxerat. sed quia nondum omne animal in mundo intus incluserat, ex ea parte deficiebat ad propositum exẽplar imaginis similitudo. quot igitur, & quales animalium formas mẽs in speciem rerum intuẽs, poterat cernere, totidem, et tales in hoc mundo secum cogitauit effingere. erant autẽ animantium genera quatuor, quorum vnũ diuinum atq; cæleste, alterum pennigerum, & aërium, tertium aquatile, terrestre quartũ, diuinæ animationis maximè speciẽ faciebat ex igne, ita vt splendidissimus esset, & aspectu pulcherrimus. cumq; similem *vniuersitatis naturæ efficere vellet, ad volubilitatem rotundauit, *comitéque eum sapientia quamoptimæ mentis efficit, circúmque cælum æqualiter distribuit, vt * hac varietate distinctum bene Græci κόσμον, nos lucentem mundum nominaremus. dedit autẽ diuinis duo genera motus: vnũ, quod semper esset in eodem æquè, & idẽ in omnibus atq; vno modo celeraret: alterum, quod* in anticam partem à conuersione eiusdem, & similis, pelleretur. quinque autem reliquis motibus orbem eum esse voluit expertem, immobilem, & stantẽ. ex quo genere ea sunt sidera, quæ infixa cælo nõ mouẽtur loco: quæ sunt animantia, eaq; diuina, ob eãq; caussam suis sedibus inhærẽt, & perpetuò manẽt. quæ autem vaga, & mutabili* ratione labuntur, ita generata sunt, vt suprà diximus. *Iam verò terram altricẽ nostrã, quæ traiecto axe sustinetur, diei noctiúq; effectricẽ, eãdemq; custodẽ antiquissimã corporũ voluit esse eorum, quæ intra cælum gignerẽtur. *flexiones autem eorum, & inter eos ipsos concursiones, quæq; in orbibus eorũ cõuersiones, anteceßionesq; eueniant: cumq; inter se pænè contingant, eos, qui propè copulentur contraria regione, & pone quos, aut antè labantur, quibusq; temporibus à nostro aspectu obliteścãt, rursusq; emersi* terrorem incutiant rationis expertibus, si verbis explicare conemur, nullo posito sub oculis simulacro, earũ rerum frustra suscipiatur labor. Sed hæc satis sunt dicta nobis: quæ de deorum

qui cernuntur, quiq; orti sunt, natura præfati sumus, habeant hunc terminum. reliquorũ autem, quos Græci ἀχίνητους appellant, nostri opinor lares, si modò hoc rectè cõuersũ videri potest, & nosse, et* enuntiare ortum eorum maius est, quàm vt profiteri scribere nos audeamus. credẽdum nimirum est veteribus & priscis, vt aiunt, virũ, qui se progeniẽ deorum esse dicebant. itaq; eorum vocabula nobis prodiderunt. nosse autẽ generatores suos optimè potuerant: ac difficile factu est, à dijs ortis fidem non habere: quamquam nec argumentis, nec rationibus certis eorũ oratio confirmatur.* sed quia de sibi rebus notis vidẽtur loqui, veteri legi, moriq; parẽdum est. Sic igitur, vt ab his est traditum, horum deorum ortus habeatur, atq; dicatur, vt Oceanum Salaciamq; cæli satu terræq; cõceptu generatos, editosq; memoremus. ex his Phorcyn, Saturnũ, & Opem: deinceps Iouem atque Iunonem, reliquos, quos fratres inter se agnatosq; vsurpari, atque appellari videmus, & eorum, vt vtamur veteri verbo, prosapiã. Quando igitur omnes, & qui mouentur palamq; ostenduntur, & qui eatenus nobis declarãtur, qua ipsi volũt, creati sunt: tum ad eos is deus, qui omnia genuit, fatur: Hæc vos, qui deorum satu orti estis, attẽdite: quorum operũ ego parens effectorq; sum, * non sunt dissolubilia me inuito: quamquã omne colligatum

solui potest: sed haudquaquam boni est, ratione vinctum velle dissoluere. sed quoniam orti estis, immortales vos quidem esse, & indissolubiles non potestis. neutiquam tamen dissoluemini, nec vos vlla mortis fata periment, nec* fraus valentior, quàm consilium meum: quod maius est vinculum ad perpetuitatem vestram, quàm illa, quibus estis tum, cùm gignebamini, colligati. quid sentiã igitur, cognoscite. Tria nobis genera reliqua sunt, eaq; mortalia: quibus prætermissis, cæli absolutio perfecta nõ erit: omnia enim genera animaliũ cõplexu nõ tenebit:* teneat autẽ oportebit, vt ab eo ne quid absit. sed quæ à me ipso effecta sunt, deorũ vitã possint adæquare. vt igitur mortali generẽtur cõditione, vos suscipite, vt illa gignatis imitaminiq; vim meã, qua in vestro ortu me vsum esse meministis, in quibus qui tales creãtur, vt deorum immortalium quasi gẽtiles esse debeant, diuini generis appellentur, teneantq; omniũ animantium principatum, vobisq; iure & lege volentes pareãt: quorum vobis initium, satusq; traditur à me: vos autem ad id, quod erit immortale, partem attexite mortalem. ita orientur animantes, quos & viuos alatis, & consumptos sinu recipiatis. Hæc ille dixit, deinde ad tẽperationem superiorẽ reuertit: in qua omnem animum vniuersæ naturæ temperans permiscebat,* superiorisq; permixtionis reliquias fundens

dens æquabat, eodẽ modo fermè, nisi quòd non ita incorrupta, vt ea quæ semper idẽ, *sed ab ijs, secundũ sumebat, atque tertiũ. Toto igitur omnino constituto, sideribus parẽ numerũ distribuit animorũ, & singulos adiunxit ad singula, atq; ita quasi in currũ vniuersitatis imposuit, commonstrauitq; leges fatales, ac necessarias, & ostendit primum ortum vnum fore omnibus, eumq; moderatum, atq; constantem, nec ab vllo imminutum: satiu autem, & quasi sparsis animis, fore vti certis temporum interuallis oriretur animal, quod esset ad cultũ deorum aptissimum: sed cũ duplex esset natura generis humani, sic res habebant, vt præstantius genus esset eorũ, qui essent futuri viri. *Cũ autem animos corporibus necessitate inseuisset, cumq; ad corpora tum accessio fieret, tum abscessio, necesse erat sensum exsistere vnum, communémque omnium vehementiore motu excitato, coniunctumq; naturæ: deinde voluptate, & molestia mistum amorem: pòst ità & metum, & reliquos motus animi, comites superiorum, & hu etiam * contrarios dissidentes: quos qui ratione rexerit, iustè vixerit: qui autem his se dederit, iniustè. Atq; ille, qui recte & honestè curriculum viuendi à natura datum confecerit, ad illud astrum, quo, cùm aptus fuerit, reuertetur: qui autem immoderatè, & intemperatè vixerit, eum secũdus ortus in

in figuram muliebrẽ transferet: *& sine tum quidem finem vitiorum faciet, grauius etiam iactabitur, & in suis moribus similimas figuras pecudum, & ferarum transferetur: neq; malorum terminum prius aspiciet, quàm illam sequi cœperit conuersionem, quam habebat in se ipse eiusdẽ, & vnius simul innatam & infitam. quod tum eueniet, cùm illa, quæ ex igne, aëre, aqua, atq; terra turbulenta, & rationis expertia insederint, deniq; ratione depulerit, & ad primam atq; optimam affectionẽ animi peruenerint. Quæ cùm ita designasset, sesèq;, si quid postea fraudis, aut vitij eueniisset, extra omnẽ culpã, caussamq; posuisset, alios in solem, alios in lunam, alios in reliquas mundi partes, quæ sunt ad spatiorum tẽporis significationem notæ constitutæ, spargẽs quasi serebat. post autem satione eam dijs, vt ita dicam, iunioribus permisit, vt corpora mortalia effingerent, quantumq; esset reliquum ex humano animo, quod deberet accedere, id omne, et quæ sequentia essent, perpolirẽt, & absoluerent: deinde vt huic animanti principes se ducesq; præberent, vitamq; eius pulcherrimè regerent, & gubernarent, nisi quatenus ipse beneficijs sua culpæ sibi aliquid miseriæ quæreret. Atq; ii quidem, qui cuncta composuit, constanter in suo manebat statu. qui autem erant ab eo creati, cùm parentis ordinem cognouissent, hunc sequeb

quebantur. Itaque cùm accepissent immortale principium mortalis animantis, imitantes genitorem & effectorem sui, particulas ignis, & terræ, & aquæ & aëris à mundo, quas rursus redderent, mutuabantur, easq; inter se copulabant, haud ijsdem vinculis, quibus ipsi erant colligati, sed talibus, quæ cerni nõ possent propter paruitatem: crebris quasi cuneolis iniectis vnum efficiebant ex omnibus corpus: itemq; in eo influente, atque effluente animo diuino ambitus illigabant. itaque illi in flumen immersi neque tenebant, neq; tenebantur, sed vi magna tum ferebant, tum ferebantur. ita totum animal mouebatur illud quidem, sed immoderatè & fortuitu, vt sex motibus veheretur: nam & ante, & pone, ad læuam, & ad dextram, & sursum, & deorsum, *modò huc, modò illuc.

Desunt multa.

sed si in splẽdore consedit, tum vel eadem species, vel interdum immutata reddatur. cũ ignis oculorum cum eo igne, qui est ob os * offusus, se confudit, & contulit. Dextra autem videntur quæ læua sunt: quia cõtrarijs partibus oculorũ, contrariæ partes attingũt. respondent autem dextra dextris, læua læuis cõuersione luminũ, cùm ea inter se nõ cohæresc unt, id fit, cùm speculorum læuitas hinc, illincq; altitudinem assumpsit, & ita dextra detrusit in læuã partem oculorum, læuaq; in dextram. Supina etiam ora cernuntur depulsione luminum: quæ cõuertens inferiora reddit, quæ sunt superiora. Atqui hæc omnia ex eo genere sunt, quæ rerum adiuuant caussis: quibus vtitur ministerijs deus, cũ optimi speciem, quoad fieri potest, efficit. * sed existimãt pleriq; nõ hæc adiumẽta caussarum, sed has ipsas esse omnium caussas, quæ vim habeant frigoris, et caloris, concretionis & liquoris: careant autem omni intelligentia, atq; ratione, quæ, nisi in animo, nulla alia in natura reperiantur. animus autem sensum omnem effugit oculorum. at ignis, & aqua, & terra, & aër corpora sunt, eaq; cernuntur. illum autem qui intelligentiæ sapientiæq; se amatorem profitetur, necesse est intelligentis sapientiq; naturæ primas caussas conquirere: deinde secundas caussas rerum earum, quæ necessariò mouent alias, cùm ipsæ ab alijs mouentur. Quocirca nobis sic cerno esse faciendũ, vt de vtroq; nos quidem dicamus genere caussarum, separatim autem de ijs, quæ cum intelligentia sint efficientes pulcherrimarum rerum, atq; optimarum, et de his quæ vacantes prudentia, inconstantia, perturbataq; efficiunt. Ac de oculorum quidem caussis, vt haberent eam vim, quam nunc habent, satis ferme esse dictum puto.

*puto. maxima autem eorũ vtilitas donata humano generi deorum munere deinceps explicetur. rerum enim optimarum cognitiones nobis oculi attulerũt. nam hæc, quæ est habita de vniuersitate oratio, à nobis haud vmquã esset inuenta, si neq; sidera, neq; sol, neq; cælum sub oculorum aspectum cadere potuissent. nũc verò dies noctesq; oculis cognitæ, tum mensium, annorumq; *conuersiones numerum machinatæ sunt, & spatium temporis dimensæ, & ad quæstionem totius naturæ impulerunt. quibus ex rebus philosophiam adepti sumus: quo bono nullum optabilius, nullum præstantius nequ datum est mortalium generi deorum concessu, atq; munere, neq; dabitur.*

Multa desiderantur.

Q. CICERO DE PETITIONE CONSVLATVS AD M. TVLLIVM FRATREM.

Etsi tibi omnia suppetunt, quæ cõsequi ingenio, aut vsu * homines, aut diligẽtia possunt: *tamẽ ab amore nostro non sum arbitratus alienum ad te præscribere ea, quæ mihi veniebant in mentem, dies ac noctes de petitione tua cogitanti*

*gitanti: nõ vt aliquid ex ijs noui adjcerem: sed vt ea, quæ in re dispersa, atq; infinita viderentur esse, ratione, & distributione sub vno aspectu ponerentur. Quamquam plurimum natura valet, tamen videtur in paucorum mensium negotio posse simulatio naturam vincere. Ciuitas quæ sit, cogita, quid petas, qui sis. propè quotidie ad forum tibi descendenti meditandum hoc sit, Nouus sum, consulatum peto, Roma est. nominis nouitatẽ dicendi gloria maximè subleuabit. semper ea res plurimum dignitatis habuit. non potest, qui dignus habetur patronus consulariũ, indignus consulatu putari. Quamobrem, quoniam ab hac laude proficiscêris, &, quidquid es, ex hoc es: ita paratus ad dicendum venito, quasi in singulis caussis iudicium * de omni ingenio futurum sit. Eius facultatis adiumenta, quæ tibi scio esse sepositа, vt parata ac prompta sint, cura: & sæpe, quæ de Demosthenis studio, & exercitatione scripsit Demetrius, recordare. deinde & amicorum multitudo, & genera appareant: habes enim ea, quæ noui habuerunt, omnes publicanos, totum fere equestrem ordinẽ, multa præterea municipia, multos abs te defensos homines cuiusque ordinis, aliquot collegia, præterea studio dicendi conciliatos plurimos adolescentulos, quotidianam amicorum assiduitatem, & frequentiam. Hæc cura vt teneas & commendando, & rogando,*

& omni ratione efficiendo, vt intelligant qui debent tua causſa, referendæ gratiæ, & qui volunt, obligandi tui tempus ſibi aliud nullum ſſre. etiam hoc multum videtur adiuuare poſſe nouum hominem, hominum nobilium voluntas, & maxime conſularium. Prodeſt, quorum in locum, ac numerum peruenire velis, ab his ipſis illo loco, ac numero dignum putari. hi rogandi omnes ſunt diligenter, & ad eos allegandum: perſuadendumq; eſt eis, nos ſemper cum optimatibus de rep. ſenſiſſe: minime populares fuiſſe: ſi quid locuti populariter videmur, id nos eo conſilio feciſſe, vt nobis Cn. Pompeium adiungeremus, vt eum, qui plurimum poſſet, aut amicum in noſtra petitione haberemus, aut certè non aduerſarium. Præterea adoleſcentes nobiles elabora vt habeas, vel vt teneas ſtudioſos quos habes. multum dignitatis afferent. plurimos habes: perfice vt ſciant, quantū in his putes, *eſſe. ſi adduxeris, vt ij, qui nolūt, cupiant, plurimum quidem proderunt. ac multū etiam nouitatem tuam adiuuat, quòd eiuſmodi nobiles tecū petunt, vt nemo ſit, qui audeat dicere, plus illis nobilitatem, quàm tibi virtutem prodeſſe oportere. Iam P. Galbam, & L. Caſſium ſummo loco natos, quis eſt qui petere conſulatum putet? vides igitur ampliſſimis ex familijs homines, qui ſine nerui ſint, tibi pares eſſe non poſſe. At Antonius, & Catilina moleſti ſunt.

imò homini nouo, induſtrio, innocenti, diſerto, gratioſo apud eos, qui res iudicant, optādi competitores: *ambo à pueritia ſicarij, ambo libidinoſi, ambo egentes. eorum alterius bona proſcripta videmus, vocem deniq; audiuimus iurantis ſe Romæ iudicio æquo cum homine Græco certare non poſſe: & ex ſenatu electū ſcimus. optima vero cenſorij exiſtimatione in prætura competitorem habuimus, amico Sabidio, & Panthera, *quòd, ad tabulam quos poneret, non habebat: quo tamē in magiſtratu amicam, quam palàm domi haberet, de machinis emit. in petitione autem conſulatus caupones omnes hic compilare per turpiſſimam legationem maluit, quàm adeſſe, & populo Ro. ſupplicare. Alter vero, dij boni, quo ſplēdore eſt? *primum nobilitate eadem, qua Catilina, num maiore? non ſed virtute. *quamobrem qui inanius vmbrā ſuam metuit, hunc negligēs quidem, natum in patris egeſtate, educatum in ſororis ſtupris, corroboratum in cæde ciuium, cuius primus ad remp. aditus in equitibus Rom. occidendis fuit. nam illis, quos meminimus, Gallis, qui tum Titiniorum, ac Vanniorum, ac *Tanuſiorum capita demebant, Sylla vnum Catilinam præfecerat: in quibus ille hominem optimum Q. Cæcilium ſororis ſuæ virum, equitem Rom. nullarum partium, cùm ſemper natura, tum etiam ætate iam quietum, ſuis manibus occidit. Quid

ego nunc dicam petere eum tecum consulatum, qui hominem carissimum populo R.M. Marium inspectante populo Rom. virgis per totam vrbem ceciderit; ad bustum egerit; ibi omni cruciatu lacerarit; viuo stanti collum gladio sua dextera secuerit; cùm sinistra capillum eius à vertice teneret, caput sua manu tulerit; cùm inter digitos eius riui sanguinis fluerẽt? qui postea cum histrionibus, & cum gladiatoribus ita vixit, vt alteros libidinis, alteros facinoris adiutores haberet: qui nullum in locum tam sanctum, ac tam religiosum accessit, in quo non, etsi in alijs culpa non esset, tamen ex sua nequitia dedecoris suspicionẽ relinqueret? qui ex curia Curios, & Annios, ab atrijs Sapalas, & Caruilios, ex equestri ordine Pompilios, * & Cneios sibi amicissimos comparârit: qui tantum habet audaciæ, tantum nequitiæ, tantũ deniq; in libidine artis & efficacitatis, vt parentum propè in gremijs prætextatos liberos constupraverit. Quid ego nunc tibi de Africa, quid de testium dictis scribam? nota sunt: & ea tu sapius legito. sed tamen hoc mihi non prætermittendũ videtur, quod primum tam egens ex eo iudicio discesserit, quàm quidam iudices eius ante illud iudicium fuerunt: deinde tam inuidiosus, vt aliud in eum iudicium quotidie flagitetur. hic se sic habet, vt magis timeat, etiã si quieuerit: quàm vt contemnat, si quid commouerit. Quanto me-

lior tibi fortuna petitionis data est, quàm nuper homini nouo C. Cæliõ? ille cum duobus hominibus ita nobilissimis petebat, vt tamen in ijs omnia pluris essent, quàm ipsa nobilitas: summa ingenia, summus pudor, plurima beneficia, summa ratio, ac diligentia petendi. tamen eorum alterum, cùm deesset alter, Cælius, etiam cùm multò esset inferior genere, superior nulla re pænè, superauit. Quare si facies ea, quæ tibi natura, & studia, quibus vsus es semper, largiuntur, quæ temporis tui ratio desiderat, quæ potes, quæ debes: non erit difficile certamen cum ijs competitoribus, qui nequaquam sunt tam genere insignes, quàm vitijs nobiles: quis enim reperiri tam improbus ciuis potest, qui velit vno suffragio duas in rempub. sicas distringere? Quoniam igitur, quæ subsidia nouitatis haberes, & habere posses, exposui: nunc de magnitudine petitionis dicendum videtur. Consulatum petis: quo honore, nemo est, qui te non dignum arbitretur: sed multi, qui inuideant. petis enim homo ex equestri loco summum locum ciuitatis, atq; ita summum, * vt forti homini, diserto, innocenti multo ille idem honos plus amplitudinis, quàm ceteris afferat. Noli putare eos, qui sunt eo honore vsi, non videre, tu cùm idem sis adeptus, quid dignitatis habiturus sis: eos verò, qui consularibus familijs nati locum maiorum consecuti non sunt, suspicor tibi, nisi

qui admodum te amant, *inuidere. etiam nouos homines prætorios existimo, nisi qui tuo *beneficio iuncti sunt, nolle abs te se honore superari. Iam in populo quàm multi inuidi sunt, quàm multi consuetudine horum annorum* ab honoribus nouis alienati, venire tibi in mentem certo scio. esse etiam nonnullos tibi iratos ex ijs caussis, quas egisti, necesse est. iam illud tute circumspicito, quòd ad Cn. Pompeij gloriam augendam tanto studio te dedisti, num quos tibi putes ob eam caussam esse *amicos? Quamobrem eum & summum locum ciuitatis petas, & videas esse studia, quæ tibi aduersentur: adhibeas necesse est omnem rationem, & curam, & laborem, & diligentiam. Et petitio magistratuum diuisa est in duarum rationum diligentiam: quarum altera in amicorum studijs, altera in populari voluntate ponenda est. Amicorum studia beneficijs, & officijs, & vetustate, facilitate, ac iucunditate naturæ parta esse oportet. sed hoc nomen amicorum in petitione latius patet, quàm in cetera vita: quisquis est enim, qui ostendat aliquid in te voluntatis, qui colat, qui domum veniat, is in amicorum numero est habendus. sed tamen, qui sunt amici ex caussa honestiore, cognationis, aut affinitatis, aut sodalitatis, aut alicuius necessitudinis, his carum & iucundum esse maximè prodest. deinde vt *quisq; optimus, ac maximè domesticus, *vt is amet, quisq; fidelissimum esse te cupiat, valde elaborandum puto: tum vt tribules, vt vicini, vt clientes, vt deniq; liberti, postremò etiam serui tui: nam ferè omnis sermo ad forensem famam à domesticis emanat auctoribus. deinde instituendi sunt cuiuscumq; generis *amici: ad speciem hominis illustris honore ac nomine: qui etiam si suffragandi studia non nauant, tamen afferunt petitori aliquid dignitatis ad iustitiam obtinendam. Magistratus, ex quibus maximè consules, deinde tribunos pl. ad conficiendas centurias homines excellenti gratia, *qui tribuet centuriam, vt aliquod ex te beneficium aut habeant, aut, vt habeant, sperent, eos prorsus magnopere comparæ, & confirma. nam per hos annos homines ambitiosi vehementer omni studio, atq; opere laborarunt, vt possent à tribulibus suis ea, quæ peterent, impetrare. hos tu homines, quibuscumq; rationibus poteris, vt ex animo, atq; vt ex illa summa voluntate tui studiosi sint, laborato. Quòd si satis grati homines essent, hæc omnia parata esse debebat, sicut parata esse *concerno: nam hoc biennio quatuor sodalitates ciuium ad ambitionem gratiosissimorum tibi obligasti, C. Fundanij, Q. Gallij, Cn. Cornelij, *L. Corumi: & horum in caussis ad te deferendis, quidnam tibi eorum sodales receperint, & confirmarint, scio: nam interfui. Quare hoc tibi faciendum est, *vt hoc tempore idem ab ijs, quod

debent, exigas, sæpe commonẽdo, rogando, confirmando, curando vt intelligant nullum tempus aliud se vmquã habituros restituẽdæ gratiæ. profectò homines & spe reliquorũ tuorum officiorũ, etiam recẽtibus beneficijs * ad studium seruandum excitabuntur. & omnino quoniam eo genere amicitiarũ petitio tua maximè * initiata est, quod causſarum defensionibus adeptus es: fac vt planè ijs hominibus, quos deuinctos tenes, describptum, ac dispositum suum cuiq; munus sit. &, * quemadmodũ memini, quòd nulla in re illis vmquam molestus fuisti, sic cura vt intelligant omnia te, quæ ab illis tibi deberi putaris, ad hoc tempus reseruaſſe. Sed quoniam tribus rebus homines maximè ad beneuolentiam, atq; hæc ſuffragandi studia ducuntur, beneficio, spe, adiunctione animi, * vel voluntate: animaduertendum est, quemadmodum cuique horum generi sit inseruiendum. Minimis beneficijs homines adducũtur, * vt satis causſæ putẽt te ad studium ſuffragationis dedisſe, nedum ijs quibus saluti fuisti, quos tu habes plurimos: vt intelligant, si hoc tuo tempore nõ satis fecerint, se probatos nemini vmquam fore. quod cum ita sit, tamen rogandi sunt, atq; etiam in hanc opinionem adducendi, vt, qui nobis adhuc obligati fuerint, ijs vicissim nos obligari adhuc posſe videamur. qui autem spe tenẽtur, quod genus hominum multò est diligentius, atq; officiosius, ijs

ijs fac vt propositum, ac paratum auxilium tuum esſe videatur: denique vt spectatorem te suorum officiorum esſe intelligant diligentem: vt videre te planè, atq; animaduertere, quantum ab vnoquoq; proficiscatur, appareat. Tertium illud genus est studiorum voluntarium: quod agendis gratijs, accommodandis sermonibus ad eas rationes, propter quas quisq; studiosus tui esſe videbitur, significanda erga illos pari voluntate, adducenda amicitia in spem familiaritatis, & consuetudinis confirmari oportebit. atq; in ijs omnibus generibus iudicato & perpendito quantum quisq; possit; vt scias & quemadmodum cuiq; inseruias, & quid à quoque exspectes, & postules: sunt enim quidam homines * in suis ciuitatibus, & municipijs gratiosi: sunt diligẽtes, & copiosi: qui etiam si antea non studuerunt huic gratiæ, tamen ex tempore elaborare * eius causſa, cui debent, aut volunt, facilè possunt. his hominum generibus sic inseruiendum est, vt ipsi intelligant te videre quid à quoq; exspectes, sentire quid accipias, meminisſe quid acceperis. Sunt autem alij, qui aut nihil possunt, aut etiam odio sunt tribulibus suis, nec habent tantum animi, aut facultatis, vt emitãtur ex tẽpore. * hos vt internoscas, video, ne, spe in aliquo maiore posita, præsidij parum comparetur. & quamquã partis, & fundatis amicitijs fretũ, ac munitum esſe oportet,

tet, tamen in ipsa petitione amicitiæ permulte, ac perutiles comparantur. nam in ceteris molestijs habet hoc tamen petitio commodi, vt possis honestè, quod in cetera vita non queas, quoscumq; velis, adiungere ad amicitiã: quibus cum si alio tẽpore agas, vt te vtantur, absurdè facere videare: in petitione autem nisi id agas & cum multis, & diligenter, nullus petitor esse videare. Ego autem tibi hoc confirmo, esse neminem, nisi si aliqua necessitudine competitorum alicui tuorum sit adiunctus, à quo non facile, si contenderis, impetrare possis, vt suo beneficio promereatur, se vt ames, & sibi vt debeas, modò intelligat te magni æstimare, ex animo agere, bene se ponere, fore ex eo non breuem, & suffragatoriam, sed firmam, & perpetuam amicitiam. Nemo erit, mihi crede, in quo modò aliquid virtutis sit, qui hoc tempus sibi oblatum amicitiæ tecum constituendæ prætermittat: præsertim cùm id tibi casus afferat, vt tecum petant, quorũ amicitia aut cõtemnenda, aut fugiẽda sit, & qui hoc, quod ego te hortor, non modò non assequi, sed ne incipere quidem possint. nam quid incipiat Antonius homines adiungere, atque inuitare ad amicitiam, quos per se suo nomine appellare non possit? mihi quidem stultius nihil videtur, quàm existimare eum studiosum tui, quem non norit. eximam quandam gloriam, & dignitatem, ac rerum gestarum magnitudinẽ esse oportet in eo quem homines ignoti, nullis suffragantibus meritis honore afficiãt. namque vt homo iners, sine officio, sine ingenio, cum infamia, nullis amicis septus, hominem plurimorum studio, atque omnium bona existimatione munitum præcurrat, sine magna culpa negligentiæ fieri non potest. Quamobrem omnes centurias multis & varijs amicitijs cura vt confirmatas habeas: & primum id, quod ante oculos est, senatores, equitesq; Romanos, *ceterorum ordinum nauos homines, & gratiosos complectere. multi homines vrbani & industrij, multi libertini gratiosi in foro, nauiq; versantur, quos per te, quos per communes amicos poteris sumere. cura vt tui cupidi sint: elaborato, appetito, allegato, summo beneficio te *affici ostendito. *deinde habe oratores vrbis totius, collegiũ omniũ, pagorum, vicinitatũ. ex ijs principes ad amicitiã tuam si adiunxeris, per eos reliquã multitudinem facile tenebis. postea totam Italiam fac vt in animo, ac memoria *tibi distributam, cõprehensamq; habeas: ne quod municipium, coloniam, præfecturã, locum deniq; Italiæ ne quem esse patiare, in quo nõ habeas firmamẽti quod satis esse possit. perquiras etiam & inuestiges homines ex omni regione, eosq; cognoscas, appetas, confirmes, eures vt in suis *vicinitatibus *tibi petant, & tua causa quasi candidati

dati sint. volent te amicum, si suam à te amicitiam expeti videbunt. id vt intelligant, oratione, *quæ ad eã rationẽ pertinet, consequere. *homines municipales, ac rusticani, nomine tantùm noti, in amicitia se esse arbitrãtur. *si verò etiã præsidij se aliquid sibi constituere putãt, nõ amittunt occasionem promerendi. hos ceteri & maximè tui competitores ne norunt quidem: tu & nosti, & facile cognosces: sine queis amicitia esse non potest. neque id tamen satis est, tametsi magnum est: *sed vt consequatur spes vtilitatis, atq; amicitiæ, ne nomẽclator solùm, sed amicus etiam bonus esse videare. ita cùm & hos ipsos, propter suam ambitionẽ qui apud tribules suos plurimum gratia possint, studiosos in centurijs habueris: & ceteros, qui apud aliquam partem tribulium propter municipij, aut ciuitatis, aut collegij rationem valent, cupidos tui constitueris: in optima spe esse debebis. Iam equitum centuriæ multo facilius mihi diligentia posse teneri videntur. primùm cognoscendi sunt equites, deinde adipiscendi: deinde habebis tecum ex iuuentute optimum quemq; & studiosissimum humanitatis. *multo enim facilius illa adolescentulorum ad amicitiam ætas adiungitur. *tum equester ordo sequetur illius auctoritatẽ ordinis, si abs te adhibebitur ea diligentia, vt non ordinis illius auctoritatem solùm voluntate, sed etiam singulorum amicitijs ea-

centurias confirmatas habeas. Iam studia adolescentulorũ in suffragando, in obeundo, in nũtiando, in affectando mirifice & magna & honesta sunt. Et quoniam affectationis mentio facta est, id quoq; curandũ est, vt quotidiana cuiusq; generis, & ordinis, & ætatis vtare. nam ex ea ipsa copia coniectura fieri poterit, quantum sis in ipso campo virium, ac facultatis habiturus. huius autem rei tres partes sunt; vna salutatorum,) cùm domum veniunt: altera deductorum: tertia assectatorum. In salutatoribus, qui magis vulgares sunt, & *ad hanc consuetudinem, quæ nunc est, plures veniunt. hoc efficiendum est, vt hoc ipsum minimum officiũ eorum tibi gratissimum esse videatur. *Qui domum tuã venient. ijs significato te animaduertere, & eorum amicis, qui illis renuntient, ostendito, sæpe ipsis dicito. sic homines sæpe, cùm obeunt plures competitores, & vident vnum esse aliquem, qui hæc officia maximè animaduertat, ei se dedũt, deserunt ceteros, minutatim ex communibus proprij, ex fæcosis firmi suffragatores euadunt. Iam illud teneto diligenter, si eum, qui tibi promiserit, focum, vt dicitur, facere velle senseris, vt te id audisse, aut scire dissimules: si quis tibi se purgare volet, quòd suspectum esse arbitretur, affirmes te de illius volũtate numquã dubitasse, nec debere dubitare: is enim, qui ipse non putat satisfacere, amicus esse

nullo modo potest. scire autẽ oportẽt quo quisque animo sit, vt etiam, quantum cuique confidas, constituere possis. Iam deductorum officium, quo maius est, quàm salutatorum, hoc gratius tibi esse significato, atq; ostendito, & quoad eius fieri poterit, certis temporibus descendito. magnam affert opinionem, magnam dignitatẽ quotidiana in deducendo frequentia. Tertia est ex hoc genere assidua assectatorum copia. in ea quos voluntarios habebis, cura vt intelligant te sibi in perpetuũ summo beneficio obligari. qui autem tibi debent, ab ijs plane hoc munus exige: qui per ætatẽ, ac negotium poterunt, ipsi tecum vt assidui sint. qui si sectari nõ poterunt, necessarios suos in hoc munere constituant. valde ego te volo, & ad rẽ pertinere arbitror, semper cũ multitudine esse. præterea magnam affert laudem, & summam dignitatem, si ij tecum erunt, qui à te defensi, & qui per te seruati, ac iudicijs liberati sunt. Hæc tu plane ab ijs postulato, vt quoniam nulla impensa per te *alij rem honestam, alij salutem, ac fortunas omnes obtinuerunt, nec aliud vllum tempus futurũ sit, vbi tibi referre gratiam possint, hoc te officio remunerent. Et quoniam in amicorum studijs hæc omnis oratio versatur, qui locus in hoc genere cauendus sit, prætermittendum non videtur. fraudis, atq; insidiarum, & perfidiæ plena sunt omnia, nõ est huius tẽporis perpetuas illa

illa de hoc genere disputatio, quibus rebus beneuolus, & simulator dijudicari possit. tantùm est huius temporis admonere. Summa tua virtus eosdẽ homines & simulare tibi esse amicos, & inuidere coget. Quamobrem ἐπιχαριτώτερον illud teneto, NERVOS atq; artus esse sapientiæ non temere credere. & cùm tuorum amicorum studia constituerũ, tum etiam obtrectatorum, atq; aduersariorũ rationes, & genera cognoscito. hæc tria sunt: vnũ ex ijs, quos læsisti aut lacessisti, qui sine caussa nõ amãt: tertium, qui cõpetitorum valde amici sunt. Quos læsisti cùm contra eos pro amico diceres, his te purgato plane: necessitudines commemorato: in spem adducito: te in eorum rebus, si se in amicitiã contulerint, pari studio, atq; officio futurum sponde to. Qui sine caussa non amant, eos aut beneficio, aut spe, aut significando tua erga illos studia futura, delinies, dans operã, vt de illa animi prauitate deducas. Quorum voluntas erit abs te propter competitorum amicitias alienior, his quoq; inserui eadẽ oratione, qua superioribus: & si probare poteris, te in eos ipsos cõpetitores tuos beneuolo esse animo ostendito. Quoniam de amicitijs constituendis satis dictum est, dicendum est de illa altera parte petitionis, quæ in populari ratione versatur. Ea desiderat nomenclationem, blanditiam, assiduitatem, benignitatem, rumorem, *spem, in rep. Primum id, quod

quod facis, vt homines noris, significa, vt appareat: & auge, vt quotidie melius fiat. nihil mihi tam populare, neque tam gratum videtur. Deinde id, quod natura non habes, induc in animum ita simulandum esse, vt natura facere videare. *non cõmittas tibi necesse est, ea, quæ bono ac suaui homini digna sunt, sed opus est magnopere blanditia: quæ etiamsi vitiosa est, & turpiù in cetera vita, tamẽ in petitione est necessaria: *tibi enim cùm deteriorem aliquem assentando facit, improba est: cùm amiciorem, non tam vituperanda: petitori verò necessaria est, cuius & frons, & vultus, & sermo ad eorum, quoscunq; cõuenerit, sensum & voluntatẽ commutandus est. iam assiduitatis nullum est præceptũ: verbũq; ipsum docet, quæ res sit. prodest quidem vehementer *nusquam deesse: sed tamẽ hic fructus est assiduitatis, non solùm esse Romæ, atque in foro, sed assiduè petere, sæpe eosdem appellare, non committere vt quisquam possit dicere, quod eius sit, consequi possis, si abs te non sit rogatum, & valde ac diligenter rogatum. Benignitas autem late patet, & est in re familiari: quæ quamquam ad multitudinem peruenire non potest, tamen ab amicis laudatur, & multitudini grata est: est in conuiuijs *quæ facete abs te, & amicis tuis concelebrentur & passim, & tributim: est etiam in opera, quam perulga, & communica: cura, vt aditus

eius ad te diurni, atq; nocturni pateãt, neque foribus solùm ædium tuarum, sed etiam vultu, & fronte, quæ est animi ianua. quæ si significant voluntatem abditam esse, ac retrusam, parui refert petere ostium: homines enim non modò *promitti sibi, præsertim quæ à candidato petant, sed etiã largè atq; honorificè promitti volunt. quare hoc quidem facile præceptum est, vt quod acturus sis, id significes te studiosè ac libenter esse facturum. illud difficilius, & magis ad tempus, quàm ad naturam accommodatũ tuam, quod facere nõ possis, *vt id iucundè neges. quorum alterũ est boni viri, alterum boni petitoris. nam cùm id petitur, quod honestè, aut sine detrimento nostro promittere non possumus: quo modo si quis roget, vt cõtra amicum aliquam caussam recipiamus: bene negandum est, vt ostendas necessitudinẽ, demonstres quàm molestè feras, alijs te id rebus* exacturum esse persuadeas. audiui hoc dicere quendã de quibusdã oratoribus, ad quos caussam suam detulisset: gratiorem sibi fuisse orationem eius, qui negasset, quàm illius, qui recepisset. sic homines fronte, & oratione magis, quàm ipso beneficio, req; capiuntur. verùm hoc probabile est. Illud alterum subdurum tibi homini planè perito suadere. sed tamen tempori tuo consulam: quibus enim te propter aliquod officium necessitudinis affuturũ negaris, tamen ij possunt abs

I te plac

te placati æquiq; discedere. quibus autem iccirco negaris, quòd te impeditum esse dixeris aut amicorum negotijs, aut grauioribus caussis, *aut antè susceptis: inimici discedunt, omnes sic hoc animo sunt, vt sibi te mẽturi malint, quàm negare. C. Cotta in ambitione artifex dicere solebat, se operam suam, *quod non contra officium rogaretur, polliceri solere omnibus, impartire ijs, apud quos optimè poni arbitraretur: ideóque se negare nemini, quòd sæpe accideret *caussa, cur is, qui pollicitus esset, vacuus foret plus quàm putaret: neque posse domũ eius compleri, qui tantum modo reciperet, quantum videret se obire posse: casu fieri, vt agãtur ea, quæ nõ putaris; illa, quæ crediderís in manibus esse, vt aliqua de caussa nõ agantur: deinde esse extremum, vt irascatur is, cui mendaciũ dixeris, id si promittas, & incertum est, & in diem, & in paucioribus. sin autem id neges, *statim abalienant se, & inimicantur: plures enim multo sunt qui rogant, vt vti liceat opera alterius, quàm qui vtantur. Quare satius est, ex ijs aliquos aliquando tibi in foro irasci, quàm omnes continuò domi: *præsertim cũ multo magis irascantur ijs, qui negent, quàm ijs, quem videant ea caussa impeditum, vt facere, quod promiserit, cupiat, si vllo modo possit. Ac ne videar aberrasse à distributione mea, qui hæc in hac populari parte petitionis disputem: hoc sequor, hæc omnia

omnia non tam ad amicorum studia, quàm ad popularem famam pertinere. etsi inest* aliquod dictũ ex illo genere, benignè respõdere, studioseè inseruire negotijs amicorum, ac periculis: tamen hoc loco ea dico, quibus multitudinem capere possis, vt de nocte domus compleatur, vt multi spe tui præsidij tenentur, vt amiciores abs te discedant quàm accesserint, vt quamplurimorum aures optimo sermone compleant. Sequitur enim, vt de rumore dicendum sit, cui maximè seruiendum est. sed quæ dicta sunt omni superiori oratione, eadem ad celebrandũ rumorem valent, dicendi laus, studia publicanorum, & equestris ordinis, hominum nobilium voluntas, adolescentulorũ frequentia, eorum, qui abste defensi sunt, assiduitas, ex municipijs multitudo eorum, quos tua caussa venisse appareat: bene homines nosse, comiter appellare, assiduè ac diligenter petere, benignũ, ac liberalem esse, bene loqui, *existimare, domus vt multa nocte compleatur, omnium generum frequentia adsit, satisfiat oratione omnibus, re, operaq; multis: *perficiatur, id quod fieri potest labore, & arte & diligentia, non vt ad populum ab ijs omnibus fama perueniat, sed vt in ijs studijs populus ipse versetur. Iam vrbanam illam multitudinem & eorum studia, qui conciones tenent, quæ adeptus es in Pompeio ornando, in Manilij caussa recipienda, Cornelio defendendo,

excitanda nobis sunt: quæ adhuc habuit nemo, quin idem splendorem omnium, voluntatesq; haberet. *Efficiēdū etiā illud est, vt sciāt omnes, Cn. Pompeij summam erga te esse voluntatem, & vehementer ad illius rationes, te id assequi, quod petis, pertinere. Vostremò tota petitio cura vt pompa plena sit, vt illustris, vt splēdida, vt popularis; vt habeat summā speciem, ac dignitatem, vt etiā si * quid possit, ne competitoribus tuis exsistat aut sceleris, aut libidinis, aut largitionis accōmodata ad eorum mores infamia. At etiam in hac petitione maximè videndum est, vt spes reip. bona de te sit, & honesta opinio. nec tamen in petendo resp. capessenda est, neq; in Senatu, neq; in concione. sed hæc sunt tibi re[illegible]enda, vt senatus te existimet ex eo, quòd ita vixeris, defensorē auctoritatis suæ fore: equites R.o. *bonī, & locupletes ex vita acta te studiosum otij, ac rerum tranquillarum: multitudo, ex eo dumtaxat quòd oratione in cōcionibus, ac iudicio popularis fuisti, te à suis commodis alienum non futurum. Hæc mihi veniebant in mentē de duabus illis *commotionibus matutinis, quo tibi quotidie ad forum descendenti meditandū esse dixeramus: Nouus sum. Consulatum peto. Tertium restat, Roma est, ciuitas ex nationū conuentu constituta: in qua multæ insidiæ, multa fallacia, multa in omni genere vitia versantur: multorum arrogantia, multo

multorum contumacia, multorum maleuolentia, multorum superbia, multorum odia ac molestia perferenda est. video esse magni consilij, atq; artis, in tot hominum cuiusq; modi vitijs, tantisq; versantem vitare offensionem, vitare fabulam, vitare insidias, esse vnum hominem accommodatum ad tantam morum, ac sermonum, ac voluntatum varietatem. Quare etiam atq; etiam perge tenere istam viam, quam instituisti: excelle dicendo: hoc & tenentur Romæ homines, & alliciuntur, & ab impediendo, ac lædendo repelluntur. Et quoniā in hoc vel maximè vitiosa est ciuitas, quòd, largitione interposita, virtutis, ac dignitatis oblitiscī solet; in hoc fac vt te bene noris, id est, vt intelligas, eū esse te, qui iudicij, ac periculi metum maximum competitoribus afferre possis: fac itaq;, vt se abs te custodiri, atque obseruari sciant. cùm diligentiam tuam, tum auctoritatem vimq; dicendi, tum profectò equestris ordinis erga te studiū pertimescent. Atque hæc ita te volo illis proponere, *nō vt videare accusationem meditari, sed vt hoc terrore facilius hoc ipsum, quod agis, consequare. & planè sic cōtende omnibus neruis, ac facultatibus, vt adipiscamur quod petimus. Video esse nulla comitia tam inquinata largitione, quibus non gratis aliquæ centuriæ renuntiēt suos maximè necessarios. quare si aduigilamus pro rei dignitate, & si nostros

ad summum studium beneuolos excitamus, & si hominibus gratiosis studiosisq; nostri suum cuique munus describimus, & si competitoribus iudicia proponimus, si ex equestribus metum iniycimus, diuisores ratione aliqua coërcemus: perfici potest, vt largitio nulla fiat, aut nihil valeat. Hæc sunt, quæ putaui non melius scire me, quàm te, sed facilius his tuis occupationibus colligere vnum in locum posse, & ad te perscripta mittere. quæ tamẽ ita scripta sunt, vt nõ ad omnes, qui honores petant, sed ad te propriè, & ad hanc tuam petitionem valeant. tamen tu, si quid mutandum esse videbitur, aut omnino tollendum, aut si quid erit præteritum, velim hoc mihi dicas: volo enim hoc commentariolum petitionis haberi omni ratione perfectum.

*

FINIS.

I. M. B. IN M. TVLLII Ciceronis librum primum de Natura deorum ad M. Brutum animaduersiones.

3.15. Vt magno argumento esse debeat, causam, id est principium Philosophiæ esse scientiam.) Hunc locum P. Victor. tamquam depraua-tũ asteriſco notat; à quo Manutius dissentit, & quidem post illum Hadrianus Turnebus; qui eadem fere, quæ Manutius, in medium affert. Equidem tametsi vtrique, vt debeo, plurimum tribuo, nisi quis tamẽ hoc loco pro scientiæ cupiditate & studio, scientiam accipi malit, cuius rei exemplum requiro; cum Victorio suspicor locum non carere mendo. Nam si auctoritate magis, quam ratione pugnandum est, quod minime tamen vmquam faciam, tanti apud omnes esse Victorij auctoritas debet; quãti doctissimi hominis vir ingenij acerrima, studium summũ, & vigilantia videtur postulare. Xystus Betuleius certe ita vitiũ agnoscit, vt locum desperet sine veterum codicum ope, vlla ratione sanari posse. cuius viri memoria ob singularem eruditionem, & maximarum rerum scientiam est semper illustris apud posteros futura.

19. Quid est enim temeritate fortius? Vidit

hoc loco Manutius, vocem, fortius, in malam partem accipi oportere: cuius notionis nusquam meminit se legisse: itaque corrigendum locum, & pro, fortius, sædius, legendum suspicatur. Porro alibi Cicero in malam partem hac voce vtitur; vt quin ita legi debeat minime dubitari possit: ita enim ille in oratione pro Quinctio: Dolabella (quemadmodum solent homines nobiles, seu recte, seu perperam facere cæperunt, vt nemo nostro loco natus assequi possit) iniuriam facere fortissime perseuerat. hoc est, plane obfirmato animo, & præfracto ad faciendam iniuriam. Vnus præterea atque alter locus à Turnebo adducitur, qui, vt nos, fortius, legendum contendit Aduersar. lib. 14. cap. 14.

27. Protagoram Athenienses è ciuitate ejecerunt; quod se habere negaret, quid de diis statueret. quod eodem libro infra etiam Cicero affirmat, libris illius omnibus in foro, spectante populo, crematis. Fuit patria Abderites, siue, vt Eupolis tradit, Teius, Democriti auditor, atque ob singularem virtutis opinionem Sapientia cognomẽto appellatus. Auctor Laërtius. Suidas ait primũ omnium ob captiosum dicendi genus quo vti in disputationibus instituit, Sophistem vocatum.

27. Diagoras Melius qui dictus ἄθεος est, poseaque Theodorus, deos aperte sustulerunt, vt Cicero eodem libro ait. Inde, vt videtur, qui

qui male de diis sentirent, Melii nominari cœpti. quo nomine Socratẽ in Nebulis Aristophanes insectatur: quem Socratem, Melium contumeliose appellat. De Diagora videnda quæ Cicero tradit de Natura deorum lib. 3. circa finem. Theodorum quidem patria Cyreneum principio & ipsum ἄθεον appellatum, postea deum, auctor est Laërtius in Aristippo; quod illi cognomen fluxisse ait è quodam sermone, quem cum Stilpone Megarensi de diis habuit. Ab eo Theodorii philosophi, qui eius familiæ essent appellati. Huius constantiam Cicero miris laudibus effert Tuscul. lib. 1. & lib. 5. Miserat autem eum legatum ad Lysimachum Ptolemæus Lagi Aegypti rex, vt idem Laërtius est auctor; qui de hoc sermone, quem cum Lysimacho Theodorus habuit, aliquanto diuersa à Cicerone tradit.

47. Quod verò maxime rem causſamq; continet, vtrum nihil agant, nihil moliantur, ab omni curatione, & administratione rerum vacent; an contra ab his, & à principio omnia facta, & constituta sint, & ad infinitum tempus regantur, atque moueantur; in primis magna quæstio est. Ita Manutius legẽdum putat: cum idem tamen nullam causſam esse affirmet cur sibi receptam lectionem improbandam existimet.

48. Sunt autem alii philosophi) In his maxi-

me Stoici; quorum decreta omnia Carneadei oppugnare acerrime, & conuellere conatur.

20. Carneades genere Pœnus, patria Cyrenæus, Egæsimi auditor, qui Euãdrum audierat Lacydis discipulum, cũ Arcesilæ Lacydes fuisset, vt Cicero ait quærtus ab Arcesila, nullius philosophiæ partis ignarus, atque incredibili dicendi facultate, morem disputandi in vtramque partem, quo princeps Socrates vsus erat, in Academia tenuit. Summum bonum esse credidit frui ijs rebus, quas prima homini natura conciliauisset, non quòd probaret, sed vt opponeret Stoicis, contra quorum disciplinam, vt erat vehementi ingenio, maxime exarserat. Hæc quidem Cicero; apud quem crebro Carneadis mentio est. Laërtius varia de eo tradit, cum accurate in primis Stoicorum scita perlegisset, modice ijs, ac verecunde adeo reluctatum esse, vt crebro illud vsurparet, Si Chrysippus non esset, non essem ego. Adeo studiosus quidem fuit tuendi ea quæ sentiret, vt aduersus Zenonem disputaturus helleboros sumpsisse dicatur. Vixit, vt Cicero ait, annos nonaginta, vt Laërtius ex Apollodoro octoginta quinque, cum Olympiadis centesimæ sexagesimæ secundæ anno quarto decessisset.

6.13. Desertæque disciplinæ.) Vt iureconsulti τὸ ἐρημοδίκειν, desertam caussam, cum quis ad diem vadimonium non obijt, appellant. Vide

de Budæi prior. annotat. in Pandectas. Hotoman. comment. de verbis iuris.

20. Quod & orationes nostræ declarant.) Ita legit Lamb. vocem, nostræ, alij non habent.

23. Diodotus.) Huius mentio est apud Ciceron. in libro de Claris oratoribus, Tusculan. quæstio. libr. 5. Academic. quæstio. lib. 4. Diodoto quid faciam Stoico; quem à puero audiui, qui mecum vixit tot annos, qui habitat apud me: quem & admiror, & diligo, qui ista Antiochea contemnit? Nam in Tusculanis, eundem ait ea acie ingenij fuisse, vt oculis captus geometriæ munus tueretur, verbis præcipiès discentibus, vnde, quo, quamq; lineam scriberent. In alijs fere omnibus excusis pro, Diodotus, Diodorus male legitur.

23. Philo.) Huius & alibi Cicero meminit, & in dialogo de claris oratoribus in primis. Eodemq; tempore, inquit, cum princeps Academiæ Philo cum Athenensium optimatibus Mithridatico bello domo profugisset, Romamq; venisset, totum ei me tradidi, admirabili quodam ad philosophiam studio concitatus, & quæ sequuntur.

24. Antiochus.) Cicer. in Dialogo de claris orator. Cum venissem, inquit, Athenas, sex menses cũ Antiocho veteris Academiæ nobilissimo, & prudentissimo philosopho fui; studiumq; philosophiæ numquam intermissum, à prima

primaque adolescentia cultum, & semper auctum, hoc rursus summo auctore, & doctore renouaui. Is à principio Philonis auditor, postremo Academia improbata, ad Stoicos descisit.

24. Posidonius.) Huius fuit Cicer. auditor, nõ solum clari è Stoicorum familia philosophi sed astrologi etiã summi. Affirmat enim Cic. de Natura deorum lib. 2. eius inuentum fuisse sphæram, cuius singulæ conuersiones idem efficerent in sole, & luna, & in quinque stellis errantibus, quod singulis diebus ac noctibus in cælo efficitur. Tãta quidẽ eius opinio fuit, vt Põpeius, cõfecto Mithridatico bello, intraturus illius domum, fores percuti de more à lictore voluerit, & fasces ianuæ submiserit is, cui se oriens occidẽsq; submisisset. auctor Plin.

28. Sin autem quæ requirit.) Quæ caussa Ciceroni fuerit, se rursum ad philosophiæ studia conuertendi cum Plutarchus in eius vita, tum ipse ad Sulpicium tradit, epistolarum, quas familiares vocant, lib. 4. epist. 3.

7. 17. vt à Græcis ne verborum quidem copia vinceremur.) Is locus fusius tractatur, 1. lib. & 2. de Finib. in principio, & lib. 2. Tuscul. quæst.

8. 15. Profecta à Socrate.) Quot philosophorum familiæ ab vno Socrate manarint, docet Cicero lib. de Orator. 3. in Crassi persona.

27. Quam nunc propemodum orbam.) Quippe quæ in Clitomacho defecerit, qui Carneadis fuit auditor; quo tempore qui eum audierat Philo, Romæ apud principes ciuitatis auctoritate maxime, & gratia florebat.

10. 19. Nam cum ferijs Latinis.) De ferijs Latinis accuratissime scripsit Alexander Genial. die. lib. 5. cap. 7. ex Cicerone, Macrobio, alijs: Onuphrius Panuinius comment. in lib. Fastor. primo, ex Dionys. lib. 4. Liuio, & Plutarcho in Camillo. Nicolaus Gruchius libr. 2. de comitijs, & nostri temporis alij viri pereruditi.

11. 4. M. enim Piso si adesset.) M. Pisonis cum alibi Cicero meminit, tum initio lib. 5. de Finibus, Cum audiuissem, inquit, Antiochum Brute, vt solebat, cum M. Pisone disputantem in eo gymnasio, quod Ptolemæium vocatur, & quæ sequuntur. Inducitur autem à Cicerone Peripateticorum partes aduersus Stoicos tueri: quorum disciplinam acerrime oppugnat.

11. 11. Re concinere videntur. Victor. Manut. Aldus, Gryph. liber manuscr.

15. Qui honesta à commodis.) Vide Cic. lib. 3. de Finib. vbi hæc ab illo quæstio copiosissime tractatur: partibus ad Carneadem translatis.

25. De natura agebamus deorum.) Videbatur esse quæstio ab inscriptione instituenda, vt recte Xystus Betuleius sentit. Nisi enim quis dicat natum esse deum, quod æque impium atq; absurdum est, cum natura à verbo nascendi latinis dicatur, vt φύσις Græcis à verbo φύω, haud

haud recte, atq; ordine dicendum est, ita hos libros esse inscriptos.

12.11. Et ex Epicuri intermundijs.). Eadem voce vtitur lib. 2.de Finibus, Individua, inquit, & intermundia, quæ nec sunt vlla, nec possunt esse, & quæ sequuntur. Finxerat enim Democritus, à quo hæc Epicurus accepit, interiecta inanitatis spatia inter mundos innumerabiles, quæ intermundia Cicero appellat. Vide Petri Victor. Annotat. à quo hæc habebis tractata fusius, atque accuratius.

13.1. Longum est ad omnia, Victor. quam lectionem Ioachimus Camerarius probat. ita Terent. longum est, Clitipho, si tibi narrem, & quæ sequuntur.

5. Sed etiam manu pæne fictum.) Videtur verbum græcum ἐγχειρῶν expressisse: quo est vsus Plato in Timæo. Betul.

11. Pronæa vero vestra, si eadem est.) Ita Lamb. legit optimam secutus rationem. (præpostere enim pronomen eadem positum in vulgatis videtur) vt his respondeat, quæ paulò infra ait, Sin alia est, cur mortalem fecerit mundum, & quæ sequuntur.

15.21. Thales Milesius.) Is è Phœnicia oriundus ex Thelidarum familia, qui originem generis in Cadmum, & Agenorem referebant, primus omnium hominum, Sapiens, nominatus est. Idem princeps immortales hominum animos esse docuit; cæli naturam, signorum ortus, obitus obseruauit; Astrologiam tradidit, rerum cælestium peritus; geometriæ præcepta ab Aegyptijs mutuatus primus circulu triãgulum rectis lateribus describisse fertur; atq; eius rei caussa dũs, quod Pythagoræ Cic. attribuit, bouem immolasse. primus defectionem Solis, quæ Astyage regnante, facta est, prædixisse fertur, vt ait Cic. de diu. 1. Aquam esse rerum initium credidit; quod quidam illum ab Homero hausisse existimant, cuius celebre carmen fertur Ὠκεανὸς ὅπερ γένεσις πάντεσσι τέτυκται. Vide Plutarchum in Homero, & Placitorum lib. 1. Diogenem Laërtium in primis, qui eius vitam omnium conscripsit diligentissime.

14. Si dij possunt esse sine sensu.) Aliter Lãb. Si dij possunt esse sine sensu, & mente, cur mentem aquæ adiunxit? cur aquam menti, si ipsa mens constare potest vacans corpore.

16. Anaximander Thaletis auditor, vt Laërtius ait, cælestia sidera deo esse dixit: Auctor Plutarchus in Placitis.

16.2. Anaximenes.) Is Anaximandrum audiuit; atque, vt Laërtius in Thaletis vita, & in Academicis Cicero tradidit, Aërem principiũ rerum esse dixit; vt Lactantius, Aethera, quæ in sententia fuisse quoq; Cleanthem affirmat.

8. Anaxagoræ Clazomenius, Mens cognomento appellatus, Anaximenis perstudiosus, deũ esse

esse affirmauit infinitam mentem, quæ per se ipsa moueretur. Anaxagoram quidem Periclem audisse, & Cicero de orat. lib. 3. & Plutarchus in Pericle testatur; quem ab eo animi magnitudinem, & grauitatem vitæ, atque constantiam, cum princeps ciuitatis esset hausisse affirmat. Eius laudes Cicero Tuscul. lib. primo, & lib. 5. persequitur. Nam in Academicis quæstion. magna illum fuisse grauitatis, atque ingenij gloria tradidit, vt plurimum illi debere Periclem Socrates apud Platonem contendat, quem eo præstitisse ceteris oratoribus ait, quod Anaxagoræ fuerit auditor: à quo censet eum, cum alia præclara, & magnifica didicisset, vberem in dicendo & copiosum fuisse. Auctor Cicero in oratore ad Brutum.

22. Alcmæon Pythagoræ auditor, Pittaci æqualis fuit. Auctor Cyrillus lib. 1. contra Iulianum eum vitam palustri loco, & cœnoso tumultus vitandi caussa, procul à cœtu hominum egisse. Betul.

25. Pythagoras Pherecydis discipulus opinionem de immortalitate animorū vnus maxime confirmauit: cumque in Italiam venisset, exornauit eam Græciam, quæ magna dicta est, & priuatim, & publice præstantissimus & institutu, & artibus; eamque tenuit cum honore, & disciplina, tum etiam auctoritate, Tarquinio Superbo Romæ regnante; vt quod Cicero tradit, verisimile sit, illius doctrinam Romam permanauisse. Primus Sapientis nomen asperuatus, philosophum se, hoc est, sapientiæ studiosum professus est. Hæc ex Cicerone, apud quem crebro Pythagoræ mentio est; atq; adeo eius magna cum laude. Cetera vide apud Laërtium in Pythagora.

17. 7. Xenophanes.) De hoc legenda quæ Laërtius, & Suidas tradidit. Cicero quidem illius meminit in Academicis his verbis, Et quam non multum dissenserunt à Platone Megarici, quorum fuit nobilis disciplina: cuius, vt scriptum video, princeps Xenophanes, quem modo nominaui. Et rursus, Xenophanes vnum vult esse omnia, neque id esse mutabile, & id esse deum, neq; natum, & sempiternum, & conglobata figura. Et de Diuinat. lib. 1. Colophonius Xenophanes vnus qui deos esse diceret, diuinationem funditus sustulit. Lege Gyraldum Histor. poeticæ lib. 1.

12. Parmenides.) Cicer. in Academicis. Parmenides ignem statuit principium, qui moueat terram, quæ ab eo formetur. Plutarchus de Placit. Philosoph. 1. 7. Budæo interprete. Parmenides tamquam coronas inter se complexas ex denso, raroque deinceps alternantes, inuicemque ex lumine, & caligine interfitis mistas: eorum vero supremum ambitum muri instar solidum.

23. Empedocles.) Cicer. Empedocles physicus, idemq; poëta optimus egregiũ fecit poëma: quattuor elementa velut materiem communem omnium rerum adhibuit: sensit nihil nos sentire, nihil cernere, nihil omnino quale sit posse reperire: quæ in rerum natura, totoque mundo constarent, quæque mouerentur, ea contrahere amicitiam, dissipare discordiam. Lactant. lib. 2. cap. 13. ait quæ de elementis tradiderit ab Hermete Trismegisto hausisse. Vide Laërt.

28. Protagoras.) De hoc iam in principio diximus. Si quis plura desiderat, Laërtiũ adeat.

18. 2. Democritus.) Cicer. Democritus vir magnus in primis, cuius fontibus Epicurus hortos suos irrigauit; nutare videtur in natura deorum: quos tamen, si qui sunt, esse dicit principia, mentesque quæ sunt in vniuerso, imagines diuinitate præditas vniuersitati rerum inesse arbitratus. Ex indiuiduis omnia gigni affirmauit; atomorum concursu quodam fortuito mundum effor matum: ac Leucippo simile plenum, & inane principium omnium rerum statuit: necessitate omnia fieri maluit fateri, quam à corporibus indiuiduis naturales motus auellere: infinitorem, quam ἀπειρίαν vocant, tum innumerabiles mundos, qui & oriantur, & intereant quotidie inuexit. Vide plura apud Laërtium.

Diogenes

18. 10. Diogenes Apolloniates.) Augustinus de Ciuitate dei lib. 8. cap. 2. Diogenes quoque Anaximenis auditor, aërem quidem dixit rerum esse materiam, de qua omnia fierent: sed eum esse compotem diuinæ rationis, sine qua nihil ex eo fieri posset. Ab Orpheo hæc sententia manauit, cuius versum Lactant. citat lib. 1. cap. 5. Πρωτόγονον & φαίδιμον εὐρυμέτωπον ἤερος υἱόν. Ex Betuleio.

13. Platonis inconstantia.) Eadem hæc ab Eusebio notantur, lib. 13. cap. 8. de Præparatione euangelica. Verba autem Platonis ex Timæo vertit ita Cicero in lib. de Vniuers. Atque illum quidem quasi parentem huius vniuersitatis inuenire difficile, & cum iam inueneris, indicare in vulgus nefas. Betul.

15. In legum autem libris.) E lib. 7. verba Athenienses hospitis designantur. Vide Lactant. de Ira dei cap. 11. Betul.

21. Et mundum deum.) Cicer. de Vniuers. ex Platonis Timæo. Ad hanc igitur conuersionem, quæ pedibus, & manibus non egeret, ingrediendi membra non dedit deus is, qui erat, de aliquando deo futuro cogitans. Et paullo post, Sic deus ille æternus hunc perfecte beatum deum procreauit. Betul.

23. Et astra.) Ζῶα θεῖα hoc est, diuina animantia, sidera in Timæo nominat Plato, τὸ δημιουργὸν conditorem mundi ἀίδιον θεὸν,

mundum dei opus, θεὸν αἰσθητὸν, *appellat.* Betul.

23. *Et terram.*) Cicero de Vniuerſ. cuſtodem antiquiſſimam deorum terram nominat. Idem verba illa Platonis è lib. de legibus 11. γῆ μὲν ἓν ἑστίαν οἰκήσεως, ἱερὰ πᾶσι πάντων θεῶν *ſic vertit lib. de legib.* 2. *Terra igitur, vt focus, domicilium ſacrum deorum omnium eſt. Sed non ob id terra, deus, quod habitatio deorum ſit.* Betul.

24. *Et animos.*) In decimo de legibus Plato Animam mentis participem deum facit.

24. *Et eos, quos maiorum inſtitutis accepimus.*) Deos *patrios, quos maiores religione ſumma, & pietate colebant.*

27. Xenophon, *dei formam quærendam non eſſe, diſputat cum* Euthydemo in 4. τῶν ἀπομνημονευμάτων. Vide Lactant. de ira dei cap. 11. Betul.

19. 5. Antiſthenes *in eo libro, qui* Phyſicus *inſcribitur.*) Betuleius *pro* Phyſicus *ſuſpicatur,* Phyſiognomonicus, *legendum ex* Laërtio, *apud quem in recenſione eorum, quæ* Antiſthenes *ſcripſit, nulla eius libri eſt mentio, cum idem hanc inſcriptionem agnoſcat.* Betul.

8. *Speuſippus.*) Huius definitio, *deum his verbis, circumſcribebat,* θεὸς, ζῶον ἀθάνατον, ἀνάρχῃς πρὸς εὐδαιμονίαν, οὐσίᾳ ἀϊδίος, τῆς ἀγαθοῦ φύσεως ἄιλία. Quæ Speuſippi definitio quam

quam huic conueniat, quæ à Cicerone affertur, docti viderint. Betul.

13. A *magiſtro* Platone non diſſentiens.) Ita ex ingenio conjecit Manutius legendum. Neque enim ab vno tantum Ariſtoteles diſſentiebat; & eandem fere ſententiam de dijs tuebatur.

19. Xenocrates.) Scripſit, inquit Betuleius, περὶ θεῶν *libros duos; vt facile ſit videre quid Cicero in inſcriptione huius operis ſequutus ſit.* Nam quod Græcis, eſt ſimpliciter περὶ θεῶν, ipſe de Natura deorum tranſtulit. Is eſt Xenocrates de quo Plato dicere ſolebat, cum illum Ariſtoteli conferret, Alterum freno, alterum calcaribus egere; & illud multo grauiore eius ingenij nota, Cui equo, quem aſinum iungo? Ac ſuperius quidem dictum Cicero Iſocrati attribuit, cum eius de Theopompo, atque Ephoro iudicium referret; quorum illum indigere freno, hunc calcaribus affirmabat. Vide Laërtium.

20. 9. Ponticus Heraclides.) Speuſippi auditor Allegorias Homericas ſcripſit; quæ hodie exſtant, à Conrado Geſnero Latinæ factæ. Eas videtur Laërtius λύσεων ὁμηρικῶν inſcriptione recenſere. Betuleius.

14. Eodemque libro.) Vt recte cenſet Betuleius, aliquid in antecedentibus videtur deeſſe: quo enim libro, cum nullius antea meminerit?

16. Theophraſti inconſtantia.) Inter ea, quæ

à Theophrasto scripta temporis iniuria perierunt, illa desiderantur, ἐγκώμια θεῶν, περὶ ἐρώτων, περὶ θεῶν, τῆς περὶ τὸ θεῖον ἰσορίας, in quibus ea forte inerant, quæ hic à Cicerone reprehenduntur.

19. Strato is qui Physicus appellatur.) Causam Cicero in Academicis reddit. Is cum maxime necessariam partem philosophiæ, quæ posita est in virtute, & in moribus reliquisset, totumque se ad inuestigationem naturæ contulisset; in ea ipsa plurimum discedit à suis. In ijs quæ scripta reliquit, περὶ θεῶν numerantur. Quid porro de dijs sentiret, Cicero in Academicis ostendit, Ecce, inquit, tibi è transverso Lampsacenus Strato, qui det isti deo immunitatem magni quidem muneris. Sed cum sacerdotes deorum, vacationem habeant, quanto est æquius habere ipsos deos?

23. Zeno patria Citiæus ex Cypro insula, Cratis primum auditor, deinceps Stilponis, & Xenocratis, quibus fuit per decem annos perpetuo addictus, postremo Polemonem audiuit. Princeps porticum frequentauit. vnde Stoicorum familia, quos ait Laërtius aliquando ab illius nomine Zenonios appellatos. Tanta apud Athenienses auctoritate floruit, vt apud illum vrbis claues deponerent; illius memoriam decreta illi aurea corona, & statua ærea ad posteritatem commendarint. Illius decreta Cicer. lib. 3.

lib. 3. de Finibus refutare atque conuellere aggressus, in oratione pro Murena deridet; in paradoxis tueri constanter, atque acerrime conatur. Vide Laërtium.

21. 4. Rationem quandam per omnium naturam pertinentem.) Apud Plutarchum legitur, πνεῦμα διῆκον δι' ὅλου κόσμου. Quæ caussa Betuleio fuit, vt pro pertinentem, pertingentem legendum putaret. Cum tamen verbum, pertinere, apud idoneos latinæ linguæ auctores idem valeat, quod verbum, pertingere.

8. Hesiodi Theogoniam.) Scripsit autem Zeno non solum in Hesiodi Theogoniam, sed in vtrumque Homeri opus commentarios; in quibus nihil aliud docet, quam quibus in rebus veritatem, quibus opinionem sit Homerus secutus. Auctor Dion Chrysostomus in oratione de Homero.

9. Vsitatas perceptasq; cognitiones deorum.) Pro, vsitatas, Manutius, insitas legit ex Masfei libro manuscripto, & certa adeo ratione. Ita autem & infra loquitur, Insitas, inquit, deorum cognitiones habemus. Et Lucretius optimus Latinitatis auctor, libro 5. -Insita notities vtilitatis. Manutij coniecturam Lambinus probat, qui ita edidit. In eo variat, quod pro hac voce perceptas, recte, ni fallor, præceptas emendat. Ita enim videtur legendum.

13. Inanimis, Victorius legit, vbi alij, inanimatis, habent, præter Lambinum, qui Victorio suffragatus, inanimis, edidit.

15. Zenonis auditorem Aristonem fuisse præter Ciceronem, Laërtius affirmat, cuius optimam, verissimamque sententiam nequidquam Velleius labefactare conatur. Ex Beuleio.

19. Cleanthes & cum Aristone Zenonem audiuit, & illi in porticu successit. Auctor est Laërtius, adeo pertinaci studio in litteris versatum esse, vt angustijs rei familiaris coactus, aquis in hortis hauriendis, vnde illi φρεάντλης cognomentum, & pinsendis farinis operam locaret: vt cum in iudicium vocatus cogeretur caussam dicere qua arte innixus cum robore virium, & laterum firmitate præstaret, victum toleraret, testimonio eorum, quibus operam locabat ab Areopagitis absolutus, atque adeo dignus habitus sit, qui ob tantæ virtutis admirationem triginta etiam minis donaretur; quas Zeno, quo doctore vtebatur, illum accipere vetuit. Vide Laërtium.

20. Tum ipsum mundum.) Plutarchus non Cleanthis modo, sed Stoicorum omnium hanc fuisse opinionem affirmat: Cleanthis & Anaximenis Lactant. lib. primo, cap. 5. qua in sententia Virgilium fuisse putat, cuius de eo versus è Georg. lib. 2. affertur, Tum pater omnipotens fecundis imbribus æther Coniugis in gremium lætæ descendit.

22. 4. At Persæus.) Alijs, inquit Betuleius, Persæus est: quem nonnulli Zenonis necessarium, alij famulum, Dion Chrysostomus filium fuisse affirmat. Quisquis fuerit, eadem, quæ Zeno decreta, & placita probauit. Auctor Epiphanius.

13. Chrysippus patria Solensis, siue, vt alij malunt, Tarsensis, Cleanthis auditor, tantus in dialecticis est habitus, vt illud increbruerit, si dij essent dialecticis vsuri, vnius Chrysippi fuisse probaturos. Laboris omnium patientissimus, voluminum septingenta quinque scripta reliquisse fertur: in quibus tamen aiunt plurimum alienis vsum; vt si quis demeret, quæ aliunde mutuatus esset, littera quæ Chrysippi esset, nulla fuerit futura. Auctor Laërtius ex Apollodoro.

17. Informare hic proprie dictum, pro fingere animo, & mente cõcipere. φαντάζειν græcis est.

19. Ait enim vim diuinam.) Hæc ita apud Lactantium efferuntur: Chrysippus naturalem vim, diuina ratione præditam, interdum diuinam necessitatem, deum nuncupat. Betul.

23. 19. Diogenes Babylonius.) Hunc, auctor est Laërtius, cum è Seleucia esset, Babylonium ob vicinitatem dictum. Ciceronis testimonio magnus philosophus inter Stoicos, & grauis habi

habitus, ab Atheniensibus cum Carneade dicitur legatus ad senatum missus esse, Lælij & Scipionis ætate: quo tempore coli cœptum Romæ sapientiæ studium affirmat Cicer. Tuscul. quæstionum lib. 4.

24. 21. Ex illo cælesti Epicuri de regula, & iudicio volumine.) Idem de Finib. lib. primo, Tum vero, si stabilem scientiam rerum tenebimus, seruata illa, quæ quasi delapsa de cælo est ad cognitionem omnium regula, ad quam omnia rerum iudicia dirigentur, &c. Ita Plutarchus aduersus Coloten Epicureum. Οὐ γὰρ κολάστη μὲν ὁ ἄρης, ἄρτος δ' ἐφαίνετο, καὶ χόρτος, ὁ χόρτος, ὅτι τοὺς διοπετεῖς ἀπηγγύκει κάνονας. Ex quibus apparet, expressisse Ciceronem hoc loco vocem διοπετῆ, quod lib. 1. de Finibus, delapsum de cælo dixit, verbo cælesti: Vide Victor. Varia. lect. A. lib. 19. 6.

25. 8. Πρόληψιν. Hæc vox ita definitur apud Laërtium in vita Epicuri: τὴν πρόληψιν λέγουσιν οἱονεὶ καθάλημψιν, ἢ δόξαν ὀρθὴν, ἢ ἔννοιαν, ἢ καθολικὴν νόησιν ἀναπεφωλιδευμένην, τ' ἔστι μνήμην τῶν πολλάκις ἔξωθεν φανέντων. Vide Laërtium, & Betuleium.

27. 5. Vt manu doceat.) Pro doceat, vna modo littera vocali sublata, docet, legendum recte Manut. putat. Verbum, doceat, retinet Lambinus, sed ne claudicare oratio videatur, posti, doceat, verbum aliud, docet, addit. Turneb.

priore loco, pro, doceat, legit ducat; verbum, docet, non addit: cum nisi id, aut aliud, quod idem valeat addatur, nihilominus sit oratio manca fistura.

13. Et ad deos affluat.) Manutius. Legendum puto, A deo affluat, sententia ita postulante; de quo dubitandum eo minus est, quod infra eodem libro, Cum, inquit, ex ipso imagines semper affluant, &c. Et Lucretius nostram coniecturam lib. 4. plane confirmat. Lambinus, Et ad nos affluat, legit; quomodo infra etiam legit sub finem libri, eodem quo Manutius vtitur, loco, cumque ex ipso imagines semper ad nos affluant. Nam ceteri, ad nos, non habent. Vtramuis lectionem probes, haud magni quidem interesse putem vulgatam, tamen vt alijs emendandi locus sit, si modo lectio corrupta videtur, retinui.

28. 21. Plutarchus lib. 1. 1. Placit. Δημόκριτος καὶ ἐπίκουρος καὶ τούτων μαθητὴς μητρόδωρος ἀπείρους κόσμους ἐν τῷ ἀπείρῳ καὶ πᾶσιν περίστασιν, &c. Vide Betuleium.

25. Vt tragici poëtæ.) Id ex Platonis Cratylo sumptum; quod etiam alij antea animaduerterunt. ἐν μὲν ἄρα δὴ ὥσπερ οἱ τραγῳδοποιοὶ ἀπιδὼν τί ἀπορῶσιν ἐπὶ τὰς μηχανὰς ἀποφέυγουσι, θεὸς ἄιρονται.

29. 16. Quam εἱμαρμένην.) Hoc loco adeũdus

Gellius

Gellius lib. 6. cap. 1. qui pertinentia quædam ad hanc sententiam ex Chrysippo affert. Et Iulius Firmicus lib. 1. cap. 3.

30. 2. Coryphæus Latinis præsultor: Ciceroni hoc loco, princeps dignitate; quomodo infra mox eundem appellat, etymi ratione minime obscura.

41. 13. Auctore vtar Simonide.) Eadem fere respondisse rogatum Cræso regi Thaletem Tertullianus est auctor.

32. 27. In principio libri sui.) Hunc ait Laërtius recitatum Athenis in Euripidis, siue, vt alij tradunt, in Megaclidis domo; alij hoc actum in Lyceo affirmant.

33. 7. Tubulus.) De Tubulo videnda, quæ à Cicerone traduntur de finibus libro secundo. De Lupo quidem hæc poëta Satyricus. Secuit Lucilius vrbem, Te Lupe, te Muti, & genuinum fregit in illis.

20. Nihil est enim.) Nonnulli locum hunc notandum, tamquam mancus esset, asteriscos censuerunt.

26. Leucippi.) De Leucippo hæc Lactant. de Falsa sapientia cap. 17. Vbi enim sunt aut vnde ista corpuscula? Cur illa nemo præter vnum Leucippum somniauit? à quo Democritus eruditus hereditatem stultitiæ Epicuro reliquit.

34. 23. Id natum aliquando sit) Hic tamquã aliquid

aliquid desit, duo verba, necesse est, à Lambino adduntur. Alijs non videtur ob id manca oratio esse.

36. 17. Tam facile quidem credam.) Tamen facile quidem credam, Manutius emendat, mendum subesse arbitratus. Equidem particulam, tam, habere respectum ad superiora existimo, & idem valere, quod, æque. Neque enim hoc loco solum hæc vox posita semel inuenitur. Quamquam Manutij lectionem non solum non improbo, quæ præsertim nititur auctoritate veteris exemplaris, sed etiam sequor.

24. Pamphilum quendam.) Errant, qui hunc Pamphilum, eundem esse credunt, quem Plato, cum in cæsorum acerno decem dies iacuisset, rogo impositum reuixisse ait, ac quæ vidisset mortis tempore, narrasse, quæ admirabilia audientibus viderentur. Nomen enim illius Erus fuit, Pamphilius genere; vnde erati occasio imperitis oblata. Vide Macrobium in comment. in librum sextum de republica, in principio, Valerium lib. 1. cap. 8. de Miraculis.

37. 1. In Nausiphane tenetur.) Huius auditorem Epicurum fuisse auctor est Apollodorus in chronicis.

20. Vt Pythagoras solebat alienas.) Symbola enim scribebat, quibus amicis modo, quasi per occultas notas sua scita, ac placita communicabat.

nicabat. Ex his explicata quædam à Lilio Gyraldo aliquot ab hinc annis Basileenses ediderunt.

21. Heraclitus.) Is ob consulto affectatam obscuritatem σκοτεινὸς dictus. Exstat de eo Socratis iudicium, cum illi Euripides eius scripta obtulisset, & quid de ijs sentiret percunctatus esset, sibi quæ intellexisset præclara visa esse, atque adeo eandem de ijs, quæ minus assecutus esset suam sententiam esse; sed ea tamen natatore Delio indigere: id quod postea in prouerbium abijt. Vide Laërtium.

27. In Venere Coa.) Auctor Athenæus in ea pingenda Apellem Phrynes exemplo vsum nobilis scorti Athenienſis. Vide Plinium.

38. 28. Sed tu hoc Physice non vides.) Locus is à Petro Victorio obseruatur Variarum lectionum lib. XI. A, & cum Epicharmi Siculi comici poëtæ loco confertur; qui apud Laërtium exstat in Platonis vita: Θαυμαστὸν ὡδί μοι τοῦτ' ἔτω λέγειν καὶ ἀνθάνειν αὐτοῖσιν αὐτὸς καὶ δοκεῖν καλῶς πεφυκέναι: καὶ γὰρ κύων κυνὶ κάλλιστον εἶναι φαίνεται, καὶ βοῦς βοΐ ὃς δὲ νί. Multa enim ab eo Plato sumpsisse ferebatur, quæ transferret in sua. Vide Laërtium.

40. 11. Huic pulchrior deo.) Manut. quem secuti sumus, Hui: pulchrior deo? Gulielmus Canterius, Hic pulchrior deo? quæ æque elegans lectio, & venusta est.

41. 15.

41. 15. Nisi cum pelle caprina.) Nescio, inquit Betuleius, an ideo pelle caprina induta pingatur, quod à Lacedæmonijs αἰγοφάγος, id est capriuora dicta fuit; atque hoc illi nomen ab Hercule inditum, quod ceteris hostijs deficientibus, capras ei primus mactauit. Nec desunt qui putant ab hoc caprotinam dictam: sed Macrobius à caprifico mauult. Turnebus commentar. in Varron. de lingua lat. Pellem autem caprinam, inquit, Iunonis amiculum vocabant, quod capræ exuuio simulacra eius in Latio vestirentur, id est, ægide, & ita amicta pingeretur.

24. Iouem semper barbatum.) In Latio tamen Iupiter Anxurus imberbis colebatur. Seruius in 7. Nam circa Circæum Iupiter imberbis, adhuc puer colitur, & Iuno puella. Betuleius.

42. 14. Atq; ipsum tibi.) Ita Manut. legendum suspicatur: sed vt vulgatam lectionem tamen retineat.

25. Sigilla numerantes.) Ex ingenio Manut. emendat, Sigilla venerantes; quem postea alij sunt secuti. Apud omnia sigilla alij legi malunt; vt si ita legendum sit, certior Manut ij coniectura videatur.

29. κυρίας δόξας. Cicero 2. de Finibus. Quis enim vestrum non edidicit Epicuri κυρίας δόξας. Vide Lactant. de Ira dei. cap. 4.

44. 1. Lustrationem, legit Lamb. & verior equidem

quidem, ac certiore sensu.

20. Quæ funditus gens vestra non nouit.) Quem funditus Manut. emendat, quem sequimur, vt ad vocem morem referatur.

21. Argumenti, vulgati habent: nos cum Manutio, argumentis, edendum curauimus.

46. 2. Scito illa quidem sermone, & Attico.

28. Sed cum tantum Epicuri hortus habuerit licentiæ) ita cum in vulgatis omnibus hactenus lectum esset, locum haud dubie corruptum magna ingenij laude Victorius restituit. Sic autem legendum censet, Scito quidem illa sermone, sed tamen. Tantum Epicuri hortus habuit licentiæ. Duo enim illa verba sed tamen, vnico puncto, vti ab indignante efferri videantur, concludenda censet, eleganti in primis ἀποσιωπήσει, vt illud in epistola ad Atticum, Scis quam diligam Siculos, & quam illam clientelam honestam iudicem: multa illis Cæsar, neque me inuito, & si Latinitas erat non ferenda; verum tamen. Ecce autem, & quæ sequuntur. Nam illud, quod statim sequitur, Tantum Epicuri hortus habuit licentiæ, ἐπιφώνημα esse, atque indignantis animi & ægre ferentis significationem habere existimat.

47. 12. Apollodorum, Sillum,) Suspicatur hoc loco mendum Victorius subesse: Sillum enim ex Epicuri disciplina agnoscit neminem, & in vetere libro manuscripto, quod mendum

mendum arguit, pro Sillum, sine, ceteros legi affirmat. Nam Apollodorum Laërtius recenset inter eos qui successores Epicuri fuerunt, quem ob hoc κηποτύραννον vocatum vltra quadringenta volumina scripta reliquisse ait.

15. Chrysippum numquam nisi Chesippum vocabat.) A verbo hoc obscenæ significationis, χέσαι. Vide Victor. Variar. lect. lib. 24. cap. 19. A.

50. 7. Domicilia vitæ.) Venuste Cicero, quæ partes principes in homine sunt, domicilia eas vitæ, quod ijs animantes viuant, appellat. Ea Græci μόρια ζωτικὰ, male latine medici nostri temporis, membra vitalia vocant. Ex Betuleio.

23. Galeatæ.) χρυσοπήληξ Callimacho dicitur. Qui armatam Palladem primi finxerunt, videntur hoc sensisse, sapientiæ numen arma gestare, quibus cuncta quæ temeritate nimia sese efferant, coërceantur. Ideo Homerum finxisse Palladem iratum Achillem à furore, & scelere reuocare.

52. 4. Superior aër.) Antiqui libri, & superius aër, & supremum aër habent: ego rectius legi putarem superiorem aër, vt subaudiatur, locum teneat: vel superior aëri, vt insequens membrum spectet. Hæc Manutius.

8. Quæ igne nasci putantur.) Pyraustam,

& Pyralin Plinius nominat lib. 11. cap. 36.

53. 25. Multa quæ scripsisse Orpheus dicitur, ad alios referuntur. Nam Orpheum numquam extitisse Dionysius, & Aristoteles argumentis plurimis ostendunt. Odæ ad Ionem tragicum, sermones ab alijs ad Theognetum Thessalum, ab alijs ad Cercopem Pythagoricum, cuius in Natura deorum meminit Cicero. Hæc Ianus Parrhasius de rebus per epistolam quæsitis pagi. 223. editionis Henrici Stephanij; cui, vt præclara alia multa scripta doctissimi hominis debentur. Si autem verum est, hoc Aristotelem sensisse, librum de Mundo qui Aristotelis nomine circumfertur, dicendum est Aristotelis non esse. In eo enim Orphica citantur.

55. 13. Quos pudeat.) Negationem habent alij, quæ sane deesse videtur, &, Quos non pudeat, legunt. Ioachim. Camerar. Quin pudeat, legendum putat.

56. 26. Semper ad nos affluant, Lamb. Alij duo verba, ad nos, non habent.

57. 1. Vt Coruncanum, aut Scæuulam.) Tib. Coruncanius primus ex plebe pontifex, primusque ciuile ius professus, cum iuris prudentia, tum vitæ sanctitate plurimum excelluit. Cicer. in orat. pro Domo. Pompo. de Orig. iuris.

Cum dij non modo homines non colant.) Vidit hoc loco Manutius in vulgatis nullo sensu

sensu ita legi: neque solum adeo vidit, sed certissima vsus coniectura mirifice etiam vt ipsi edidimus emendauit, Cum dij non modo hominibus non consulant: &c. hac enim de re in præsentia agitur. Itaque & in fine libri, Dij, inquit Cotta, nulla re egentes, & inter se diligunt, & hominibus consulunt. Et alibi sæpe. Vide Manut.

58. 9. Prodicus Chius.) Prodicus Cius ex antiquo libro Victorius legit. Manutius corruptum nomen suspicatus ex litterarum similitudine, in aliud emendat ex ingenio, &, Perseus Citicus, qui huius fuit sententiæ auctor, legendum arbitratur. Eum Lambin. secutus, non modo eius coniecturam probauit; sed, quod ille non fecit, eodem etiam modo curauit edendum. De Perseo, Vide quæ supra animaduertimus.

16. Ab Euhemero est.) Hunc Theophilus ἀθεότατον nominat: quem Lactantius Messenium, Plutarchus Tegeatem, Athenæus Coum fuisse affirmat. Scripsit περὶ ἱερᾶς ἀναγραφῆς; quam inscriptionem Ennius in sacra historia videtur imitatus. Vide Plutarch. Placit. lib. 1. cap. 7. Ex Betuleio.

59. 1. Nutare videtur.) In manuscripto libro Lamb. natare, legi ait, quæ lectio non est reijcienda. Est enim translatio non inuenusta; cum quidē qui natent instabili re nitantur, & quæ

iactet eos, quos vehit.

61. 1. Homunculi similem, Victor. legit, & Lambinus.

IN LIBRVM DE NATURA deorum secundum ad Mar. Brutum.

*

61. 21. Et eodem rhetore.) Non hic accipi debet vox, rhetore, pro artis doctore, & dicendi magistro: sed pro homine diserto, & copioso, cuiusmodi habitus est Cotta; vt Cicero in libro de Oratore ad Q. Fratrem, & in Bruto testatur.

21. Indisertum Academicum.) Erat Academiæ propria dicendi copia, & vis. Itaque Cicero facultatem dicendi, qua maxime excelluit, magis debere se Academiæ spatijs, quam rhetorum scholis sæpe testatus est.

65. 13. C. Flaminium Cælium.) Ita scriptum vtrumque nomen habent lapides Capitolini; quibus docti homines plurimum merito tribuunt. Quæ res cum ita se habeat, facile est intelligere, quam illi fallantur, qui huius filium T. Quinctium Flamininum affirmant, qui Philippum regem Macedonum deuicit, & Græciam liberauit. Adeo vero fœdum, & turpe erratum ex Thesauro in æque temere congestos Calepinos, & reconcinnatos facile irrepsit. Neque vero dubitandum quin Cælius ita scribi debeat: cum & lapides Capitolini, & numi aliquot ita inscripti legantur. Exstant vero duo argentei C. Cælij Caldi, qui consul fuit anno ab v.c. DCLIX. cum L. Domitio Ahenobarbo. Est autem is Cælius Antipater L. Crassi familiaris, qui scripsit de bello Punico ad Lælium. Cicero de Oratore lib. 2.

24. Rex Hostilius.) Videtur hic Cicero memoria labi Betuleio; & quidem recte, ni vitio verti hoc potius librario debeat; quem quot casus imprudentem in adeo fœdum erratum impellere potuerunt? an non nobis sæpe vsu venit, vt magis ex pertinaci memoria deprompta, quàm quæ ex proposito nobis exemplari suscepimus describenda, repræsentemus? Quid autem si ex litura inquinato nomine, imperito homini venit in mentem, pro hac voce, Tarquinius, Hostilius scribere? Omnia denique potius excogitanda mihi censeam, quam Ciceronem in re tam clara, & testata non vidisse; cum præsertim, quæ erat hominis moderatio, nulla sua scripta vmquam prius ediderit, quam doctis hominibus, atque ijs amicissimis permisisset emendanda.

66. 1. Nulla peremnia seruãtur, nulla ex acuminibus.) Peremnia auspicia quæ essent docet

Festus his verbis, peremne dicitur auspicari, qui amnem, aut aquam, quæ ex sacro oritur, auspicato transit. Qui autem in amnis esset alibi docet. Petronia, inquit, amnis est in Tiberim profluens, quam magistratus auspicato transit, cum in campo quid agere volunt: quod genus auspicij peremne vocatur. Amnem autem antiqui feminine enuntiabant. Hæc Festus. Ex acuminibus auspiciorum meminit Cic. li. 1. diuinat. Bellicam rem administrari maiores nostri, nisi auspicato, noluerunt. quam multi anni sunt, cum bella à prætoribus, & proconsulibus administrantur, qui auspicia non habent? Itaq; nec amnes transeunt auspicato, nec tripudio auspicantur. Nam ex acuminibus quidem, quod totum auspicium militare est, iam M. Marcellus ille quinquies consul totum omisit, idem imperator, idem augur optimus. Hæc Cice. Quid porro esset, ex acuminibus auspicari, docet ex Arnobio Turnebus. Martium, Arnobius inquit, discrimen obeuntes, spem prælij sumitis, & ex acuminibus auspicatis. Id autem ita Turnebus interpretatur, auspicari solitos pugnæ euentum ex acumine spiculorum, pilorum, ensium, si splenderet, si non hebes, non retusum esset. Nam viros vocari quod sequitur, ita intelligi debet, primos in lustrando exercitu Valerios, Saluios, Statores, Victores ominis caussa vocari solitos, vt lætum rerum euentum rem

rem gerentibus portenderent.

67. 19. Ne ægri quidem quia non omnes conualescunt.) Aliter Lambinus; Ne ægri quidem omnes conualescunt. iccirco ars nulla medicinæ est?

68. 24. Veritatem, pulchritudinem.) Cum alij hoc loco, veritatem, alij vtilitatem legerẽt, Manut. ex ingenio, varietatem emendauit, & quidem optimam rationem secutus.

73. 24. Atque attritu Lamb. legit. Vis autem est propria verbi atterere, confricando alterum altero minuere, atque consumere.

74. 22. Ipse vero aër, qui natura est maxime frigidus.) Lamb. locum esse deprauatum contendit, & pro, frigidus, humidus, legendum arbitratur. quomodo etiam edidit. Sed videtur hoc loco Cicero personæ rationem habuisse. Cum enim esset Stoicorum hoc dogma, vt Laërtius ait ex elementis calidum ignem, aquam liquidam, aërem frigidum, terram aridam esse; quamquam hoc esset repugnans communi physicorum sententiæ; non videtur quod ita Stoicum loquentem induxerit, quidquam alienum ab illius persona attulisse.

77. 25. tum contenderentur, legit Lambin. Equidẽ, etiam si me non fugit, verbo remittere, contendi opponi; nihil tamen muto. Si quis enim animaduertat diligentius, verbum conniveo hoc loco venuste sumptum, ni fallor, &

maxime proprie fateatur.

80.9. Quæ ex mobilissima, purissimáque ætheris parte.) Alÿ pro, mobilissima, nobilissima legunt. Manutius, & Victorius, quibus assentior, atque ante eos Aldus, mobilissima ediderunt. Ita Cicero paullo antea, atque mundi feruor ille purior, perlucidior, mobiliorq; multo, ob easque causſas aptior, & quæ sequuntur. & mox, qui integro, & puro, & libero, eodémque acerrimo, & mobilissimo ardore teneatur.

83.19. Minimeq; respiciens patriam.) Laudabantur enim in primis Attici sales, & ioci. Valet autem hoc loco respiciens, idem, quod redolens, & præse ferens.

85.2. Bis bina quid essent.) Bis bina quot essent, ex ingenio Manutius emendat, & recte ille quidem. Facilis autem lapsus ex littera, d, in t, quibus promiscue fere veteres vtebantur.

4. Cæli palatium alÿ legunt; in his P. Marsus vetus Ciceronis interpres, & Betuleius. Palatum fere alÿ omnes legunt. Credit Turnebus ea trãslatione vsum Ennium, propterea quod à Græcis veluti parum cælum, οὐρανίσκος palatum vocatur. Vide Turneb. commentar. in Varron. pag. 14. editionis Parisiensis.

87.10. Quæ φαίθων dicitur.) Fulgorem hanc Africanus apud Ciceronem appellat, de Republ. lib. 6. Deinde, inquit, est hominum generi prosper, & salutaris ille fulgor, qui dicitur Iouis.

88.27. Ementita, cum Victorio legimus. Alÿ, mentita, malunt.

90.16. Monogrammos deos, & nihil agẽtis. Nonius, Monogrammi, inquit, dicti sunt homines macie pertenues, ac decolores: tractum à pictura, quæ prius, quam coloribus corporatur, vmbra fingitur. Luci. 2. Vix viuo homini, & monogrammo. Et, 7. Quæ pietas, monogrammi quinque adducti pietatem vocant. Videtur autem Cicero respexisse ad illa Epicuri, Hominis igitur specie esse deos confitendum est: nec tamen ea species corpus est, sed quasi corpus, nec habet sanguinem, sed quasi sanguinem: vt tamquam monogrammos pictura quæ nullis coloribus corpora effingentibus distincta, veluti quædam superficies sit, quæ corpore solido careat, Epicurei dÿ mente modo concipi debeant, vmbratiles dÿ, & inani specie somniantium effícti habendi.

93.17. Quod lucet, legit Lambin.

23. Vides sublime.) Cum Euripidis fabula interierit iniuria temporum, in qua hi versus habentur, visum est minime alienum à nostro, instituto esse, eos ex Clemẽtis Alexãdrini quinto Stromate studiosorum gratia hic adscribere; sed ita hoc quidem, si prius monuerimus, totum hoc Petro Victorio deberi eruditissimo homini, & præclarissime de litteris merito; in quibus

quãquam ingraueſcente ætate, pertinaciore in dies ſtudio iuuandi ſtudioſos homines non operi, nõ labori parcendo ſumma cum laude verſatur. Ορᾶς τὸν ὀφῆ τόνδ' ἄπειρον ἀιθέρα καὶ γλὼ πέριξ ἐχόνδ' ὑγρᾶς ἐν ἀγκάλαις τῦτον νόμιζε ζῆνα: τόνδ' ἠγοῦ θεόν.

29. Quod & ſimilitudo eſt ætheris.) Quòd ei ſimilitudo eſt ætheru, Hadrianus Iunius ex Probo emendat grammatico vetuſtiſſimo.

94.13. Is rapuit Proſerpinam.) Huius loci reſtitutio Manutio debetur; qui antea depraua tus, & corruptius legebatur.

24. Ianum eſſe voluerunt.) Ex Cornificij lib. 3. Etymorum, apparet hoc loco, Eanum, non, vt in vulgatis legitur, Ianum legendum. Ita enim Macrobius Saturn.1.9. Alij mundum, (Ianum) id eſt cælum eſſe voluerunt, Ianumque ab eundo dictum; quod mũdus ſemper eat, dum in orbẽ voluitur, & ex ſe initium faciens in ſe referatur. Vnde Cornificius Etymorũ lib. 3. Cic. non Ianum nominat, ſed Eanum ab eundo. Hoc Betuleius quoque olim obſeruauerat.

95.15. Sic apud nos, Hadr. Iunius legit ex Probo Animadu. lib. 4. cap. 20.

16. Quæ eadem Diana anniuaga. Hunc locum ex Probo ita emendat Hadrianus Iunius. In alijs vulgatis male pro, anniuaga, omniuaga legitur. mox vbi vulgati habent, Non à venando, ſed quod in ſeptem numeratur tamquam

quam vagantibus, Sic ille ex eodem legit, Non à venando, ſed quod in ſeptem vagatur tamquam venantibus. Animad. lib. 4. cap. 20.

24. Timæus.) Victor. Plutarchi teſtimonio in Alexandro docet, hoc ab Hegeſia ſcriptum; quod homo ingenio triſti, & ſeuero, veluti frigide dictum, & minime commode, reprehendit: in hiſtoria enim, vt recte Victorius ait, minime eſt fabulis locus. quod autem Hegeſias ſcriptum reliquit, minime mirum eſt à Timæo eadem ſcribente vſurpatum; ne quis temere memoriæ lapſum Ciceroni attribuat. Vide Victorium Variar. lect. lib. 16. cap. 15.

29. Abfuiſſet.) Aſſuiſſet, Lamb. quomodo in vetuſtiſſimis libris ſemper & probatiſſimis legitur.

96.29. Non enim philoſophi ſolum.) Totus hic locus varie legitur apud Nonium, & quidem non ſine verborum additamento. Non enim philoſophi ſolum, verum etiam maiores noſtri ſuperſtitionẽ à religione ſepararũt. Nam qui tota die precabantur, & immolabant, vt ſibi ſui liberi ſuperſtites eſſent, ſuperſtitioſi ſunt appellati; quod nomen patuit poſtea latius. Qui autem omnia, quæ ad cultum deorum pertinerent, diligenter retractarent, & tamquam relegerent, dicti ſunt religioſi, ex eligendo. Sed vere ſuperſtitioſi proprietatem ex hoc habent, quod præ cultura deorum ſuperſedeant cetera, id eſt

id est negligant. Itidem & religiosi quasi religiosi omnium cæterorum sacrificijs deseruiant. In Nonio Iunij adscriptum in margine est è regione trium verborum, Et tamquam relegerent, Aliquam rem eligerent, & mox è regione huius vocis, eligendo, religendo. Postremo vbi, religosi legitur, in margine, relinquosi, habetur. Apud Lactantium quidem, ex religendo, legitur.

105.19. Euertens specus.) Euerrens, Petrus Crinitus olim admonuit legendum.

25. Sicut citi, legit Manut. vt versus ratio constet.

106.13. Principio enim terra. Probus, inquit Iunius, hic legit, animali spirabilique natura. Seruius etiam spiritabili legisse videtur: sic enim ille in Aeneidos lib.3. Per hoc cæli spirabile lumen. Spirabile, inquit, vitale, quo spiramus: & est sermo Ciceronis, quamquam ille spiritabile dixerit in lib. de deorum natura.

109.5. Hoc si idem, legit Lamb.

110.21. Vastescere apud Nonium legitur; quod etiam Lamb. annotauit.

111.1. Innantium, Victor. Innatantium, alij omnes.

115.5. Clara obtinet. Lamb.

12. Connixus, alij vt rursus eodem libro, Atque genu flexo Taurus connititur ingens. & de Diuina. lib.1. de ariete. Deinde eius germanus cornibus connitier In me arietare: certe ita edidit Lambinus.

117.7. Quod longe serpens, & manans aspicies proceraq; Vincla videbis. Lamb.

26. Aut vero alia qua. Lamb.

118.14. Aequales ipsæ per se.) æquabiles, alij legunt, in his Victor.

119.13. Indidem, edidit olim Victorius; vt nuper Lambinus. Ita quidem legendum ex Probo Hadrianus Iunius docet Animadu. lib.4. cap.20.

19. Neque remearet aër.) Neque remaneret aër. Ita Iunius ex eodem.

21. A quo rursus animante, ac de eo renouatio mundi fieret, denique ornatus oriretur, Ita idem ex Probo. Quod vltimum, inquit, eo sensu dictum videtur, quod ignis esset, & efficiens, & materialis caussa renouati mundi.

123.19. Succedit proxima ex ijs, Lamb.

27. Vomitione canes, purgare aluos Ibes Aegyptiæ curant.) Locum ita olim Victorius edidit: Vomitione canes, purgante autem aluos Ibes Aegyptiæ curant; vt duarum literarum mutatione egregie sanari posset, pro purgante autem, purgando autem, legendo; aut si malles additione vnius litteræ, s, vt purgantes legeretur. Nos tamen in eo sumus Manutium secuti; atque adeo eo libentius quod illi suffragari Lambinum animaduertimus: qui eodem modo

modo edendum curauit.

127.7. *Multum accedent.*) *Tum accedentes, tum recedentes. Lamb.*

128.10. *Et molitur, à verbo, Molò, notæ significationis rectè* Manut. *legit. mollitur, male in vulgatis habetur.*

129.16. *Qui tum se contrahunt aspirantes tum spiritu dilatant.*) *Aliter Victorius, &, vt mihi quidem videtur, rectius, Qui tum se contrahunt aspirantes, tum in respiratu dilatant. Lamb. neutra lectione probata, ad hunc modum legit, Qui tum se contrahunt aspirantes, tum respirantes dilatant.*

132.11. *Vt continerent, Lamb. edidit.*

133.18. *Et ex tortuosis locis, & inclusis soni referuntur ampliores. Lamb.*

134.16. *Et aperte tangendi.*) *Et pariter tangendi,* Manut. *emendat, ex Masseï exemplari.*

135.16. *Principium à mente ducens.*) *Vocem à mente duci, Platonicum ab initio dogma fuit. Plutarchus in Placitis.*

138.18. *Principio ipse mundus.*) *Hoc quidem Stoicorum. Cicer. de Finibus 3. Præclare enim Chrysippus cetera nata esse hominum caussâ & deorum: eos autem communitatis, & societatis suæ, vt bestijs homines vti ad vtilitatem suam possint sine iniuria.*

141.7. *Cui quidem ne putresceret.*) *Putisceret videtur ex Nonio legendum, qui in voce Putidum, hunc eundem locum ex lib. 5. de Finibus adducit.*

142.18. *Multæ sæpe res hominum sententia, & vtilitate partæ.*) *Lamb. multo quidem, mea sententia, rectius, Multæ sæpe res ex animi sententia, & vtilitates partæ.*

145.18. *Si mehercule, inquit, Vellei.*) *Sane, hercule inquit, Vellei, Manutius coniecturâ emendat. Sic est, mehercule, Lamb. minus à lectione vulgata discedens. Equidem, vt etiam, est, verbum tollatur, perbelle locum restitui posse vnius litteræ additione putem.*

150.25. *Sequuntur quæ futura sunt.*) *Hic deesse quædam videntur.*

156.16. *Intelligere se habere sensum, & rationem, & orationem.*) *Quoniam huius loci emendatio tota* Manutio *debetur, eius verba adscribi placuit. Antiqui, inquit, libri alij habent, Sensum, & rationem, hæc eadem caniculam non habere, alij, Sensum, & rationem, & orationem, hæc eadem orionem, & caniculam non habere. Emendo, Sensum, & rationem, orionem hæc eadem, & caniculam non habere.*

158. 29. *Tum intereunt, cum in naturam aliam conuertuntur: Victorius. Aliter Lamb. Cum intereunt, tum in naturam aliam conuertuntur.* Manut. *vtrobique, tum, legit.*

159.25. *Et refugit,* Lamb. *In resumendo enim, quod autem, inquit, refugit, id contra naturam*

ram est: Ego tamen nihil muto.

160. 29. Nihil esse animale, Lamb. edidit.

161. 20. Piscem Syrij venerantur.) Ea est Derce dea: quæ quoniam in piscem conuersa fertur; eius numinis religione, ab esu piscium Syrij abstinebant. Gyraldus de dijs Topicis.

23. Alabandum.) Is auctore Stephano filius Callirrhoes ob equestrem victoriam Alabandus est dictus, & in deorum numero habitus est. Cares enim Ala equum, Banda, vt idem ait, victoriam appellant. De Alabandis vide Adagia Iunij, qui ex Stephano, Strabone & alijs, multa scitu digna affert. atque, vt omittam alios, vide ipsum Ciceronem eodem libro paullo infra.

24. Tenedi Tenem.) Huius meminit Cicero actione 5. in Verr.

163. 10. Inanimarum, Lamb. vt olim Victorius. Inanimatarum, Manutius.

164. 7. Ex Idæis indigenis.) Restituit hunc locum mirifica coniectura innixus Constantius Fanensis, referente Manutio, ex Strabonis libr. 10. qui vnum ex Idæis Dactylis Herculem fuisse testatur; & ex Diodori libr. sexto, cuius hæc sunt verba: Primi in Creta circa Idam habitarunt Idæi Dactyli appellati. Et infrà Scribunt, ex ijs vnum appellatum Herculem. Sic etiam legitur in Maffei libro, Digitis autem vt idem Constantius recte conijcit, glossa fuit verbo, Dactylis, superimposita: vnde & Indigenis, & Indigitis errore auctio factum est. Hæc sire Manutius. Horum mentio præterea est apud Apollonium libro 1. & eius interpretem. Quod annotauit Betuleius; qui maxime hanc lectionem probat.

166. 13. Cuius matertera Asteria est. Ita legit Lambinus Genealogiæ historiam secutus.

168. 10. Leonaticum.) Gulielmus Canterius Nouar. lectio libro 5. capit. 18. hunc locum, quem nemo non dubitat corruptum esse, ita restituere conatur, Leontium, vel Leonticum legendum arbitratus; Leonis videlicet monumentum, qui vnus fuit τῶν ἐπωνύμων, teste Pausania, & oraculo motus filias suas pro patria immolauit: cuius historiæ, sicut & ipsius delubri meminit Aristides Panathenaico: quamquam corrupto nomine. Hæc Canterius.

24. Cur autem arcus species.) Arqui, vt edidit Lamb. videtur legendum. Arcus enim, & Arquus hoc distant, inquit Nonius, Arcus enim suspensus fornix appellatur, Arquus non nisi qui in cælo apparet, quem Irim poëtæ dixerunt. Vnde & arquati dicuntur, quibus color, & oculi virent, quasi in arqui similitudinem. Lucret. 6. Tum color in nigris exstabat nubibus arqui.

169. 11. Marso ex Corsica dedicauit.) Tu lege, Maso, pro Marso: quemadmodum Victorius docet:

docet olim emendatum esse ab Antonio Augustino viro eruditissimo. Papirius enim Maso de Corsis primus in monte Albano triumphauit: cum consul fuisset cum M. Pomponio Mathone, anno ab Vrb. cond. DXXII, vt ex fastis capitolinis intelligitur. Ita & in epistola ad Pætum, pro Masso, & Massones, Maso, & Masones est legendum: quod cognomen Papiriorum fuit. Vide Victor. Variar. lect. lib. 38. quorum 13, postremi nuper in lucem prodierunt. Locum quidem suspectum habuisse & Betuleius videtur.

14. Anienonem hic putabat Turneb. legendum: qui tamen vidit apud Propertium æque, & apud Statium Anieni dei mentionem fieri. Vide Turneb. Comment. in Varron. 53. pag. editionis Parisiensis.

170. 7. Aleo.) Variat hæc lectio in primis in libris manuscr. & excusis. alij Alcmeon, alij Alceonus habent. Eodem modo, pro, Emolo, Eolus in alijs, Euiolus in alijs legitur. Gyraldus, Eumelus; quæ lectio Betuleio probatur.

10. Thelxiope, Mneme, Aæde, Melete.) Alij pro, Mneme, Arche legunt, pro Thelxiope, Thelximone.

14. Vulcani item complures.) Vocem, complures, Manut. nō habet, alij habēt: in his Vict.

171. 3. Nominabantur, alij, Nominantur, alij habent.

7. Qui sub terris habet, Lamb.

172. 13. Cuius Abazea.) Manut. ex Massei lib. Cui Sabazea emendat. Sabazios autem Dionysij cognomen fuit: vnde Sabazia sacra. Vide Suidam in verbo Σαβάζιος, & Aristophan. Interpr. in auibus, & Vespis.

29. Quam Arcades Coriam.) Victorius, Quam Arcades Coriphasiam ex Clemente in Protreptico emendat, Variar. lection. lib. 11. capit. 15.

173. 8. Atque eiusmodi, alij.) Et eiusmodi Vict.

174. 16. In Palatio & ædem Larū.) Ex Massei libro, & Plinij loco lib. 2. cap. 7. Manut. ita legit, In palatio, & Orbonæ, ad ædem Larum: quomodo, illius coniectura probata, edidit Lāb.

176. 17. Postquam pater appropinquat.) Manut. duo priora verba, Postquam pater, existimat esse postrema superioris versus: vt insequens versus à verbo, Appropinquat, incipiat, & verbo, parat, claudatur. Id quidem vt ratio carminis constet. Est enim septenarium.

178. 20. Collatione.) In Lambini editione hæc vox abest.

180. 12. Præstinxit, Lamb.

20. Sessum ite precor.) Egregie Lambinus locum haud dubie corruptum mihi videtur restituisse. Ita enim emendat, Sessum it præter. Quid vt iudicetur? quomodo se scriptum inuenisse in Memmiano codice testatur.

181. 18. Telamo, Victor. legit Latina inflexione, vt Scipio, Plato, Cicero: quæ nomina in vs, si quis illa Græce inflectat, finiuntur.

184. 26. Quam multas ante hunc.) Merito miratur Betuleius, tacite, ac dissimulăter hunc locum à doctissimis hominibus præteriri. Victorius quidem, cuius est grauissima apud me auctoritas, ita legit, Quam multas ante hunc in ipso Græciæ flore Pisistratus: at Phalaris, at Apollodorus sustulit: multis quidem ante cruciatis, & necatis. Sed ne mihi hæc lectio probetur, certa ratio facit, quæ mihi semper erit omni auctoritate potior. Nam neque vnquam Pisistratus crudelitatis accusatus fertur; qui etiam, vt ipse in epistola ad Solonem gloriatur, & in neminem crudelis, & obseruantissimus legum fuit: neque eas pœnas dedit, vt adduci hoc loco in exemplum debuerit, tametsi vt Aristoteles ait, bis eiectus patria exsulauit. Aliter legit Lambinus. Quam multos ante hunc in ipso Græciæ flore Pisistratus, ac Phalaris atque Apollodorus sustulit? At pœnas dederunt? multis quidem ante cruciatis, & necatis. Quæ mihi lectio placeret, si eadem æque in Phalarin, & in Pisistratum conuenirent. Sed tantum abest vt quis vnquam hoc nomine Pisistratum appellarit, vt inter rara clementiæ, mansuetudinisque exempla eius facta à veteribus commemorentur. Itaque Aristoteles Po-

les Politicor. lib. 6. auctor est, cum ad Areopagum in ius vocatus esset, iudicium non recusasse: vt in causis recensendis, cur diuturna quorundam dommatio fuerit, cum id effici dixisset, eorum, qui rerum potirentur moderatione, & æquitate, dignum esse statuerit, qui cum paucis, exempli loco proponeretur. Quas autem ille pœnas dedit? quem Thucydides tam grauis auctor exacta ætate in tyrannide decessisse; Heraclides in Politijs, cum triginta & tres regnasset annos, senio confectum obijsse testatur. Tanta autem omnium opinio de illius virtute & sapientia fuit, vt non defuerint è veteribus Græcis, qui illum septem sapientium numero adscriberent. Auctor Laertius. Apollodori quidem Cassandriæ tyranni Pausanias in Messeniacis meminit. Apparet si modo is fuit, crudelitatis, & sæuitiæ nota infamem fuisse: quod Lacedæmonijs datum vitio sit, cum tyranno societatem coisse.

185. 23. Aestate esse graue aureum amiculum.) Variat hoc loco à Cicerone Clemens Alexandrinus. Nam quod vitium amiculi aureti indicatum ab eo Cicero refert, vt Victorij verbis vtar, ostendit Clemens ea voce Dionysium id declarasse, commodius illi laneum pallium futurum tum æstate, tum hieme, quod illi, aureo sublato, iniecissent. Praterea quod Cicero in Peloponneso actum Dionysio superiori

riori attribuit. Clemens à filio factum in Sicilia affirmat. Vide Victor. Variarum lection. lib. 21. cap. 10.

26. Idemq; Aesculapij barb.) Plutarc. de Iside & Osiride ait, Dionysiũ auream comam Apollinis totondisse: vt in scelere tyranni notando, nisi vtrumque vni accidisse dicatur, plurimum videatur à Cicerone dissentire. Hoc annotauit Victor. Var. lect. lib. 21. cap. 11. Vnde ipsi sumpsimus.

186. 3. BONORVM deorum.) Vide Victor. Variar. lect. lib. 1. cap. 1. Qui ex Athenaeo rem actam aliter refert, Dionysium cum in Aesculapij fano conuiuium iniisset, boni dæmonis poculo propinato, quod quidẽ cum circumferretur, moris esset, mensas tolli, tamquam eius moris retinendi studiosum, auream mensam tolli iussisse.

4. Idem Victoriolas.) Vide quæ hoc loco Victorius Variar. lect. lib. 2. capit. 20. annotauit: sunt enim in primis scitu digna.

19. In Tympanidis rogum.) Idem Victor. Variar. lection. lib. 38. cap. 10. testimonium Timæi ex Athenæi lib. 5. de Dionysij rogo & Philistj affert: quẽ eximie descripsisse funeris pompam, & rogi ornatum, & magnificentiam affirmat: ne cui mirum videatur, Ciceronem, cum de felicitate tyranni ageret, quæ illum amplexa & ad rogum vsque prosecuta fertur, funeris illius mentionem fecisse.

188. 2.

188. 2. Pythagoras.) Laërtius hecatombem modo immolasse ait: quibus dys non addit. Id alij Thaleti attribuunt: qua de re cum in principio de Thalete ageremus, diximus.

189. 14. Quinam Tantalidarum.) Senarios hos tres versus Iambicos, cum ob continuatum verborum ordinem nemo antea agnouisset: primus Manut. distinxit, & in carminis ordinem redegit: vna modo voce, satietas, sublata, & pro ea, satias reposita ex antiquo Maffei lib. quam vocem veteres pro satietate vsurparunt. in his Lucr. non semel, & Terent.

IN LIBRVM PRIMVM M. Tullij Ciceronis de Diuinatione.

151. 16. Quæque proxima.) Quaq; proxime ad deorum vim natura mortalis possit accedere. Ita edidit Lamb. ex Turnebi emendatione.

193. 6. In Aeoliam, Turnebus: quem Lambinus est secutus.

194. 14. Colophonius Xenophanes.) Hũc quidam, neminem audisse tradiderunt: alij Archelai auditorem fuisse. Tristi omnes atq; immiti ingenio fuisse affirmant, atq; elegias & iambos in Hesiodum, & Homerũ, quod tam absurda de dys scripta reliquissent, scripsisse. Auctor Laërt.

195. 7. Dicæarchus Siculus ex vrbe Messana Aristotelis auditor acerrime contra animorum

immortalitatem disseruit, tribus libris de eo editis, qui Lesbiaci vocantur. Nihil enim esse omnino animum putauit, & hoc esse totum nomen inane. Cetera diuinationis genera, furoris, & somniorum reliquit. Edidit tamen librum cuius erat hoc argumentum, Nescire quæ nobis essent euentura, melius esset, quam scire.

199. 23. Cana fulix.) Raua fulix legit Camerar. vt in Academicis rauum mare: id quod suo loco annotauimus. Ita apud Horat. raua lupa. λύκος πολιὸς Theocrito dicitur canus. Ex corrupto autem exemplari, in quo male, Rana fluxit, legebatur, coniectura, Raua fulix, emendauit. Raui coloris, inquit Festus, appellantur, qui sunt inter flauos & cæsios, quos Plautus appellat rauistellos. Quis, inquit, hæc mulier, & ille rauistellus, qui venit? locus hic in Epidico aliter in vulgatis legitur, Sed quis est hæc muliercula, & ille rauistellus. qui venit? quo in loco tamen notanda est Festi inconstantia. Nam in dictione, Grauastellus, eodem Plauti exemplo vtitur; atque adeo rationem etymi addit. Vt puto, inquit, Grauastellus à grauitate dictus, nempe, senior. Dixere Latini Camerar. inquit, & rauum, sublustrem colorem flauedine quadam veluti canescentem. Nonius vnum modo ait, Rauum, fuluum; idq; declarat Ciceronis loco, vt diximus, ex Academicis.

201. 1. Quid

201. 1. Quid Aristolochia.) Etymon Aristolochiæ, vt recte animaduertit Victor. alio refert Plinius. Inter nobilissimas, inquit, Aristolochiæ nomen dedisse grauidæ videntur. Sed præstabit Victorij verba adscribere, quo res tota melius perspiciatur. Non sine caussa, inquit, putare aliquis posset, cum supra siamoneam appellarit, nomen cuiusdam tertiæ herbæ desiderari, relictum negligenter à librarijs: quæ herba morsibus serpentium opitularetur: illi autem nomen inuentor dederit. Cicero sane in lib. 2. de Diuinatione commemorat huiusce modi herbæ vtilitatem vidisse Alexandrum in somno. Eius tamen non dicit nomen. Hæc Victor. Variar. lection. lib. 6. cap. 3. Contra cuius opinionem multa disserit Hadrianus Turnebus Aduersar. lib. 5. ca. 20. Gulielmus Canterus, qui tamen eadem quæ Turn. affert Nouarum lectionum lib. 1. cap. 14. In his vtitur testimonio Nicandri interpretis; qui ait, Aristotelem de Aristolochia tradidisse, fuisse à muliere inuentam. Lamb. arbitratus mendum subesse ex vna voce, inuentore, duo, inuenta re efficit. quæ mihi coniectura mirifica videtur. Nam cum Plinij etymo congruit; qui maxime tueri Victorij sententiam animaduertitur.

20. Consulatu.) De consulatu, putat Manut. legendum.

202. 20. Quid vero Phœbi.) Cũ vero Phœbi,

Lamb. quemadmodum vincit ratio esse legendum.

25. Vitalia lumina.) Vitaï lumina, Lamb.

203. 16. Generataque Nattæ.) Lamb. aliter, Generosaque Nattæ.

208. 2. Aui tripudium fieri, si ex ea quid in solum ceciderit. Lamb. editio.

13. Impetriri à verbo antiquo, cuius meminit Festus, pro impetrari legendum putat Turnebus Aduersar. lib. 5. c. 10.

21. Auersaque aui.) Aduersaque aui Lamb. vt ratio contrarij constet.

28. Ateium Manut. emendat, ex Plutarcho in Crasso, & Dione lib. 39.

209. 3. Calamitatem maximam accepisse Lamb. legit.

210. 8. In regiones distributa. Lamb.

13. Arcessere habet Victor. quomodo edidit Lambinus.

211. 10. Bacis Bœotius, Vict. Bacchis Bœotius Manut. vt olim Aldus pater ediderat.

212. 7. Nec adducar, maulit Lambinus. alij omnes, abducar.

213. 4. Aut imprudentiæ.) Aut impudentiæ, alij.

13. Quæ Taygetis.) Turnebus, locum suspicatus non carere mendo, pro Taygetis, Tegeatis ex Herodoto legit, non mala coniectura. Certe Taygeti populi neque à Plinio, neque à Strabone, neq; ab alijs vlli censentur. Taygetus mons Spartæ, & Amiclis imminens à Taygete vna ex Pleiadibus Atlantis, & Pleiones filia videtur appellatus: nomen ipse populis nullis dedit. De Taygetis, alijs videtur legendum: vtroque enim modo & Taygetus vnius numero, & Taygeta numero multitudinis mons is dictus inuenitur. Nam hoc eodem libro Cicero, & Plin. lib. 2. capit. 79. ait ab Anaximandro Milesio Physico Lacedæmonijs prædictum vt vrbem ac tecta relinquerent: instare enim motum terræ. Ita Taygeti montis magnam partem ad formam puppis eminentem abruptam vrbem oppressisse. Sed ne hoc ipsum nobis adiumento sit ad hunc locum sanandum, facit Cicero; qui hanc ipsam prædictionem, negat diuinationem habendam; quippe quæ physica ratione tota constet. Vt mittam hoc loco de oraculis deorum, non de prudentium prædictione agi.

215. 5. Cognata tibi.) O nata tibi, Lamb. Vulgatam lectionem Turneb. tuetur. Hic cognata à patre, inquit, vocatur filia, quod cum alijs eius liberis nata sit.

216. 1. Quod innumerum Fab.) Fædum erratum hinc C. Sigonius sustulit. Cū enim in gente Fabia prænomen, Numerius vsu receptū esset; librariorum incuria ex Numerij nota, Num. siue Numer. atque, in, antecedenti, innume-

rum

rũ factũ peruerse erat. Caussa autem certa à Festo commemoratur, cur hoc pronomen à gente Fabia sit vsurpatum: alia à Nonio adducitur, in voce, Numerum. Vt, inquit, qui contra erant nati, fere Numerios prænominabat. Quod qui cito facturum se quid ostendere volebat, dicebat, numero id fore, quod etiam in partu precabantur Numeriam, quam deam solent indigetare etiam pontifices.

12. Duos consanguineos.) Ante hunc versum Lamb. sequentem collocat, si ratione magis, quam consensu librorum veterum standum est, multo certiore ordine, & sensu faciliore.

14. Inuolare, Lamb. Immolare alij omnes legunt.

217. 7. Per propinqua hæc.) Per propinquam Lamb. ex Turnebo edidit; vt vocem, commutationem, respiciat. haud dubie optimo sensu.

219. 21. Apud Agathoclem.) Totam hanc rem, vt acta est, Diodorus persequitur lib. 20. sed ita vt in quibusdam à Cicerone dissentiat. Hunc autem Agathoclem Cyzicenum fuisse Athenæus affirmat lib. 14. Μνημονεύει δὲ, inquit, Ἀγαθοκλῆς ὁ κυζικηνὸς ἐν τρίτῃ καὶ περὶ τῆς πατρίδος. Hæc ex Vict. Variar lect. lib. 20. cap. 12.

220. 17. Est apud Platonem.) Totũ hunc locũ Victor. cũ Platonis loco in Critone confert, Variar. lect. lib. 6. cap. 9.

223. 13. Cum duo quidam Arcades.) Et hic locus à Victorio cũ Græco confirtur, qui integer apud Suidam exstat ex Chrysippo, Variar. lect. lib. 19. cap. 11.

225. 20. Cum dormientibus.) Hæc omnia à Cicerone sumpta è Plat. lib. decimo de repub. Henricus Stephanus in Lexico Ciceroniano cum Græcis confert.

226. 5. Agitata, & erecta.) Excitata, & erecta, Lamb. Equidem tametsi esse scio apud Platonem ἐγειράς, nihil tamen muto. Neque enim hoc Ciceroni curæ esse video, vt in vertendis Græcis, quæ suo arbitratu latina facit, verba singula, singulis respondeant. Vt autem, ait Cicero, Saturataq; bonarum cogitationum epulis: ita ἐμπίπτες λόγων καλῶν, καὶ σκέψεων, Plato; quo verbo alibi etiam vtitur venustissima translatione. Vide Victor. Variar. lection. lib. 2. cap. 14.

8. Præstinguere, Victor. legit.

228. 14. Sed quid oculis rapere visa est.) In hoc versu variat Lamb. à vulgatis in vno verbo, est: legit enim es. Sequentem ita ex Ioanne Aurato emendat, vbi paullo antè sapiens illa, et virginali modestia? tum eum qui hunc proxime sequitur ita ex Turnebi sententia, O mater mea optuma, tũ multo mulier melior. in octauo versu, cuius est initium, optumam progeniem, pro, repperisti, peperisti, legit, ex Aurati emẽdatione.

232. 16. Lysandri, qui Lacedæmon. clarissimus fuerat.) Hæc eadem Plutarchus tradit in eo libro, quo quærit, cur Pythia versus facere desierit. Alia narrat Xenoph. rerum Græcar. lib. 6. horum, quæ à Cicerone commemorantur, non meminit. Ex Victor. Var. lect. lib. 16. cap. 6.

233. 3. Qua in pugna quia Castor, & Pollux &c.) Aliter Lamb. Quia in ea pugna Castor, & quæ sequuntur.

18. C. Flaminius.) C. Flamininus, alij legunt, quorum sententiæ lapides Capitolini refragantur. In quibus, vbicunque huius mentio fit, Flaminius legitur. Flamininus autem Quinctiorum cognomen: Flaminius nomen familiæ fuit; vt alibi docuimus.

239. 16. Futura dicebant.) Futura prædicebant. Lambin. Certe paullo infra eodem Cicer. vtitur - partim augurijs, partim coniectura, quæ essent futura dicebant.

24. Incitatione diuina.) Incitatione, & permotione diuina, Victorius, quē secuti sumus.

27. Polybum Corinthium.) Polyidum; emendat Manutius ex Massei libro, & Homeri loco ex Iliadis libr. 13.

240. 14. Iamidarum vnam.) Huius familiæ meminit Clemens Alexandr. primo Stromate, Pausanias in Laconicis, Pindarus in Olymp. Ode 6, in qua Agesiam Siracusium celebrat; quem ait ab Iamidarum familia genus ducere; cuius

cuius princeps Iamus fuerit ex Apolline, & Euadna natus, atq; à viola ita dictus. Ab Apolline autem, in quem originem referret, scientiam interpretandi exta, familiam habuisse affirmat. Hæc ex Victor. Variar. lect. lib. 13. cap. 15.

241. 3. De principum filijs sex.) Decē mittere cōsueuisse Valerius tradit, lib. 1. cap. de religion.

13. Vt enim Aegyptij, vt Babylonij. vel, Et enim Aegyptij & Babylonij putat Manut. legendum. omnino in lectione vulgata subest nescio quid, quod offendat delicatiores aures.

24. Ostentorum, alij legunt; in his Victorius, & Manutius.

242. 7. Telmessenses, Lamb. Sane lectioni vulgatæ anologia vocis, Telmessus, repugnat.

26. Ammone, vbi alij, Hammone, vocis etymon secutus Lamb. recte edendum curauit.

243. 5. Somniandi caussa excubabant.) Incubabāt, ratione certa innixus, & Virgilij loco ex lib. 7. Manu. contendit legi oportere, Pellibus incubuit stratis, somnoq; petiuit. Quis autē ignorat, verbum Excubare contrariæ notionis esse?

246. 7. Omnes iustorum comit.) Tu cum Manut. omen, legas, vt ipsi edidimus.

9. Omnium nota.) Ominum nota legendum, vt edidit Läb. In hoc verbo autē crebri sunt librariorum lapsus, cum vna modo littera loco mota & in alterius trāslata pro omina, ominū, omnia omnium notiores voces describerent.

247. 5.

24-. 5. P. Claudius.) Hic pro P. existimat recte Manut. legendum App. Is est App. Claudius, ad quem Ciceronis epistolæ exstant lib. epistolar. 1. quæ Familiares vulgo appellantur. Scripsit autem libros de Augurali scientia, quorum non semel Cicero meminit.

248. 7. In vnda.) In vndæ Lamb. quod verbi vsus, atq; ratio postulare videtur.

14. Non vrbanus fuit.) Hic recte Victorius admonet, vocem, vrbānus, idem valere, quod fabulosum, ac ioculare, & risu explodendum. Ita per contemptionem, in Epist. ad Att. ab eodem vrbani competitores appellati; qui cum eo simul consulatum petebant, quasi ridiculi & leues, & de quibus minime sibi esset laborandum.

25. Romam, Remuramne vocarent, Lamb.

250. 12. Vt aquarum eluuiones, Turneb. quem sequitur Lamb.

252. 4. Eheu videte.) Tres hos versus alio ordine Turneb. censet dirigendos, Eheu videte, iudicauit inclytum iudicium inter deas tres aliquis, quo iudicio Lacedæmonia mulier furiarum vna aduenit.

29. Sunt enim explanatores.) Hic alij duo verba addunt, harum rerum.

256. 15. Xenophonti consulenti.) Huius rei meminit Xenoph. in princip. lib. 3. ἀναβάσεως, quod Victor. obseruauit, Variar. lect. lib. 8. cap. 22.

257. 5.

357. 5. Conjecta sunt.) Ita legitur in vulgatis: sed, collecta, vt Victorius docet, vincit ratio legendum. Procliuis autem lapsus, ab vtraque hac dictione; cum apud veteres notis admodum similibus scriberentur, æque, conlecta, & conjecta; vt si littera, l, minus procera esset, ab imperitis facile errari, & pro alia capi posset.

260. 18. Vt enim Ceos.) Etenim Ceos Manutius emendat, conjectura adductus: alioqui fatendum est, siue id Ciceronis vitio, siue librarij acciderit, deesse verbum, quod, vt, particulæ respondeat. Neque vero portenti simile habendum, in tanta scriptorum mole aliquid per incuriam Ciceroni etiam excidere, quod minus Cicerone dignum esset. Vide quæ de his Victor. Variar. lection. lib. 19. cap. 21. ex Apollonij interprete disserit.

IN LIBRVM SECVNdum de Diuinatione.

271. 25. Qui thesaurum inuentum iri alij legunt: Procliue erratum imperito, ex inuenturum ni si duo verba vna coëant, in inuenturum.

272. 19. Anile sane, & plenum superstitionis fati nomen.) Alij ita legunt, Anilis sane plenum superstitionis fat. nom. Quæ multo venustior lectio & verior videtur.

275. 14. Addunt ad extremum, omnia leuius casura rebus diuinis procuratis: si enim.) Hic

al

alij inter verbum, procuratiũ, & duo sequentia, si enim, hæc addunt, Sed hoc eadem ratione refellitur. Equidem, si discedendum à lectione vulgata sit, vocem, enim, aut tollam potius, aut mutandam in quidem, aut aliam quampiam vocem huius notionis censeam.

277. 7. Ecquam diuturna.) Alij, Quam diuturna, in his Victor. At quam diuturna Lamb. edidit.

9. Collatum, alij legunt.

280. 10. Atqui diuina cum rerum natura, tanta.) Pro diuina, Lamb. diuinatio, edidit. Equidem à vulgata lectione non recedo: sensus enim mihi videtur elici inde apertissimus.

280. 6. Quam συμπάθειαν.) Ita lib. de Nat. deorum 3. Illa vero cohæret, & permanet naturæ viribus, non deorum: estque in ea ista quasi consensus, quam συμπάθειαν Græci vocant. Et infra hoc eodem lib. coniectores ex quadam conuenientia, & coniunctione naturæ, quam vocant συμπάθειαν, quid cuique rei conueniat ex somnijs, & quid quamque rem sequatur, intelligunt. Et rursus, Quæ est continuatio, coniunctioque naturæ, quam, vt dixi, vocant συμπάθειαν.

12. Impertire.) Pro impertire, impetrare Lambin. edidit. Turneb. Impetrire legit quod verbum alibi diximus ex Festo ab antiquis pro impetrare vsurpari solitum. Ita & apud Valer. lib. 1. cap. 1. de religione, vbi in vulgatis, impertito legitur, impertito legendum. Et apud Plin. libr. 28. cap. 2. Præterea alia sunt verba impetritis, alia depulsorijs, alia commendationibus. Corrupte enim hactenus lectum esse existimat, Præterea alia sunt verba impetrantis, alia depulsoris, alia commentationis. Apud Plaut. quidem in Asmaria iam olim Aldus, impetritum, ediderat, folio 22. b. Ald. editionis. De loco Plinij vtrum ita emendandus sit docti viderint. In Valerij editione Antuerpiensi, quæ Stephani Pighij annotationibus locupletata multo auctior ceteris præclariorque habetur, impetrito legitur.

283. 11. Cur igitur vos inducitis.) Cur igitur vos induitis, Manut. Duo enim, inquit, verba, quæ sequuntur, Captiones, & explicetis, facile me adducunt vt legendum putem, induitis. qua ratione item in Verrem dixit, Induere se in laqueos: & Lucret. lib. 3. Ac nos in fraudem induimus frustra nimis ipsi. Ego etiam si plurimi Manut. coniecturam facio; vulgatam tamen lectionem retineo: video enim non semel, quod huius persimile est, Ciceronem, Inducere in errorem dixisse. Nam & Inducere, vt cetera absint, sæpe, fallere, decipere, & circumuenire significat. Exempla cuiuis sunt in promptu.

286.11. Scămoneæ Aristolochiæq; radicẽ, Lũ
287. 22. Numquam animaduertisti, Victor. & alij illum secuti.
290.17. Quid autem ea volunt dŭ immortales significantes.) Secus Lamb. Qui autem ea volunt dŭ immortales significare? & qui sequuntur.
291. 12. Affert, nonnumquam etiam errore creat similitudo.) Inter verbum, affert, & nonnumquam, duo Lamb. interponit, in quibus. Mihi videntur potius duo desiderari, his, sed ea non male. Hoc ita videtur Victor sensisse; qui vocem, similitudo, clausulæ finem facit: Insequentem à voce Magna, orditur.
292. 4. Fauent faucibus: rursus cantu promunt alas.) Nos ex Victorio, & Manutio pro rursus, rusis alia interpunctione vsi edendum curauimus.
293. 15. Eumq; terrorem, Lamb. probabili coniectura edidit.
294.7. Circumuectus fuisset.) Circumnexus fuisset, legit Lamb. ex vetere libro manuscripto; quæ mihi vehementer lectio probatur, vt respondeat verbo circumplicasset; quo verbo periodus concluditur.
295. 3. Ferte viri, & duros animo tolerate labores.) Hoc loco deprehendit memoriæ manifestum in Cicerone erratũ Politianus. Quoniam versus Cicero ait ab Agamemnone pronun-

tiatos, Homerus inducit Vlixem loquentẽ, libro Iliados secundo. Vide Politia. Miscellan. cap. 51.
297. 11. Flaminimia hoc loco alij legunt, sed male. Non enim Flaminius cui hæc contigerunt, sed Flaminius fuit; quod alibi etiam osten dimus.
298. 15. Ita aqua Albana deducta.) Ante hæc verba Lamb. stellam apposuit, locum suspicatus & recte, ni fallor, ille quidem, non carere mẽdo.
299. 15. Q. FABI, te mihi in auspicio esse volo. respondet, Audiui. Ita legit Lambinus.
302. 12. Nam ex acuminibus) Vide quæ annotauimus de Natura deorum libro 2. in principio, ad illa verba, Nulla perennia seruantur.
304.29. At Homericus Aiax.) Notat hoc loco Victor. in Cicerone memoriæ erratum. sunt enim hæc ex Homero ad Vlixem, nõ ad Aiacem referenda.
306. 8. Quibus in rebus.) In alijs, duo verba absũt, In rebus. Ea habẽtur in Victorij editione.
15. Minantibus.) Minacibus, Victor. Manut. Aldus.
21. Is est hodie lucus, Lamb. Ceteri, locus, legunt, Aldus, Victor. Manut.
28. Eaque conditas sortes.) Ita ceteri. Lamb. In eamque conditas sortes.
312.23. Qui ingenio atq; animo singulares nati sunt.) Duo verba, nati sunt, alij non habent, Lamb. habet.

311.4. Parilibus.) Palilia Varro nominat, quo die Roma condita est, 11. Kalend. Maias. Athenæus, vt Cicero, Parilia appellat; qui etiam sua ætate Romana vocata fuisse testatur. Turneb. Comment. in Varronem.

314.12. Aut ea ne ipsi quidem dij significare possunt.) Hæc verba omnia tamquam redundantia Manut. tollenda censet. cui non assentior. Aliud enim videtur esse, ignorare, aliud non posse. Minime autem hæc redundare, paullo infra ostenditur. Nam in colligendis ijs, quæ erant proposita, vtrumque seorsum assumit. -Neque, inquit, ignorant ea, quæ ab ipsis cõstituta, & designata sunt; & postremo-neq; non possunt futura prænoscere. Si autem fas esset dicere aliquid diuinæ naturæ deesse; fieri posset, vt quid dij non ignorarent; quod ijdem tamẽ perficere non possent. quo genere Diogenes apud Lucianum, deos, festiue ille quidem, & salsè vt solet, sed æque impie tamen cauillatur.

316.17. Negant enim.) Si pro enim, etiam legas, quod olim Manutius viderat, nihil ad Ciceronis sententiam significandam huic loco deesse videatur: ordine enim singula singulis respondent.

18. Scilicet causas omnium introspicere.) Pro causas, Manutius, quod in alijs vulgatis legitur, casas legendum suspicatur. Adiuuat illius coniecturam, quod eodem libro Cicero ait refutaturus

futaturus diuinationem, quæ per somnium fit. Venit enim, inquit, iam in contentionem, vtrum sit probabilius, deos ne immortales rerum omnium præstantia excellentes cõcursare omnium mortalium, qui vbique sunt, non modo lectos, verum etiam grabatos, & cum stertentes aliquos viderint, obijcere his visa quædam tortuosa, & obscura, quæ illi exterriti somnio ad coniectorem referant; an, & quæ sequuntur. Sed quamquam mihi coniecturæ Manutij mirifice probatur (perbella enim ironia est) non ob id tamen à vulgata lectione discedendum puto.

317.4. Nec si dant vias.) Nec, si non dant vias, Lamb. negandi nota adiecta, quæ in vulgatis alijs abest, edendum curauit. Equidem vulgatam lectionem retineo: quam rectè doctorum hominum iudicium esto.

319.10. Quorum interpres nuper.) Fuit is L. Cotta x v. vir: id quod olim Manutius indicauit ex Sueton. in Cæsare, cap. 79. qui locus adeundus est: hunc enim Ciceronis magnopere illustrat.

26. Quæ Ennius fecit.) Putat Manut. tria hæc verba, tamquam aduentitia inducenda. Lamb. Aurati coniecturam secutus, Q. Ennius fecit, edidit.

321.18. Vnde hæc superstitiosa, alij legunt.

322.15. Amphibologiam.) Nos amphiboliam

Victorio assensi edidimus: quomodo legendū ratio docet. Amphibologia enim, neque latina, neque græca vox habenda.

324.17. Quod somniamus.) Ita legitur in vulgatis alijs: Quod sommiarimus Victor. Quod somniauimus, Manut. edidit.

325.23. Qui igitur conuenit, alij legunt.

330.6. Quid? poeta nemo, nemo Physicus obscurius? illi vero. nimis etiam obscurus Euphorion. Ita Lamb.

332.11. Quod? igitur Marij corpus erat, ex eo, inquit, quod fuerat, plena sunt imaginum omnia ista:) alij post verbum erat, interrogandi notam apponunt; in quibus Victor. quem sequitur Lamb.

335.5. Pleni, enecline simus, alij. Lamb. Pleni, enecti ne fame simus.

337.18. Non ex multis vni potius fidem derogent, quam ex vno innumerabilia confirment. Ita Lamb. edidit; quomodo plane extorquet ratio esse legendum.

338.21. Elidendæ sunt, cum Manutio censet legendum, vt in translatione incepta perstet. Quid autem est, eijcere stirpes? Num elidere etiam in Tuscul. dixit; quod item Manut. annotauit.

IN M. TVLLII CICERONIS librum de Fato.

340.13. Totaque est logicæ.) Victor. Totaque est logice. Lamb. græcis litteris, λογικὴ.

341.26. Sed quoniam mihi rhetorica vestra sat nota.) Lamb. post, Quoniã, sunt, verbum habet.

342.11. Consideramus hic.) Consideramus, Hirti, nonulli legunt.

12. Antipatro.) Is est Antipater Sidonius, de quo mira Plinius refert lib.7.cap.51. quotannis, quamdiu vixit, die suo natali corripi febre solitum, eodem die grandem natu decessisse.

13. Vt in simul ægrotãtibus fratribus.) Hunc locum August. explicat de Ciuit. dei lib.5.cap.1. Cicero dicit Hippocratem nobilissimum medicum scriptum reliquisse, quosdam fratres, cum simul ægrotare cœpissent, & eodem tempore morbus ingraueseeret, eodem leuaretur, geminos suspicatum. Quos quidem Posidonius Stoicus multum astrologiæ deditus, eadem constitutione astrorum natos, eademque conceptos solebat asserere. Ita quod medicus pertinere credebat ad simillimam temperiem valetudinis, hoc astrologus ad vim constitutionemque siderum, quæ fuerat, quo tempore concepti, natique sunt. Hæc Petrus Ramus commentar. in lib. de Fato, ex Augustino.

18. Vt in Icadio.) De hoc Cicero paullo post. De Daphita Valerium consule libro primo, cap. 8. qui illum Daphidam nominat. Strab. lib. 14. in Thorace monte sublatum in crucem ait, quod

in reges carminis licentia (Attalum Valerius fuisse ait) inueheretur.

24. Aut Philippus.) Res hæc tota, vt gesta est, à Valerio commemoratur lib. 1. cap. 6.

26. Quid autem magnum, & naufragum.) Cum huius loci sensus apertissimus sit; male in quibusdam vulgatis stella è regione adscribitur. Quid autem hoc magnum, Ramus legit.

343.1. Ne Hercule Icadij quidem prædonis.) Nec mehercule ne Icadij quidē prædonis. Lambin. editio.

17. Ad Chrysippi laqueos.) Huius extat apud Gellium definitio futi, libr. 6. cap. 2. ex libro περὶ πρόνοιας quarto. εἰμαρμένην εἶναι φυσικὴν σύνταξιν τῶν ὅλων ἐξ ἀϊδίου τὴν ἑπομένην τοῖς ἐπιφορᾶις ἐπακολουθοῦντων, καὶ μέλλα πολὺ μὲν ἦν ἀπαραβάτου ἄτης τῆς τοιαύτης συμπλοκῆς.

19. Inter locorum naturas, quantum interfit, videamus.) Aliter Victor. Inter locorum naturas quantum interfit? videmus, & quæ sequuntur. Quæ lectio videtur maxime probanda. Omnino verbum, videamus, nō placet.

344.6. Et operatur aliquid.) Hoc totū Lamb. in sua editione sustulit; ex superiorum declaratione natum esse suspicatus.

25. cogi puta.) Ita omnes vulgati habēt, quos quidem viderim, præter Lambin. qui colligit, pro cogit legendum censet.

345.3.

345.3. Stilpo, vt ait Laërtius, quosdam ex Euclidis familia audiuit: alij Euclidis, alij Thrasimachi auditorem fuisse ferunt. Ita autem & inuentorum præstantia, & dicendi facultate, ceteris præstitisse dicitur, vt parum abfuerit, quin Græcia vniuersa suis excita sedibus, Megaram ad illum, capta fama illius nominis migrarit.

26. Etenim si est diuinatio quælibet natura à præceptis artis proficiscitur.) Nos secus, & vt nostra opinio est, multo rectius, P. Victorij editionem secuti. Etenim si est diuinatio, qualibusnam a perceptis artis proficiscitur? perceptæ appello quæ Græci θεωρήματα. Ita quidem & Ramus in nonnullis exemplaribus legi ait: quibus & huius loci sententia, & Græcæ vocis ratio suffragatur.

346.6. Cum Diodoro valēte dialectico.) Huius est inuentum cornutum differendi genus. & inuolutum, vt Laërtius auctor est. Qui etiam illud de eo tradit, cum apud Ptolemæum Soterа in conuiuio quibusdam de rebus à Stilpone interrogatus esset, quæ soluere nō potuisset, à rege increpitum, Cronumque in surgio vocatum libro de ijs rebus edito, mœrore victum decessisse.

347.1. Neque necesse fuisse Cypsellum regnare Corinthi.) tota huius rei historia apud Herodotum extat. Cypselli autem meminit & Aristoteles

Aristoteles Polit. 5. cum causſas perſequeretur quare diuturna quorundam tyrãnis exſtitiſſet. XXX. enim annos illum regnaſſe ait. Fuiſſe vero populi ductorem moderatum, popularem, blandum, vt nullis ſtipatus cuſtodibus incedere toto imperij tempore perſeuerarit.

5. Et quæ falſa in futuris dicentur, ea in ijs habebis, vt fieri non poſſint, vt ſi dicatur, Fabium in mari periturum; & quod vere dicatur de futuro, quod q; ita futurum ſit, vt Africanũ Carthagine potiturũ: dices eſſe neceſſariũ. Quæ eſt tota &c. Hæc Lamb. editio; ceteri vulgati, vt noſter, eodem modo habent.

25. Præcepta pronũtient.) Tu vero, vt in ſuperioribus, percepta lege, ratione id extorquente.

348.27. Quam περὶ δυνατῶν appellant.) Hũc locum totum Cicero attingit Epiſtolar. Famil. lib. 9. ad Varron. περὶ δυνατῶν, me ſcito κατὰ Διόδωρον χρῆσθαι. v. quapropter ſi venturus es, ſcito neceſſe eſſe te venire. ſin autem non es, τῶν ἀδυνάτων eſt, te venire. Nũc vide vtra te χρῆσις magis delectet, χρυσιππίτα ne, an hæc, quam noſter Diodorus non concoquebat. Sed de his, &c. Locus olim fuit animaduerſus à Ramo.

29. Anquiritur.) Ita edidit olim Victorius, quem & P. Ramus, & Lamb. ſunt ſequuti, Manut. inquirit.

351.20. Aut falſum, omnia fato fieri poſſint.) Ita

Ita fere in vulgatis omnibus legitur. Lamb. notam negandi addit. omnia fato fieri non poſſint. Victorius ita edidit. aut falſum, non teneat omnia fato fieri, quam lectionem & P. Ramus in commentarijs, & ; quod caput eſt, ratio tuetur.

353.24. Si quidem tibi concedendum eſt aut fato omnia, quæ cauſſas habeant, cur fiant, fieri, aut quidquam, &c. Lamb. editio.

354.19. Etenim erit confiteri neceſſe, ſi hæc enuntiatio, Veniet in Tuſculanum Hortenſius, vera non eſt, verum non eſſe, in Tuſculanum venturum Hortenſium. ſi verum non eſt, Sequitur vt falſum ſit, Lamb.

359.13. Inſcitiam differendi.) Vbicunque fere in vulgatis inſcitia legitur; in manuſcriptis, inſcientia, habetur. Ita & hoc loco, inſcientiam edidit Lambi. fidem credo veterũ exemplarium ſecutus.

17. Tenebitur igitur id, quod à Chryſippo defenditur. Ita Lamb. ab alijs omnibus vulgatis vox, igitur, abeſt. Idem, vbi alij poſt verbum defenditur, punctο clauſulam concludunt; partis, interpunctionem, quæ eſt ſemicirculi auerſi nota apponit.

360.1. Medium ſe ferre voluiſſe.) Medium ferire voluiſſe, Victor. edidit, Ciceronẽ arbitratus genus hoc dicendi à Platone mutuatum, apud quẽ nõ ſemel, μέσην τέμνειν hoc ſenſu vſurpatum

patum inuenitur. Manut. vulgatam lectionem vtraque editione retinuit. Credo, Victorium, præter veteris exemplarii auctoritatem, illud secutum, vt duriusculè dictum medium se ferre, pro, medium se gerere, & neutram in partem inclinare, quod & mihi, vt ingenue fatear, videtur, existimarit.

361.28. Sed reuertitur ad cylindrum.) Locũ hũc totũ Gellius ex Chrysippo vertit lib. 6. c. 1.

362.18. Fateantur tamen eas non sine viso antecedente fieri.) Lamb. sublata negandi nota ita legi debere ait, Fateantur tamen, eas sine viso antecedente fieri. Ita certe legendum ea docent, quæ mox sequuntur, Sed si concedunt anteire visa, &c.

20. Neque eam causſam.) Locus videtur postulare, vt, neque, negandi particula inducatur, vt recte Lamb. ait.

27. Itemq; illi,) Lamb. neq; illi, legi mauult.

363.16. Hoc modo hanc causſam disceptari oportet.) Hic Lambin. tamquam mancus locus sit, stellam apponit.

IN M. T. CICE. DE LEgibus librum primum.

5. Lucus quidem ille.) Libris de legibus non imposuisse Ciceronem extremam manum, probabili in primis argumento Turnebus docet. In recensendis enim libris, quos scripsit, lib. de Diuin

Diuinat. 2. cum meminisset eorum, quos de repub. ediderat; horum, qui proxime illos consequebantur mentionem non fecit; vt verisimile sit, post illius cædem inuentos à suis, at q; vt erant, editos, impolitos deinceps ad nos & nondum plane absolutos peruenisse.

16. Quæ Mariana dicitur. Ita Turnebus in manuscriptis libris se scriptum inuenisse testatur; & paullo post, quam Marianam quercum vocant.

366.9. Certe non longe.) In libris manuscr. certen longe, ex quo Lambinus certe ne longe. Turneb. certone non longe.

24. Opusculo.) In quibusdam antiquis pro opusculo, periculo legitur, quæ lectio si cui probabitur, aut ad Marij exsilium, vt Turneb. censet, erit referendum, aut pro experiendi alea, quod Lambinus mauult.

29. Quippe cum in illa.) Quippe cum illa, alij habent. Turnebus ita legit, Quippe cum in illa ad veritatem quæque referantur, quæ quidẽ mihi lectio placet maxime, vt sit, quod huic vocipleraque respondeat, quæ mox sequitur, in hac ad delectationem pleraque. Perbelle autem ex. Quincte, quæque confici potest.

368.3. Ecce autem succesſere huic bello Cledius, Asilo.) Ita olim Aldus, Victor. Manut. edidit. Turneb. pro bello, belli, vt intelligatur dictio ἱερωνικῶς pro Asilo, Asellio legit. Fuit enim Sem

pronius

pronius Asellio, vt idem ex Gellio annotauit, annalium scriptor. Turnebi lectionem Lamb. secutus eodem modo excudendum curauit.

5. Nam quid Attium numerem, Turnebo non malo sensu, tamquam haud satis dignum censeret, qui in scriptorum numero haberetur.

9. Ad summam imprudentiam, in nonnullis lib. manuscr. legitur. Quæ lectio etiam si non est reijcienda, non tamen vulgatæ præferendam censeo. Quid enim excogitari potest ineptaloquacitate impudentius.

369.14. Subsiciua ceteri legunt. Turnebus, Subseciua ex Frontino. Subseciuum est, inquit, quod à subsecante linea nomẽ accepit. Subseciuorum duo genera, vnum quod in extremis assignatorum finium nomen accepit: alterum quod in medijs assignationibus, & integris centurijs interuenit. Vtitur hac voce & Varro de re rust. lib. 1. cap. 10. & Sueton. in Domitiano cap. 9. quibus in locis pro Succisiuo, Subseciuo est legendum.

19. Cum semel quid orsus, si traducor alio.) Alij melius, Cum semel quid orsus, traducor alio. Manut. Turneb. Lamb.

370.7. Numeros in cantu cæciderat.) Ita olim Aldus, Manut. alij. Cecinerat, alij legunt: in his Victor. Turnebus. Aliter Lamb. -numeros, & cantus remissiores, ipsasque tardiores fecerat tibias. Ita autem se emendare locum ait ex

ex veteris scripturæ vestigijs.

371. 14. Egone? summos fuisse &c. Ita Turnebus. Mihi vero nihil subesse causæ videtur cur cuiquam hoc loco à lectione vulgata discedendum putem.

20. Quam est populo necessarium.) Cum est populo necessarium, alij legunt: Quamquam est populo necessarium, Gulielmus Canter. Nouar. lect. lib. 10. cap. 5. quam lectionem & Lamb. tuetur, itaque se emendasse ait.

24. Quoad populum præstare, alij legunt. Sed germana est lectio vulgata. præstare autẽ, hoc est, necessariũ esse, aut, esse vsui, & cõmoditati.

24. Id autem incognitum est, minusque in vsu necessarium.) Ad hunc modum fere in omnibus vulgatis legitur. Alij recepta vulgo lectione non contenti ita legi malunt, Id autem incognitum est in vsu necessarium. Secus Läb. non nimis tamen à vulgatis libris discedens, Illud autem incognitum minus est in vsu, minusque necessarium.

372.20. Nullo in genere disputandi magis honesta patefieri.) Hæc vulgata lectio, quam cur nobis mutandam censeremus, nulla caussa est visa. Ita certe Aldus olim edidit, Victor. Manut. Lugdunenses, alij. Turnebus ex antiquæ scripturæ vestigijs ita conijcit esse legendum, nullo in genere disputationis sic patefieri, quid &c. quomodo Lambinus imprimendum curauit.

curauit.

374. 20. Sapientius.) Ita ceteri omnes: aptius, legit Turnebus. quæ lectio, etiam si mihi probatur; stat tamen, non antea à vulgata lectione discedere, quam mihi aut certa ratione, aut veteris exemplaris auctoritate ab ijs qui hoc ius sibi sumunt persuasum sit, quidquid videatur mutare, addere, inducere, atq; adeo quamquam venustius, concinnius, elegantius, id ita ex Ciceronis sententia habendum: qui cum errare malo, quam cum quingentis Ciceronis Aristarchis recte sentire. Equidem existimo, æque olim Aldum, Victorium, Manutium, alios viros doctissimos atque excellenti ingenio, cum in hunc locum incidissent, offensos inusitato genere dicendi hæsisse; non ausos tamen eosdem quidquam mutare; quod, etiam si aliquando intelligant Ciceronem ab instituta dicendi consuetudine discedere; quærendum sibi potius putent, cur ita scribere maluerit, quam; quoniam quid ille secutus in scribendo sit, non assequantur, id suo præiudicio damnare. Quãquam non video quid ita hoc loco visum sit, pro sapientius, aptius substituere. Nam quidquid sapienter, hoc est, prudenter fit; apte, & commode idem fieri videtur.

376. 20. Disputari solent nimirum ista: perpetuis cursibus &c.) Non conuenit hoc loco Lambi. cum Turnebo. Nam is ita legit disputari solent nimirum ista, sicut disputantur perpetuis curs. &c. Itaq; se scriptum inuenisse in veteribus libris testatur. Lamb. aliter, -disputari solent ista: & nimirum vt disputantur, ita sunt, perpetuis cursibus, &c.

25. Nam quod aliquibus cohærent, homines è mortali genere sumpserunt quæ fragilia essent, & caduca: animum esse ingeneratum à deo.) A lectione vulgata variat Turnebus -cumque alia quibus cohærent, homines è mortali genere sumpserint, quæ fragilia essent, & caduca, animum tamen esse ingeneratum à deo. Lambinus ex priore dictione, cumque, tollit, que: in ceteris à Turnebo non dissentit.

377. 6. Vt is agnoscat deum.) Turnebus addit pronomen se, atque ita legit, Vt is se agnoscat deum. Equidem nihil muto: tamesi enim se tollatur, nihilo minus elicitur sensus optimus, & Cicerone dignus.

27. Et rerum plurimarum obscuras, & necessarias intelligentias enodauit.) Turnebus, leui mutatione, enodauit. Lambinus inchoauit, ex Aurati coniectura; cui huius loci emendationem, si modo corruptus est, refert acceptam. Gulielmus Canterius quidem huic suffragatur, nouar. lect. lib. 1. cap. 4. qui laudem huius restituti loci sibi vindicat: præreptam quæritur. Sed non in eo solum variat lectio apud Turneb. &

Lambinum, verū in ijs quæ proxime verbum, enudauit, antecedunt. Ita enim legit Turnebus & rerum plurimarum, obscuras nec satis, intelligentias enodauit; vt duæ dictiones, nec satis, ad verbum referantur. Hoc autem modo si legatur, minus necesse fuerit, pro enudauit, enodauit ve, inchoauit substituere; quod Canterius, & Lambinus mauult, qui accepisse se ab Aurato fatetur. Aliter autem is legit & rerum plurimarum obscuras, nec satis apertas intelligentias inchoauit. Mihi quidem, vt etiam duæ illæ voces, nec satis, tollantur, egregie videtur lectio vulgata posse defendi. Neque enim semper ad summam normam, & plane ad vnguem verborum vis, & notio exigi debet: neque Cicero id hoc loco forte spectauit, vt magis ostenderet quam aperte naturā rerum notiones nobis imprimeret in animis, quam vt naturæ in hominem benignitatem, quæ illi effusas suas opes, & diuitias ostentaret, verbo prolixioris beneficētiæ vsus declararet. Quæquamquam ita sint, nihil tamen temere affirmo.

380. 4. Sed etiam in prauis actibus.) Sed etiam in prauitatibus, Turnebus, atque illum Lamb. secutus.

8. Lenitatis est enim, & suauitatis.) Aliter Turnebus: leuitate enim, & suauitate delectans, sic ab errore mentis tamquam salutare aliquid

aliquid asciscitur. Lambin. pro hac voce, leuitate, lætitate legit; in ceteris Turnebum sequitur. Ego cum Aldo, Victorio, Manutio vulgatam lectionem retineo.

15. Propterque honestatis, & gloriæ similitudinem. Ita emendat hunc locum Turnebus. In vulgatis alijs legitur, Propter quam. corrupte, vt videtur: sed tamen nihil muto.

381. 4. Alium ab alio, Turne. & Lamb. ab, in alijs abest.

6. Quod dico, Lamb.

20. Vnde enim illa.) Vocem, enim, Manutius inducendam putat, tamquam otiosam, ac perturbantem adeo Ciceronis sententiam.

382. 8. Attice * videtur.) Manut. vnius litteræ mutatione, additione vnius verbi loco restituto, Attico, opinor, videtur, legit. Nihil autem poterat Quinctus certi de Attici sententia statuere. Itaque mox Atticus, An mihi, inquit, aliter videri possit, cum hæc &c.

23. Articulatim desecta dicuntur. Ita olim Victor. edidit. quæ mihi lectio magnopere probatur.

27. Aut scilicet tua libertas.) Sic Lambin. in fine periodi sublata interrogandi nota. Turneb. lect. vulgatam retinet.

383. 1. Non semper, Tite.) Non semper ita. Turneb.

23. Probantur.) Turneb. probentur, melius,

ratione approbante.

384. 8. Nam & in ùs.) Suffimenta, vt ait Festus, fiebant ex fabâ milioque molito, mulsa sparso: ea dùs eo tempore dabantur, quo vuæ calcatæ prælo premebantur.

13. Nulla sunt, vt sint tamen.) Turnebus. Nulla sunt, vbi sunt tamen. Lamb. lectioni vulgatæ, &; copulam addit, atque, & vt sint, legit. mox vbi alij legunt -persæpe falsa sunt, vt eos agitent, duo verba interponit. itaque legit -persæpe falsa sunt, quâ conscientia, vt eos agitent, &c. vt sit quod particulæ, tam, respõdeat.

23. A natura iure aliquo.) A natura iure aliquo. Turn. Lamb.

27. At incauti.) Ita Manut. Victorius, Aldus. Aut incauti, Turnebus. Et incauti, Lamb.

385. 9. Acturus, alij omnes. Facturus Lamb.

16. Scita sint.) Ita legitur in omnibus alijs impressis, quæ scita sint, Lambi. edidit.

386. 7. Atqui si natura confirmatum ius non erit.) Aliter Turnebus, Atque si natura confirmatura ius non erit.

21. Quæ si tanta potentia.) Alij, in quibus Victor. Quæ si tanta potestas. Lambin. Quod si tanta potentia.

387. 3. Easque in animis nostris inchoauit.) Ea quæ in animis nostris inchoauit, Lamb.

5. Non in natura posita. Turnebus, & Lambinus.

20. Nos

20. Nos ingenia iuuenum non ratione ab ingenita naturæ virtute, sed vitia, quæ exsistunt ab ingenijs iudicamus.) Aliter hunc locum Turneb. aliter Lambin. edidit. Turneb. ita: Nos ingenia iuuenum, non item ad ingenia: natura virtutes, & vitia, quæ exsistunt ab ingenijs iudicabuntur. Lambinus autem, Nos ingenia iuuenum non ratione, sed natura iudicamus: cur non item ab ingenita natura virtutes, & vitia quæ exsistunt ab ingenijs iudicabimus? Nos tribus diuersis lectionibus propositis erudito lectori, quam potissimum præferendam censeat iudicandum relinquimus. Quamquam non dissimulabo, leuissima mutatione, vt meam quoque coniecturam in medium afferam, ita locum posse emendari, Nos ingenia iuuenum non ratione, at ingenita naturæ virtutes, vt vitia, quæ exsistunt ab ingenijs, iudicamus. sed quanti hæc ipsa mea coniectura facienda sit, docti viderint. certe cum vt quæ noxæ inferuntur perbelle attexi, adnectique videntur.

389. 13. Vbi gratus.) Alio verborum ordine vtitur Turnebus, Vbi gratus, si non eum ipsi cernunt grati, cui referunt gratiam?

29. Erubescunt, & pudet impudica loqui.) Turnebus ita legit, -Erubescunt pudici etiam loqui de pudicitia. Itaque lacunam esse suspicatus, locum stella appposita notat. Victorij

editio eadem, præter vnam vocem, pudici, habet. Sed quamquam ita in manuscriptis legatur, facilis videtur huius loci emendatio.

391. 3. Cum ista oratione.) Ad istam orationem, Turneb. & Lamb.

4. Et cuius asciscendi caussa.) Turnebus, Lamb.

391. 2. Voluerunt, cum hoc loco male antea legeretur, Manutius ex Alciati emendatione, noluerunt docuit legendum; quem alij postea sunt secuti. Vide commentar. Turneb.

4. Nec Mamilia lege.) Male in omnibus fere vulgatis legitur, Nec Manilia lege. Victorius vnus, Mamilia, olim edidit: quem miror neminem adhuc præter Lambinum secutum esse. Constat enim ex Aggeno Vrbico C. Mamilium tribunum pleb. cuius meminit Sallust. in Iugurtha, legem tulisse, quæ in agrorum finibus, quinque, aut sex pedum latitudinem præscriberet, quos vsucapi vetaret. eadem autem iubebat, vt ex hoc Ciceronis loco apparet, singulos arbitros finibus regundis constitui. Vide Hotomani legum Romanarum indicem.

7. Pepigerit.) Turnebus, & Lamb. pegerit, à prisco verbo pago, quo vtitur auctor Rhetor. ad Herenn.

26. Dicta sunt, * Q. Nec Lycurgi leges.) Hic Lambin. lacunam explet, atque hæc omnia ex vetusto exemplari addit - dicta sunt, è media philosophia ducta sunt. Tu autem alicuius ciuitatis leges fortasse desideras. Q. Equidem nec Lycurgi leges, &c. Quamquam autem se suspicari ait ea à studioso aliquo explendi loci caussa ad oram libri adscripta, & à librarijs in Ciceronis contextum translata, non tamen se delere ausum fuisse ait.

395. 5. Societatemque carnis eiecerit, tum suis, omnibusque natura coniunctos suos duxerit.) Hæc vulgo recepta lectio. Turnebus ea improbata, ita edidit - Societatemque caritatis coierit cum suis, omnibusque &c. præclara ille quidem coniectura, sed non tamen, vt propterea censeam mihi à lectione vulgata discedendum. Societatem enim carnis eycere ita interpretor, vt significet, vitia exuere, quæ à contagione corporis, & mortalitate exsistunt, à sensibus mentem, & ab ijs, quæ sensus oblectant, abducere, erigere ad altiora animum, & ad diuina contemplanda assuefacere. Nam quod Manutius ait, videri, sibi pro suis legendum; etiam si suis, hoc est, propinquis, & sibi arctioribus naturæ vinculis deinctis, non male legi posse puto, tamen non pugno.

395. 27. Quasi sæpimento.) Hic Victor. putat Ciceronem Græcam vocem φραγμὸν expressisse simili Stoicorum vsum, quo illi vim & naturam dialectices explicabãt. Vide Laërtium in Zenone. Victor. var. lect. libro secundo,

capite 12.

28. Veri, & falsi iudicandi scientia. Turnebus & Lamb.

396. 24. Re vera facis, & merito, & ipse.) Enimuero facis merito, & ipse, Turnebus. Aliter Lambin. Vero facis & merito, & recte.

IN LIBRVM DE LEgibus secundum.

397. 17. Tubos & euripos.) Nos Victorium secuti, -nilos, & euripos edidimus; qua voce vtitur alibi etiam Cicero in Epistol. ad Q. Frat. De Arcano, inquit, Cæsaris opus est vel mehercule etiam elegantioris alicuius: imagines enim istæ, & palæstra, & piscina, & nilus multorum Philotimorum est, non Diphilorum. Neque vero nilus, vox est obscurioris significationis.

398. 15. Quare id est nescio quid.) Turneb. Quare inest nescio quid.

399. 7. Idem ego.) Quem ego, Lamb.

17. Alteram iuris.) Alteram ciuitatis. Turneb. & Lamb.

19. Eosdem migrare.) Eos demigrare Manut. emendat, quomodo & Turnebus & Lambinus excudendum curauit.

20. Et Symphradas ex Atticis.) Turnebus: & Sunij ijdem erant, & Attici: sic nos &c.

23. Qua reipub. nomen vniuersæ ciuitatis est.) Lamb. In qua reipubl. nomen & vniuersæ ciuitatis est.

400. 3. Ambio.) Manut. ex coniectura, & Maffei libro, pro Ambio, Balbo reposuit: quippe cum constet Pompeium pro Balbo dixisse; quis Ambius is fuerit nulla veterum monumenta ostendant.

11. Quod satis sit.) Lamb. Quoad satis sit.

22. Quam ex Quincto.) Recte Manut. pronomen, quam, referri inepte ad vocem amœnitatem arbitratus, pro, quam, quemadmodum, legendum censet. Sæpe enim veteres ita hanc vocem contrahebant, vt non ægre, altera pro altera ab imperitis acciperetur.

23. Thebanus Epirotes.) Ita legit Turnebus in commentarijs, ac nomen fundi fuisse credit quem Atticus in Epiro habebat. In Aduersarijs, subesse mendum suspicatus, Thyamin legendum putat, quod erat fluminis in Epiro nomen. Id autem Buthrotum coloniam eius regionis celebrem alluebat.

35. Emathio.) Pro Emathio, Turnebus, Amalthæo, edidit.

401. 2. Nam hunc tibi totum dicamus diem, maiore musarum primordio, sicuti Arati carmine orsi sumus.) Ita in omnibus alijs excusis legitur. Turnebus aliter, -Nam hunc tibi totum dicamus diem. M. Ab Ioue musarum primordia, sicuti in Aratio carmine orsi sumus.

Equi-

Equidem fateor mirificam coniecturam Turnebum secutum à lectione vulgata recessisse. Ex priore enim littera huius vocis, maiore, M. quæ est nota Marci loquentis, ex sequentibus, ab Ioue, perbelle efficit. Nam totum locum principium Arati carminis maxime illustrat. Sed idem tamen censeo non male vulgatam lectionem retineri posse. Etenim & ab Ioue orditi, & maiore primordio orditi in eandem dici sententiã & recte & ordine posse intelligo.

402.29. Item cum in homine est perfecta.) Cum in homine est perfectum, Turn. Item perfecta lex est cum in homine est perfecta, Lambinus legit. Ego lectionem vulgatam retineo. Nihil enim verius esse videtur, quam eum hominem sapientem esse; in quo homine perfecta lex absolutaque est, quæ eadem est sapientia habenda.

404.14. Tu Seias & Apuleias.) Tutias, & Apuleias alij legunt; alij, Mutias, Sulpicias alij. Vide Turne. comment.

406.5. Salutis, legunt alij omnes. Lambin. Saluti magis ex vsu, & proprietate latini sermonis.

10. Et hoc admodum delector, Lambin. ceteri, in hoc admodum, habent.

407.8. Sed ne aduenas.) Et ne aduenas Manut. Qui nihil tamen mutat: coniecturæ suæ modo rationem ostendit.

23. Itemq; alios addes.) Itemq; alios ad dies Turneb. mirifica coniectura.

24. Idq; ne committi possit.) id, quod ne cõmitti possit. Turnebus. Ita autem est explicandum, Qua in re ne quid peccari possit, Est enim committere, peccare. Idem, quod mox sequitur, pro rationem, ratione legendum arbitratur.

408. 17. Irrita infectaq;.) Turneb. Irrita, infectaque, hoc est, non fausta. Quæ lectio in manuscr. habetur.

20. Bella, disceptatio.) Bella disceptanto, Turneb. quæ germana lectio videtur.

22. Etruriæq; principes disciplinam docento.) Rectius Turneb. Etruriaque principes disciplinam doceto. Neq; enim magni populi Rom. intererat, vtrum Etrusci principes disciplinam sacrorum, an ex plebe homines, modo illi sacrorum, & religionum periti, suos docerent. Quin autem è Romana ciuitate principum filij more, atq; instituto maiorum ad disciplinam sacrorum percipiendam singuli singulis Etruriæ populis traderentur, nemo est tam qui ignoret.

26. Neve quem initianto, Turneb.

409.7. Qui clepserit, rapserit q;.) Qui clepsit, rapsitve, Turneb. qui quidem in vetere libro, pro clepserit, cleperit se scriptum inuenisse testatur.

15. Leto dato.) Leto datos, Turneb.

17. Apte tam magna lex.) Turneb. ex apte, ate,

à te, efficit : itaque legit, Conclusa est quidem à te magna lex, sane quam breui. pro, breuis, quæ vox est in alijs omnibus libris impressis, breuiter edidit Lamb.

410. 2. Vt ego, VT ET TV ROGAS possim edicere.) Vt ego, VTI ROGAS possim dicere, Turneb.

16. Nec manibus.) Alij, inquit Turnebus, amnibus, malunt : quibus illud Virgilij suffragatur-donec me flumine viuo Abluero. quæ mihi germana lectio videtur.

411. 16. Et quod Thales.) Et quod à Thalete, Lambino, cum pendeat à superiore verbo, dictum est. Turnebus à libris vulgatis non discedit. Tantum principium alterius periodi facit, vt verbum, dixit, putauit, censuit desideretur. Vide Turnebi commentar. qui egregie hunc locum ex Themistio illustrat.

19. Veluti quo infans esset maxime religiosus.) Hunc locum haud dubie deprauatum asseriscо olim Victorius notauit : quem optima innixum coniectura ita Turneb. emendat, Velutiq; in fanis essent, maxime religiosos.

25. Religio patrum.) Ex vetere libro Turnebus, in quo se scriptum inuenisse ait, parum, & ex lege, Religio Larum emendat. Compitalibus autem, inquit, rem diuinam Laribus faciebant, quibus tot pilæ, quot capita seruorum erant : & tot effigies, quot essent liberi

liberi in familia à patribus familias poni solebant. Cato de Villico, rem diuinam nisi compitalibus in compito, aut in foco ne faciat. Hæc Turnebus; quibus addendus locus est ex Arnobij libro tertio aduersus gentes. Possumus, inquit, si videtur, summatim aliquid & de Laribus dicere, quos arbitratur vulgus vicorũ, atque itinerum deos esse; ex eo quod Græci vicos cognominant Lauras, & quæ sequuntur.

412. 8. Cylonio scelere expiato.) Vide Thucydidem libro primo, Pausaniam in Atticis, Turnebi commentarios, Adagia Iunij, pagina 884. Basileensis editionis.

412. 12. Malæ fortunæ, detestatæque.) Victorius, Malæ fortunæ detestatur; quæ omnia: quomodo se item scriptum inuenisse in manuscriptis libris Manutius testatur : qui, tamquam explicandi caussa adscriptum verbum, & temere postea ab imperito librario receptum, inducendum putat. Turnebus ex verbo, detestatq;, quomodo in antiquis libris legi ait, in æde stat, aut., de testa emendandum censet, fuisse illic aram testaceam suspicatur. Idem tamen priore emendatione improbata, Aduers. libro decimoquarto, capite sexto, ita censet legendum, Quæ omnia eiusmodi detestanda, & repudianda sunt; quomodo Lambi. edidit. Turneb. tamen Mureti emendationem laudat. Is ita locũ emendat. Quæ detestata

ta omnia, eiusmodi repudianda sunt.

14. Quod si fingenda nomina vice poëtæ, & potius vincendi atque potiundi statassandique cognomina statoru, & inuicti Iouu.) Locus haud dubie fœde dilaceratus, notatur asteriſco à Victorio, & Manut. tamquam reliqua nulla ſpes ſit, ſine veterū exemplarū ope illū ſanādi. Turn. pro hac voce, ſtataſſandi, aut caſta dijs aut ſtata dijs, vt in deplorata ſpe, legi poſſe non male arbitratur. vbi autem alij, & potiundi, at potiundi, legit. quæ illius coniectura mihi magnopere probatur. Lamb. ex coniectura, vt reor, Ciceronis ſentētia explorata, ita edidit, Quod ſi fingenda nomina ſunt, vice poëtæ fingenda potius à vincendo, atq; potiundo, ſiſtendoq; cognomina, ſtatorū, omnipotētis, & inuicti Iouis: rerūq; expetendarū nomina, &c.

20. Catalino, Turneb. & Lamb. legit.

20. Fortunaq; ſit vel Huius diei; nam valet in omnes dies; vel Reſpiciens, ad opem ferendam; vel Fors, in quo incerti caſus ſignificantur magis; vel Primigenia à gignendo comes.) Locum miſerandum in modum lacerum, & mutilatum, feliciter Turnebus & magna cum ingenij, atque eruditionis laude emendauit: Fortunæ huius diei ædem Catulus vouit Cimbrico bello, quo die cum Cimbris pugnauit, vt Plutarchus in Mario ait. Reſpicientis Fortunæ templum fuit iuxta ædem Iouis

Iouis Victoris; Fortis fortunæ trans Tyberim; Primigeniæ in colle Quirinali.

28. Et perfectionem.) Ad perfectionem, Turnebus legit.

28. Rusticorum, & ad remiſſionem animorum.) Quattuor hæ poſtremæ voces, & ad remiſſ. anim. in Lambi. editione habentur: in alijs abſunt.

413. 15. Vt aduigiletur.) Ita Victor. Manut. Turneb. Vt aduigilent, Lamb.

16. In natura feminarum omnem deum caſtitatem pati.) Ita impreſſi omnes alij habent. Turneb. haud dubie meliore ſenſu. ita edidit, In natura feminarum omnem caſtitatem peti.

27. Neq; multorum, ne eſſet infinitum, neq; paucorum librorum vt ne ea ipſa, quæ &c. Hæc Lambini editio.

414. 9. Si vnus augur aliter dixerit?) Hunc locum Turnebus Ciceronis alio ex ſecundā Philipp. emendat. Ita enim Cicero de Antonio comitia de Dolabella dirimente. Confecto negotio, bonus augur, Lælium diceres, Alio die, inquit. Sic autem hic legendum arbitratur, Si vnus augur, Alio die dixerit? quemodo edidimus.

14. Vt etiam decreto collegij.) Vt Titiam, leui admodum mutatione alij malunt. Titiæ autem permultæ leges latæ. in hac Titia agraria à Sex. Titio tribuno plebis M. Antonio, A.

Postumio coss. anno ab v. c. DCLIIII. vt vectigal agrũ publice assignatis impositum quæstor colligeret. Eius meminit Cicero libro secundo de Oratore, & in orat. pro Murena, Valer. libro octauo, capite 1. Hæc ex Hotoman. legum ind.

415. 5. Et cogitur.) Et colligitur Lamb. ab alijs omnibus dissentiens.

9. Neque enim Poletis.) Ita alij legunt Suidam secuti, qui Poleta quendam ait ἐγράψαι διάνυσμα scripsisse. Turnebus ex veteris libri auctoritate, atque Homeri adeo carmine, quis vt vatu optimi, Polyidi meminit, pro Poletis, Polyidi, legit.

24. Fuisse dupliciter.) Fuisse duplex, Victor. Turneb.

416. 13. Eumolpidæque nostri.) Recte Manutius aut erratum esse in personarum notis, & hæc ab Attico dici; aut, pro nostri, vestri esse legendum arbitratur.

26. Innocentes.) Ego aut diuidendam hanc vocem, & in nocentes legendum puto, vt ad veteris comœdiæ morem alludat, in qua insignita impunitate & licentia in hominum mores inuehebantur, aut, quod alij malunt, in nocturnu emendandum. Ita enim Cicero paullo infra Nouos vero deos, & in his colendis nocturnas peruigilationes. sic Aristophanes facetissimus poëta veteris comœdiæ eos vexat, vt apud eum Sabazius, & quidam alij duo peregrini iudices è ciuitate eijciantur.

417. 24. Constitutis in alijs omnibus excusis legitur. constitutæ, Lamb.

418. 21. Ciuium animos, alij. in ciuium animos, Lamb.

25. Inde demi.) Ita Manut. Victor. Vocẽ, inde, Turneb. delet. Lãb. pro inde demi, incidit, legit.

419. 13. Apud Solos, alij legunt.

29. Apud deos.) Apud vos, Turnebus, ex Ranconeti coniectura, viri pereruditi.

420. 2. Omnia autem.) Hic merito Victor. locum haud satis esse integrum arbitratus lacunam relinquit.

6. Circumspicit hæc celeriter animus.) Circumspicite celeriter animo, Victo. ex antiquo libro in quo, animo legi ait, & Ciceronis loco pro Sylla, Circumspicite paullisper mẽtibus vestris, vt alia omittamus, & quæ sequuntur.

15. Quo scelere.) Huius loci restitutio, vt aliorum fere omnium in his libris, Turnebo debetur. Ita enim parua illũ mutatione emendat: Quorũ scelere religiones prostratæ afflictæq; sunt, partim ex ijs distracti, ac dissipati iacent.

20. Vita cruciati, atq; dedecore.) Non solum vita cum cruciatu, atq; dedecore, Lamb. Forte ita legendum, Non solum vitæ cruciatu, atq; dedecore, vnius modo litteræ mutatione.

421. 5. Tum cupiditate, tum metu.) Turneb.

Tum cupiditatum æstu, tum conscientia. Interpretatur tamen non dissentit à vulgatis.

8. Reprimam iam, & non insequar longius.) Reprimam iam me, & non insequar longius. Lamb.

10. Tantum pœnam merui.) Locus haud dubie corruptus. Tantum pœnam Erebi, Victor. edidit. Alij ex Victorij editione, tantum ponam Erebi duplicem pœnam esse diuinam. quæ lectio minime placet. Nam Erebi pœna nihil ad viuos. A. Turneb. ex vetere scriptura, Tantum ponam, erui, hoc est, colligi, & concludi. quæ duriuscula est. Lambinus melius, vna addita littera, b, & alijs suo ordine collocatis, Tantum ponam breui; quod genus dicendi minime est Ciceroni inusitatum. Idem pro, & ea fama, & ex fama, mox legit.

21. Ex inani corpore) Lamb. Ex inanimo corpore, secutus vim græci verbi. Ita enim Plato, ἐλεύθερας δὲ ἀπολελοιπότος ψυχὴ σάρκας. Locus est ex lib. de leg. 12.

24. Quodq; voluerit.) Quod quis voluerit. Sic enim Plato, ὅ, τι ἂν ἕκαστος βούληται. quomodo Turneb. & Lamb. edidit.

25. Itemq; lapideum in delubris communibus. Textile, & quæ sequuntur. ita ex Platone erat interpunctione distinguenda.

412. 1. Diuinissima autem dona habet & firmæ.) Hæc lectio ex Aldi editione in alios exculsa fere omnes manauit. Tu quidem cum Manutio pro

pro, habent, ex Platone, aues lege. Sic enim Plato, θειότατα δὲ δῶρα, ὄρνιθές τε καὶ ἀγάλματα, & quæ sequuntur.

7. Ferroq; subiciendi.) Ferroq; subigendâ, Läb.

14. Vera, & apertissima.) Vero, & apertissima, Lamb.

19. Sed ita locus ipse vt notus sit, ex quo ducatur quæque res, & ars iuris, vt non difficile sit quæcumq; noua caussa consultatione acciderit, eius, & quæ sequuntur.) Hæc vulgo recepta lectio: clarior multo hæc, Turnebi, auctior certe. Sed ita, locus vt ipse notus sit, ex quo ducatur quæq; ars iuris: &, vt non difficile sit, qui paullum modo ingenio possit moueri, quæcumque noua caussa consultatione acciderit, eius, &c. Verba autem illa, qui paullum modo ingenio possit moueri, ex vetere scriptura ait se restituere. Nam, quæ coniectura Ranconeti est, pro, ars iuris, aliquanto meliore sensu, pars iuris legendum existimat.

23. Iurisconsultus.) Ita male hactenus in libris impressis lectum est. Iurisconsulti primus Manut. edidit.

423. 2. Sæpe, inquit, Turneb.) At, inquit, Ald. Victor. Manut.

5. Aut vllo omnino?) Aut luminum? Lamb.

6. Si ergo quod cum religione coniunctum est.) Si, particulam Turnebus inducit.

13. Perpetua sint. sacra hic posita.) Ita

Manut. edidit, veluti deprauatus locus esset, asteriſco è regione in margine adſcripto: Turnebus ita: perpetua ſint ſacra. Hoc poſito, hæc ſura pontificum auctoritate conſecuta ſunt. Lamb. in ceteris Turnebo aſſenſus, in vno variat: ſic enim legit. Pontificum auctoritates conſecutæ ſunt. Pontificum auctoritatem conſecuta ſunt Victor. legit.

16. Et ijs eſſent ea adiuncta, Turnebus, vt ad ſacra, hæc referantur. Et ijs eſſet, cum Victor. tum Manut. habet.

19. Cum moritur, vſuceperit plurimum poſſidendo, Turnebus. Id autem, vt apparet, ex vetere ſcriptura, in qua cum ante verbũ acceperit, moriturus legatur ex duabus poſtremis litterũ, us, & a, priore verbi ſequentis, vſuceperit, mirifica coniectura conficit.

424.3. Vt is qui mortuus ſit.) Si ita legas, nõ video qui ſenſus elici poſſit. Turn. ita edidit: Vt is, qui ei, qui mortuus ſit, ſenſu multo apertiore.

12. Quod pontificum pecuniam.) Melius Turneb. Quod pontifices pecuniam ſacro coniungi volunt.

14. Atque etiam addunt hoc Scæuulæ, quod eſt partitionis caput, Lamb. ex Ranconeti coniectura.

15. Vt ſi in teſtamento.) Variat hic Lamb. magnopere à lectione vulgata: quam, & auctoritate veterũ exẽplar. & ratione certa Turnebus tuetur. Si, in teſtamento, vt C. deducantur ſcriptũ non ſit, ipſique C. minus ceperint, quam omnibus heredibus relinquatur, ſacris ne alligẽtur. Sane apparet aliquid hic deeſſe ex ijs, quæ paullo poſt ſequuntur. Quid huc acceßit ex iure ciuili? Partitionis caput, ſcriptum caute, vt C. deducerentur.

416.2. Niſi coheredib⁹.) Sine coheredib⁹, Turneb. quæ eſt lectio facillima, atq; apertiſſima.

14. Itaque vſibus tantummodo pontificis eſſet, ſi pontificalis maneret auctoritas.) locus, vt nemo non videt, fœde corruptus ex veteris lectionis veſtigijs, atq; adeo in vulgatis adumbratæ ita Turnebo reſtituitur, Itaq; ſi vos tantummodo pontifices eſſetis, pontificalis maneret auctoritas. Sed quod ij lem iuris ciuilis eſtis peritiſſimi, hac ſcientia illa eluditis. Nihil hac coniectura certius.

24. Quod ſi hoc, qui teſtamentum faciebat.) Hæc in Victorij editione ad Attici perſonam referuntur. Manut. Quid ſi hoc, legit, appoſita in fine interrogandi nota.

28. Super dicebant.) Superiores Turnebus emendat. Forte pro ſuper, inſuper legendum.

416.7. Sitque ea non * doctum hominem.) Hoc loco Lambin. ingentem lacunam explet ex Plutarchi Problemat. cui etiam ſi plurimum ob ſingularem eruditionẽ tribuo, in hoc tamen minime aſſẽtior, vt à ſe verſa è Græco ſcriptore.

Ciceronis verbis adjiciat. Neq; enim cuiquam quidquid illi suspicari veniat in mentem plane, potest exploratum esse, quo ex loco Ciceronis id Plutarchus potissimum sumpserit. atq; adeo etiam si minime id obscurum sit, non tamen ille ita Ciceronis testimonio vtitur, vt in re narranda, præter rem ipsam, quam vt fit suo arbitratu explicat, in medium afferat: tantum enim ait - ὡς Κικέρων ἱστόρηκεν. Quod si ita rem Plutarchus ex Ciceronis scripto retulisset, vt verbum verbo responderet, nemo tamen illud daret, ex quibus verbis Latinis hæc versa à Plutarcho essent: cum Latinæ linguæ, in Cicerone præsertim, tanta copia sit, & varietas, quemquam, vt etiam disertissimus esset, assequi posse. Sane locus hic Turnebum non fugit, cuius in commentarijs meminit. Sed rem modo, loco indicato, notauit: cetera, quæ minus poterat præstare facile passus est nulla sua culpa desiderari.

7. Cuius fuit Attius perfamiliaris.) Decimam Brutum credit Turnebus intelligi, ex Ciceronis oratione pro Archia. Decimus Brutus summus vir, & imperator Attij amicissimi sui carminibus, templorum, ac monumentorum aditus exornauit suorum.

16. Qua residunt mortui.) Turneb. Quid residentur mortui, ex Aemari Ranconeti viri clarissimi coniectura.

19. Eas

19. Eas in eos dies conferre ius, quibus neque ipsius, neque publicæ feriæ sint. Ita Turneb. legit.

24. Quod genus sacrificij Lare verueecibus fiat.) Vetus liber, inquit Turnebus, sacrificare verberibus habet: vitiosa plane scriptura, vt & recepta. Legendum aliquando censui, farre & verbenis. Nam farra torrida in februis fuisse scribit Ouidius. Exuerras autem mihi significare videtur. Sic vocabatur purgatio domus, ex qua efferebatur mortuus, quæ fiebat per euerriationem certo genere scoparum adhibito. Videtur tamen scriptum fuisse, sacrificij aræ verberibus fiat. Nam vt luperci obuios verberabant ad vrbem purgandam, ita quoque ad familiæ purgationem hac cæremonia sacrum forte fiebat. Hæc Turnebus. Lambin. pro Lare, Lari edidit.

26. Confracta iura sint.) Ita alij vulgati libri. Cõtracta iura sint emẽdat Turneb. ex auctoritate veteris exemplaris, & certe ratione.

417. 4. Quod procul ad fontis aras.) Turneb. quod ad fontis aras, legit: sed ita tamen vt coniectura emendet, quod ad fontes erat: non enim extabat Numæ sepulcrum Ciceronis ætate, iam olim à scriba agrum repastinante in Ianiculo refossum. Non procul à fontis ara, Lamb.

7. Esse humatã. (Ita Aldus, Manut. Victor. Alij pro, humatam, vsam legunt.

9. Acerbiore odio incitatus, quam si &c.) Lamb. Acerbiore odio incitatus: qui paruisset numquam, si tam sapiens fuisset, quam fuit vehemens. Equidem non male pro, quam si, vna abiecta littera m, quasi, legendū puto. Non enim semel nomina comparationis absolute sunt à Cicerone vsurpata.

17. Corpus incēsum est.) Corpus cessum est, ex vetere exēplari Lamb. edidit. Turneb. vulgatam lectionem ita retinet, vt non probet. In manuscriptis tum, corpus cæsus est, tum, corpus vorsus est, legi ait. Forte, vorsum est, legendū: Supra enim dixerat quemadmodum os reiectum terræ obtegatur: sed hæc coniectura.

18. Penitus humati dicantur.) Turneb. Ponitur, vt humati dicantur.

21. Tum & ille.) Tumulis, antea male hic legebatur; pro eo, proclivi coniectura & facili, Tum ille &, Turneb. emendat.

27. Quod os supra terram non exstaret Porcam heredi esse.) Totum locum ita Turneb. emendat, - Quod os supra terram, non extra portam, heredi esse, scilicet, familiam puram. In vetere enim libro legi ait, non exstare portam. Nam extra portam, inquit, excipiebatur es, ad quod familia purgabatur.

418. 1. Piaculum dandum, Lamb. Alij omnes, piaculum pati.

11. Quid qui post duodecim in vrbe sepulti sunt?

sunt? M. Claros viros credo, Tite, fuisse, aut, &c.) Alia interpunctione verborū vtitur Turnebus, Quid qui post xij. in vrbe sepulti sunt clari viri? M. Credo, Tite, fuisse &c.

14. Poplicolæ.) Ita scribendum lapides Capitolini testantur.

23. Domma honoris.) Turneb. ex vetere scriptura, mina honoris, lamina credit legendum, quomodo Lambin. edidit.

27. Minuendi sunt sumptus.) Lāb. - de minuendo sumptu. de lamentatione &c. Forte ita legendū, Minuēdos esse sumptus, lamētationesq; Nam hoc genus dicēdi Minuēdi sunt sumptus, non videtur esse legis iubentis, & vetātis. Sed nihil ob id tamen muto.

419. 4. Tribus ricinijs, & vinculis purpureis.) Turneb. ita scriptum se inuenisse affirmat in vetusto codice - tribus ricinijs & vincla purpurea; ex qua scriptura veræ lectionis vestigia retinente - & tunicula purpurea, legēdum, optima, vt mihi videtur, coniectura, existimat. Lamb. aliter - tribus ricinijs, & clauis purpureis.

6. Ne radūto.) Lāb. Ne carpūto. Turnebus, Ne radūto, immixus loco Plinij ex lib. 11. Infra oculos malæ homini tantū, quas prisci genas vocabāt xij. tabularū interdicto, radi a feminis eas vetante.

10. Lælius.) Tu L. Aelius lege. Fuit autem

L.

1. Aelius cognomento Stylo, & Præconinus, cuius testimonio crebro Festus vtitur. Vide Sueton. de Claris Grammaticis.

27. Quod erat factitatum vt vni plura fierent, lectiq; plures sternerentur.) Lambin. Quod erat factitatum vt murrhatâ injicerẽt, lectique plures sternerentur. Ita se ait edidisse ex codice Memmiano. Festus, Murrhata potione vsos antiquos indicio est, quod etiam nunc ædiles per supplicationes dijs addunt ad pulvinaria; & quod duodecim tabulis cauetur ne mortuus indatur. vt ait Varro in Antiquitatum libro primo. Turnebus, pro verbo, sternerentur, inferrentur, legit.

430. 1. Qua in lege cum esset, Neue aurum addito, quam humane excipit, altera lex, Vt quoi auro dentes vincti essent, ast im cum illo sepelire, vrere ve se fraude esto. Et simul illud videtote aliud habitum esse sepelire, & vrere. Hæc Turnebi emendatio. Alia est Lambini, Qua in lege cum esset, Neue aurum addito, quam humane excipit altero capite, si cui auro dentes vincti essent, ast im cum illo sepelire & vrere se fraude esto. Ita autem se edidisse ait ex emendationibus codicis Memmiani. Imò autẽ pro eum, se fraude, pro sine fraude dixerunt antiqui. Auctor Festus.

5. Aliud habitum esse sepelire, & vrere.) Ita edidimus Turnebi cõiectura probata. Male enim

enim in vulgatis hactenus lectum est sepelire tur ære. In qua quidem scriptura quis non videt, veræ lectionis & germanæ expressa vestigia Turnebum secutum?

16. Domusque funeris.) Dominusque funeris Manut. emendat, vt in oratione in Vatin. Dominus epuli.

18. Memorantor.) Aut hic, memorentur; aut suprà, pro indicatur & vtatur; indicito, & vtitor legendum. Turnebus, & hic, memorentur, & paullo post, prosequatur, edidit.

20. Græci.) Graccho, quæ antiqua sciptura est, legit Turneb. & pro, nominant, nominantur. a Graccho autem putat legendum.

431. 6. Hoc ius terra humandi.) Corporis terra humandi, Lamb. corpus terra humandi, Manut. quem secuti sumus.

7. Quam cum proximi fecerant.) aut pro, Quam, legendum, Quod. aut dicendum aliquid deesse. Pro fecerant, iniecerant, Lamb. legit.

11. Parentes coronati.) Turneb. pro hac voce parentes, propinqui legit. Quid enim, si nulli essent parentes superstites? Haud sæpe vero accidit, vt in eorum funere, qui ob magnitudinem rerum gestarum essent laudandi, cum fere grandes natu efferrentur, parentes interessent.

14 Ad iusta coniecta erant.) Lambin. deleta, ad, iusta confecta, erant, edidit.

17. Nostri viri in decimam tabulam coniecerant

rant.) Nostri decemuiri in decimam tabulam coniecerunt, Turnebus. pro hac voce, decimam, vt Turneb. legendum suspicatur, vndecimam Lamb edidit.

411.15. Ciuis è republica maxime, tuendæq; ciuitatis peritissimus. Turneb. quæ mihi lectio verior, quam vulgata videtur. In illa enim nisi, aut, studiosus, addas, aut, desideres, id, quod durius esse videatur, plane hæreas.

IN LIBRVM DE legibus tertium.

425.2. Quod cum dico legem à me dici, nihil aliud intelligi volo.) Hic duæ voces, nihil aliud, in quibusdam manuscript. non habentur. Itaque & Turneb. illæ, & Lamb. delet.

436.22. Plures in prælia.) Alij plures in plura, Turneb. plures in piera legit. Piera autem prisca atq; obsoleta voce, pro plura Pacuuius vtitur apud Festum. Equidem miror Festum non hic xij. legum loco tam illustri ex Cicerone vsum. Tametsi & id quoque potuit vsu venire. Fœde enim mutilata, & dilacerata siue Festi, siue Verrij scripta ad nos peruenerunt.

437.21. Discordiæ ciuium esiunto.) Turneb. ex antiqua scriptura, escunt ne esse, haud dubie corrupta & seditiones, vel potius maiore vocum affinitate, & conciones suspicatur legendum. Mihi quidem nisi huic voci, conciones, aut turbulentæ, epitheton, aut seditiosæ, addatur, quod præteriri obliuione potuit, vix ita legi posse videtur. neq; enim sane, concionem, pro conciliabulo, & nocturno cœtu vsurpatam vspiam inuenio. Lambinus totum hunc locum sic legit, Ast quando duellum grauius, discordiæve ciuium escunt, vnus ne amplius sex menses, nisi senatus creuerit, idem iurè, quod duo consules teneto. Supersit verbo vsus est Ennius. Vide Festum.

24. Aequitatemque quicumque regat.) Equitem cumque qui regat, Turneb. edidit. Equitatum quicumque regat, Lamb. lectioni vulgatæ suffragatur quod mox sequitur. Comparatur enim, vt Turneb. ait, iuris disceptatori.

26. Ast quando consulis est.) Lamb. Ast quando consulatus est, magistratusve populi. Gulielm. Canterius ex vna voce, consulis, duas efficit, Ast quando consul is est, magistratusve populi, & quæ sequuntur. Congruit autem hæc lectio Manutij editioni, qui pro, magistratusve Populi, magister ve populi, legit. Equidem quod dubitem habeo, cui assentiar non habeo. Diuinare enim quæ verior lectio habenda, tantis vndiq; offusis tenebris, non est facile.

438.16. Cum suffragia, cum sciscentur.) Ita edidit Victor. Lamb. particula, cum, semel posita, ita legit. cum sciscentur, suffragia optimatibus nota, plebi &c.

18. Cohærario assusit, qui cohæres populus creato,

rreato. eique ius cohærendi dato.) Hæc vulgata lectio. Turneb. ita cæratore vsus sit, qui cæret populus creato, eique ius cærandi dato. Videtur autem priscis verbum cærare pro curare, vt mœnire, & pœnire, pro munire, & punire in vsu fuisse. Vide Turneb. Comment. Locus quidem mihi videtur egregie restitutus.

24. Quod sensus erit.) Quod censuerint, Legit Turneb.

26. Senatori, qui nec aderit, aut caussa, aut culpa esto. Caussas populi teneto.) Hæc lectio in impressos fere omnes ex Aldi editione manauit. Victor. plura in sua editione habet. Senatori, qui nec aderit, aut caussa, aut culpa esto. Loco senator, & modo orato. Caussas populi teneto. Ex qua lectione præpostero verborum ordine deprauata, Manut. optima coniectura innixus veram ac germanam efficit. Senatori qui nec aderit, nec loco, nec modo dixerit: aut caussa, aut culpa esto, caussas populi teneto.

439. 1. Actoris esto.) Auctoris esto, Victor. & ante illum Aldus: sed actoris videtur legendum.

8. Comitatum.) Nos, comitiatum, Manut. Turneb. alios viros doctissimos secuti. Aldus olim, comitatum, & Victorius postea edidit.

13. Priuati, alij, ex his Manut. Turneb. Priuata, alij legunt, vt Victorius, Lamb. impressi Lugdunenses.

15. Disce, & tabellam iubebo.) Sic olim Aldus edidit: Discere & tab. Victorius: Discerem, Manut. & Turneb. Discedere, & tabell. Lamb.

20. In libris, & quam max.) Manca oratio. Turnebus, in libris illis, legit, optimo sensu, mox pro, temperationem, Lambin. temperatio edidit. Ita paullo post, Atqui pleraque sunt dicta in illis libris.

440. 18. Ab hac familia magis ista manarunt, Platone principe.) Ad hanc familiam magis ista manarunt à Platone principe. Turneb. verisimili coniectura.

441. 1. Produxit, alij malunt: quibus non repugno quidem, sed vt à lectione vulgata non discedam.

22. Qui post exstitit.) Lamb. Qui post exstitit ipse.

442. 14. Reapse, pro, hac re, Manut. ex Seneca emendauit.

443. 3. Nostra est, Turneb. Lamb. in alijs desideratur.

10. Cito legatus.) Cito ablegatus, Lamb. ex Aurati coniectura.

12. Creatus.) Recreatus emendat Canterus Oberti Gyfanij viri doctissimi coniectura probata. Vulgatæ lectioni ratio repugnat: Ita paullo post, renatus. quæ probabilior multo lectio est.

25. Ruinis, & emissicijs.) Ruinis, & ijs sicijs, Turneb. admirabilis imprimis illius ingenios-

genio digna coniectura. In veteribus enim libris ait se scriptum inuenisse, Et Isicijs, huius lectionis haud dubia vestigia retinentibus. Forte non male emissitijs etiam legatur; vt, conductas operas improborum ciuium intelligi velit; qui suæ improbitatis, & nequitiæ parua accepta mercede, multorum malorum in repub. administri auctoresq; essent. Dicti autem emissitij, venusta translatione, quod tamquam è tormentis tela, in rempubl. ad eam euertendam emitterẽtur. Ab eodem Plautus ad oculos transtulit in Aulularia.

445. 12. Non solum vetitus.) Turneb. Non solum nectus. Lamb. Non solum nexus.

15. Sed tu sapientia maiore nihilo vide.) Manut. Sed tu sapientiam maiorum nonne vides? Qui tamen vulgatæ lectioni parcit, suo more tantum, coniectura sua, & sententia indicata. Turneb. Sed tu sapientiam maiorum in illo vide: nihil fere à Manutio dissentiens. Aliter Victorius. Sed tu sapientia maiori nihilo videris.

22. Nullos in omni memoria reperies pernicioſos tribunos, leues, & non bonos fortasse plures.) Ita legit Manut. Victor. Non nullos Läb. pro nullos edidit.

28. Vt multis præclarissimis.) Legibus, addit Lambin. offensus merito vago atq; incerto epitheto, præclarissimis. Placet autem, magis intelligi

telligi libertatem addici præclarissimis legibus, quam viris præclarissimis, quod alij interpretantur. Omnino deesse vocem, legibus, per incuriam à librario omissam suspicor.

446. 15. Et si nos multitudinis vis furentis.) Hunc locũ ita Manutius ex Maffei libro emendat. Et si multitudinis vis furentis inflammata inuidia pepulisset, tribunusque aliquis in me populum.

447. 9. Non mehercule.) Turneb. Nunc mehercule. Certe, Non mehercule, nisi quis ita dictum putet ἐιρωνικῶς, vt sit in præsentia temporicedentis, & nimis obfirmati & præfracti à se opinionem auertentis, repugnare Ciceronis sententiæ videtur.

14. Comitatus.) Ita Victor. olim edidit. Cõmitiatus, Manut. & post illum Turneb. quos est Lamb. secutus.

17. Quod senatus consulto efficitur.) Hunc locum totum ita Turnebus corrigit. quod senatus efficitur, populare est sane, neminem &c.

448. 3. Præclara vero frater ista lex, sed & late patet, vt vitio careat ordo, & censorem quærat interpretem. Ita legit Turneb.

22. Et si quem aliũ præterij, Turnebus, Lambinus. In alijs, præterij, desideratur.

23. Quod sic tenemus.) Quod si est, tenemus omnia, Turneb.

25. Vt enim cupiditatibus principum, Turneb.

Victorium secutus. Alij putant, vt, particulam tollendam, & pro enim, cum, legendum.

449. 9. Qui eas frangere deberent, cupiditatis eiusdem tenerentur.) Et si teneor, inquit Manutius, cum genitiuo legitur apud Plautum: tamen & ad sententiam, & ad vsum loquendi magis placeret hæc lectio: Qui eas frangere deberent, eisdem tenerentur.

17. Secutam, Manut. cum de præteritis agatur, legendum putat. Mihi vulgata lectio haud videtur reijcienda: habet enim minime difficilem sensum.

450. 11. Quin in lege.) Itemq;, Manut. atq; Turneb. legit. Lamb. Manutio assensus, itemque, edidit. &, mox, in rogatione ferenda, clam, an palam ferre melius esset.

451. 4. Atque isti rationi.) Pro, rationi, Lamb. rogationi, legit.

19. Doluitque quoad vixit.) Turneb. totum hunc locum ita legit, Docuitque quoad vixit se vt opprimeret C. Popillium, nocuisse etiam reipub. In manuscripto enim libro, vbi excusi Cælius populum habent, ait se C. Populum scriptum reperisse.

25. Fluctus probata Hieronymi Ferrarij coniectura; atque adeo certam rationem secuti edidimus. Male, fletus, in alijs impressis legitur.

26. Ac nostro quidem, qui cum res esset ad se delata.) Turnebus, ac nostro quidem. Quæ cum

cum res esset ad se delata. vt, nostro, ad vocem mari referatur. Lamb. ita, Ac nostro quidem auo, cum, &c. Mihi videtur, vna sublata syllaba, qui, male repetita, vt fit, per incuriam ab antecedenti, quidem, egregie locus posse restitui. Nam hæ voces Noster, meus, vester, tuus, suppresso nomine, cui hærent, sæpe & eleganter, & venuste vsurpantur.

453. 14. Auctor enim moderatur & effingit.) Auctor enim moderatus effingit, Manutius. Alij, moderatur, & fingit.

454. 8. Memoriæ, pro, memoriam, Turneb. coniecturam Manutij secutus.

455. 7. E quibus sæpe opem referre possit.) Optima fretus coniectura Manut. ex Referre, verbo diuiso, quod male per incuriam librariorum coierat, -opem reipub. ferre emendat.

13. Nondum mitis tribunus.) Lambin. haud multum à vulgatis discedens, pro, initis, cognitis, & pro negotialis vna voce corrupta, ne cogitatis, duo aptissima huic loco verba edidit.

18. Scitum esse & iussum in omneis, Turnebus. Quæ videtur esse germana lectio.

456. 2. De quo serui, & latrones sciuisse aliquid diceret.) Hæc Manutij emendatio. Lab. hæc verba ait adscripta in codice Memmiano, De quo serui, & pauci omnino ciues aliquid dicerent. Quæ merito illi lectio probatur.

IN LIB. DE VNIuersitate.

458. 2. P. Victor. ex Nonij auctoritate librum vulgo de Vniuersitate inscriptum censet Timæum appellandum; quippe quem è Platone in Latinum sermonem conuerterit.

459. 5. Expers,) Lamb. expertem legit, ex Græc. τὸ δι' αὖ δόξῃ μετ' αἰσθήσεως ἀλόγου.

24. Consident, alij. Consistunt, Lamb.

460. 10. Si ergo generatus.) Sic ergo generatus, Victor. & Lamb. ita enim Græc. οὕτω δὴ γεγενημένου.

461. 19. Recte ne igitur vnum mundum dixerimus, an fuit, plures, & innumerabiles dictu verius, & melius? Ita legit Manut. ex Platone. Sic enim ille, πότερον οὖν ὀρθῶς ἕνα οὐρανὸν προσειρήκαμεν, ἢ πολλοὺς, καὶ ἀπείρους λεκτὸν ὀρθότερον; Pro, dixerimus, Henricus Stephanus, diximus, putat legendum.

463. 11. Sed vinculorum id est aptissimum, atque pulcherrimum, quod ex se atq; de ijs quæ astringit quam maxime vnum efficit.) Lamb. Quod ex se, atque ex ijs quæ astringit. Plato. δεσμῶν ὁ κάλλιστος ὃς ἂν αὑτὸν καὶ τὰ ξυνδούμενα, ὅτι μάλιστα ἓν ποιῇ.

18. Contingit, vt veluti ei quod medium sit, primum proportione, ita id postremo comparetur. Ita Lamb.

24. Ita necessitas cogit vt eadem sint ea quæ deiuncta fuerunt.) Deiuncta Manut. legit. Plat. πάντ' οὖν ὡς ἐξ ἀνάγκης ταὐτὰ εἶναι ξυμβαίνει. τὰ αὐτὰ δὴ γενόμενα ἀλλήλοις ἓν πάντα ἔσται.

37. Quidquam esset requisitum.) Quidquam profunditatis siue altitudinis legendum Henr. Steph. suspicatur; vt sit, quod huic voci βάθος respondeat. Lamb. quidem ita edidit.

464. 5. Aquam deus animamque poneret.) Henricus Steph. Aquam deus aëremque poneret. Sic & paullo post - vt quemadmodum ignis aëri, sic aër aquæ, quodque aër aquæ &c. Anima & Cicero est alibi vsus pro aëre, & Lucret. lib. 5. sæpissime.

22. Posset ex perfectis partibus esse perfectus, legit Lamb. & paullo post - ne quis morbus eum posset, &c.

465. 13. Nihil inclusum angulis.) Lambin. Nihil incisum angulis.

15. Quoad eius.) Quod eius, Manutius. Conuenit certe magis participio νομίσας: quippe quo caussam eius consilij reddit. Neque vero hoc loco silentio prætereundum est, rem dignam admiratione videri, à Cicerone vocem μυρίῳ non fuisse expressam, cum ad rem augendam plurimum facere videretur: vt verisimile sit à Cicerone expressam illam quidem, sed à librario per incuriam præteritam.

466. 4. Corpore sustineret.) Recte Henricus Steph. aut, corpus sustineret, aut, corporis docet legendum. Sic enim Plato οὐδ' ὅλως τῆς περὶ τὸ βάσιν ὑπηρεσίας. Sed, corpus esse legendum iam antea Manutius docuerat.

4. Motum enim dedit cælo eum, qui figuræ eius sit aptissimus, qui vnus ex septem motibus menti atque intelligentiæ conueniret maxime. Ita Lamb. edidit, quicum faciunt Græca verba· Κίνησιν γὰρ ἀπένειμεν ἀνίσῳ τῷ τῶ σώματος οἰκείαν τὴν ἑπτὰ τῷ περὶ νοῦν καὶ φρόνησιν μάλιστα οὖσαν. Quod quamquam ita sit, haud tamen à vulgata lectione discedo. Si quis enim attentius vim verbi, cohibere, consideret, Platonis sententiam Ciceronẽ expressisse intelligat.

13. Hæc deus.) Alij, hæc non habent. Qui semper erat, Manut. ex Græco legit.

21. Quod secum ipse, Lamb. & paullo post -satis sibi ipse notus, & familiaris. Alij, priore loco, ipsum male; posteriore, ipse, ratione id extorquente, legunt.

467. 12. Vel cum eadem.) Vi cum eadem, vt Manut. recte censet, edendum curauimus, veritate id extorquente.

13. Alienam permiscens cum materia.) Manut. -alienam. Permiscens autem cum materia. Græca secutus. Ita enim Plato, μιγνὺς δὲ μετὰ τῆς ἀνίσου, καὶ ἐκ τρίων, & quæ sequuntur.

468. 22. Atque ita.) Hunc locum ex Manut. conie

coniectura, qui quæ verba deerant ex Platone adiecit, quæque deprauata erant in muliebre genus cum virilis essent, emendauit, integritati suæ restitutum edendum curauimus.

469. 13. Spectabile.) Henricus Steph. Aspectabile, vt iam Cicero τὸ σωματοειδὲς καὶ ὁρατὸν interpretatus est corporeum, & aspectabile.

15. Contentionis.) Male, quod Manut. animaduertit, ita in alijs excusis perdia lectum est, pro hac voce, concentionis. Sic autem est legendum vt græcæ dictioni, ἀρμονία, respondeat. Nisi quis malit, consensionis Idem de Orat. 1. Omnia hæc quæ supra, & subter vnum esse, & vna vi, atque vna consensione naturæ constricta esse veteres dixerunt &c. Consensio quidem vox huic loco æque apta, vsu receptior certe quam concentio est. Totum autem locum Lambinus, ordine verborum nonnihil immutato, ita edidit, Est autem vnus ex omnibus rationis concentionisq; (ἁρμονίας Græce) compos, & particeps: quo nihil ab optimo, & præstantissimo genitore sempiternarum rerum, & sub intelligentiam cadentium melius procreatum.

19. Quippe qui ex eadem vinctus. Locum à Manutio restitutum, cum fœde deprauatus antea legeretur, Græci exemplaris fidem, & Platonis sententiam secuti edidimus.

470.4. Cum eandem partem attingit.) Cum quæ eandem partem, Henricus Steph. legit: qui merito etiam dubitat, an verba illa, quæ sequuntur illius generis alterius immutatus, Ciceronis sint; in Græcis certe non habentur. Ita enim Plato, καὶ ὁ τοῦ θατέρου κύκλος ὀρθὸς ἰὼν εἰς ταῦτὸν ἀεὶ τῷ ψυχῷ διαγγέλλη, &c. ex postremis autem verbis omni eius animo videtur legendum.

6. Immutatus.) Hanc vocem Henricus Steph. veluti redundantem inducendam putat. Pro, immutatus Lamb. incitatus edidit. Neutra certe vox apud Platonem.

13. Ita vim suam.) Lambin. ante hæc verba, alia addit, ex Platone, Tum cognitio scientiaque efficitur, atque absoluitur. Hoc loco videnda sunt, quæ à Victorio notantur Variar. lect. lib. 19. cap. 17.

25. Quando igitur.) Et hic Manutium secuti, locum ex Græc. emendantem à vulgata lectione, quæ corrupta tota erat, discessimus.

471.11. Quasi facilitatis inflexione vertebat.) Quasi Helicis inflexio verteb. Henricus Steph.

472. 15. Impressa ab illis. Expressa Henricus Steph. ex Græc.

28. Vniuersitatis naturæ. (Manut. Vniuersitatis figuræ, vt respondeat Græc. τῷ δὲ παντὶ προσεικάζων. Lamb. Vniuersitatis figurã eius.

29. Comitemq; cum sapientiæ quam optimæ mentis

mentis effecit. Lamb. Græca quidem ita habent-τίθησί τε εἰς τὸν ἅ κρείττου φρόνησιν, ἐκείνῳ ξυνεπόμενον.

473.2. Hunc varietate distinctum.) Manut. Hac varietate distinctum ex Platone & Maffei libro.

7. In anticam partem. Ita olim Petrum Victorium secutus Manutius quoque ediderat.

14. Ratione.) Pro ratione Henr. Steph. errationem, legit.

16. Iam vero terram.) Et hoc loco Manutium secuti sumus: cui fere huius libri restitutio referri accepta debet.

19. Flexiones.) Alij, Fusiones, vel potius, Lusiones, vt explicet vim nominis χορείας.

25. Errorem incutiant. (Tu, terrorem cum Manutio, vel, horrorem lege; ita enim ait scriptũ in Maffei libro inueniri, cui Græc. suffragantur.

474.5. Enuntiare Henrico Steph. assensi edimus, ex Græco verbo ἐπεῖν ita locum emendanti.

13. Sed quia de rebus suis, & sibi notis, aut ita, Sed quia de rebus sibi notis legendum, quod equidem malim, vt Henr. Steph. admonet.

25. Qua ipsi volunt, vt Lamb. edidit, legendũ. Male enĩ, quo, pro, qua, in impressis hæserat.

29. Quæ per me facta, non sunt dissoluta me inuito.) Aut sine negãdi nota, non, sunt indissolubilia me inuito, quemadmodum Manutius emen-

emendat, aut, non sunt dissolubilia me inuito, legendum, vt Lamb. edidit. Qui priora illa quattuor verba, Quæ per me facta, tollit; cum ob id, quod orationis inconsequentiam faciunt, tum quod in nonnullis editionibus, in Victorij præsertim non habentur. Nam quod apud Platonem legantur, vt omittam, argumento esse, illa redundare, quod à Cicerone minime conuersa sint (video enim illum liberius munere interpretis fungi) facilis responsio est. Nam in nonnullis Græcis exemplaribus, Henricus Stephanus ostendit, eadem illa verba non haberi; vt æque & ex Latinis in Græca, & ex Græcis in Latina, per sedulos illos quidem, sed eosdem imperitos manare temere potuerint.

475. 5. Nec fraus valentior.) Lambi.-nec erunt valentiora.

11. Teneat autem oportebit, vt eodem ne quid absit, quæ à me ipso effecta sint deorum vitam possint adæquare. Hæc quidem vulgata lectio. Nos locum ex Manutij coniectura emendatum edidimus. Lamb. in ceteris fere probata Manutij emendatione, ex Græco, tria verba, post illa quæ à me ipso effecta & vitam consecuta sint addit. Sic enim Plato, εἰ ἐμοῦ εἶτε τυγχάνοντα, καὶ βίου μεταλαχόντα, θεοῖς, &c.

22. Statusq; male legitur in alijs impressis, tu pro, status, vt recte admonet Henricus Stephanus,

phanus, satus lege, vnius litteræ detractione. Ita enim Græcis Latina respondent.

29. Superiorisq; permissionis.) Ita excudendum curaui, probata Manutij emendatione, qui ex hac voce, superisque, quæ male in vulgatis libris hæserat, duabus litteris, or, interiectis superiorisque, mirifice loco restituto admonuit legendum.

476. 2. Sed à dijs.) Nos, vt Henrico Steph. placet & Lamb. edidit. sed ab ijs secunda sumebat, atque tertia.

15. Cum autem animis corpora insevisset.) Et huius loci emẽdatio Manutio debetur, quem secuti sumus.

23. Contrarie dissidentes.) Henr. Steph. ex Græco ἐναντίως διεσῶντα.

477. 1. Transferet, & si ne tum quidem.) Inter verbum transferet, & illa, & sine tum quidem, nonnulla à Cicerone omissa (quæ illi caussa omittendi fuerit non facile est diuinare) ex Platone Lambinus addit. Anno autem millesimo vterque ad sortitionem, optionemq; vitæ secundæ perueniens optabit quod quisq; genus velit, vbi & in belluæ vitam animus humanus deferetur. Et si ne tum quidem, &c.

478. 17. Modo huc, modo illuc.) Post hæc verba, hæc Lamb. ex Platone addit, sex oras partesq; versus errans procedebat.

19. Sed si in splendore consedit.) Ante hæc verba.

verba, nonnulla ex Platone à Lambino adduntur. Iam vero earum imaginum, quæ finguntur, & redduntur in speculis, eorumq; quæ splendida, & læuia sunt, rationem perspicere haud difficile est. Nam ex ignis vtriusque externi atque interni communione inter ipsos si in splendore & læuore consedit, & quæ sequuntur.

10. Redditur. omniaque huiusmodi necessario in speculo referuntur, atque apparent, cum ignis. Et hic à voce, omniaque, vsque ad illa, cum ignis, in Lambini editione habentur; In alijs omnibus absunt.

11. Offusus, in re læui, & splendida se confudit, & contulit. Ita legitur in Lambini editione: verba illa, in re læui, & splendida, excusi nulli præterea habent.

479.8. Sed æstimant, alij.) Sed existimant. Henricus Steph. Neque enim, vt recte ait, pro altero sumi alterum potest. Eodem loco Manutius pro adiuuantia caussarum, adiumenta, tũ ex verbo Græco ξωφέλια, tum ex Maffei libro emendat.

480.9. Conuersiones ad numerum.) Ad, tollit Henricus Steph. Græca verba secutus, τῶν δ' ἡμέρα τε καὶ νὺξ ὀφθεῖσαι, μῆνές τε καὶ ἐνιαυτῶν περίοδοι μεμηχάνηνται μὲν ἀριθμὸν χρόνου, &c.

IN Q. CICERONIS libr. de Petitione consulatus.

11. Suppetunt ea, quæ.) Pronomen, ea, in nonnullis impressis non habetur.

22. Homines.) Vox hæc in quibusdam non exstat.

23. Tamen ab amore.) Ita postulante ratione, nonnullis exemplaribus probatæ fidei rationi suffragantibus, in his Victorij, edidimus.

481. 16. De tuo omni ingenio, Lamb. Ceteri vocem, tuo, non habent.

482.20. Esse. si adduxeris.) Lamb. esse. quod si adduxeris eos qui nolunt, vt cupiant, &c.

483.3. Ambo à pueritia sicarij.) Ita edidimus P. Victorium secuti. Manut. & Aldus pater à pueritia non habet.

10. Cum ad tabulam, Lamb.

16. Primum nobilitate eadem, qua Catilina. num maiore? non: sed virtute. Lamb. ita edidit, Primum nobilitate eadem: deinde maiore, non virtute, sed audacia. Alij sic legunt: Primum nobilitate eadem. num maiore? non, sed virtute. Alij hoc modo: Primum nobilitate eadem. non maiore? non, sed virtute. Quæ mihi verior lectio videtur. Ob id autem dictum: non maiore? quod ex patricia familia Catilina esset, Antonius plebeia, sed nobili. ἰεχνικῶς autem, quod sequitur-non, sed virt

virtute.

18. Quamobrem quam Manius vmbram suam metuit, hunc negliges quidem natum, &c.) Ita olim edidit Victor. secus Manut. patru editionem secutus. Quamobrem, qui manius vmbram suam metuit, hunc negliges quidem, natum, &c. quæ lectio non video cur sit reijcienda. Aliter Lamb. vt sibi consset in superiore emendatione. Quin ille Manius, & vmbram suam metuit; hic ne leges quidem, natus &c. quæ quamquam ingeniosa coniectura & peracuta sit, non tamen discedo à lectione vulgata, cum optimus ex ea sensus, & facillimus eliciatur. Timuisse autem Catilinam quamquam audacissimus esset docent ea quæ paullo post sequuntur. Hic se sic habet, vt magis timeat, etiam si quieuerit; quam vt contemnat, si quid commouerit. Quorum autem facinora, & scelera sunt maxima; ij merito suam vmbram metuere dicuntur: sæpe enim vnde minus exspectatur, à vindice deo imminet sceleris pœna.

24. Tantasiorum alij, pro Tanusiorum. Lambin. Tantasij à Catilina interfecti meminit Asconius in Orat. Cicer. quam habuit in toga candida.

484. 16. Et Cneios.) Et Veclios, alij legunt.

485. 23. Vt forti viro, Lamb. cuius multo crebrior est vsus.

486. 1. Inuidere.) Lamb. cum negandi nota, non inuidere, verbo, suspicor, tamquam adventitio sublato. mox autem pro, etiam existimo, quin etiam existimo, legit. Ego & verbum, suspicor, retinendum censeo, vt paullo post etiã nouos homines prætorios existimo, & quæ sequuntur; & inuidere, vt est in alijs excusis, sine negandi nota legendum.

2. Beneficio vincti Lamb. edidit. Alij omnes, quos sequimur, beneficio iuncti legunt.

5. Ab honoribus nouis alienati.) Duriuscule hoc quidem, sed hoc sensu tamen dictum videtur. Ab honoribus, mandandis nouis hominibus alienati. Lambin. vna voce commutata, optima coniectura, cum magna litterarum affinitas sit, pro honoribus, hominibus edidit.

11. Amicos.) Aut inimicos, aut non amicos, aut minus amicos legendum. non amicos quidem Lamb. edidit Turnebum secutus.

29 Vt quisque optimus.) Vt quisque intimus legit Turnebus.

487. 1. Vt is amet, quisq; fidelissimum esse te cupiat.) Rolandus Petreius, qui in hunc librũ commentarium pereruditum edidit, ita hunc locum emendat, Vt is amet, & quam amplissimũ te esse cupiat; in alijs quidem manuscriptis it a legi ait, Vt is amet, quiq; fidelissimus esse re cupiat. Victor. editio ita habet, Vt is amet, quique fidelissimũ esse te cupiat. Lamb. Petreij emenda

tionem acceptam codici Memmiano refert.

6. Amici ad speciem hominis illustriss.) Petreius, post dictionem amici, punctum apponit. Quæ sequuntur verba ita legit, Ad speciem homines illustres. quam coniecturam, Lambino probat. Mihi quidem ita vt nihil certius illa videatur.

12. Qui tribuunt centuriam.) locum magnopere corruptum ita Petreius emendat. Qui abs te tribum, aut centuriam, aut aliquod ex te beneficium, & quæ sequuntur.

23. Concerno.) Pro, concerno, quomodo, legitur in Aldi, Victorij, Manutij editionibus, confido, Petreius legit. Sed quid, si Cicero minus vsitate, vt nobis videtur, loquatur, addo minus apte, dignum ob id eum ferula, aut flagro censeamus? Turnebus tamen ex vetusto codice, cõfido, legit; quod sibi aliquando confirmasse Läb. ait.

26. L. Coruini.) Alij C. Orchinij legunt.

29. Vt idem ab ijs quod debent.) Victor. editio duo verba habet, quæ in Manutij desiderãtur, Vt hoc tempore ab ijs, quod debent. Lamb. pro, quod debent, qui debent, legit.

488. 5. Ad studium seruandum,) Ad studium nauandum Petreius legit: quid secutus non ait. Equidem cõiecturã probo, sed ita edicturus si ita legendũ plane mihi ex vetere libro constaret. Cur autẽ nauãdum, magis, quã præstandũ, aut refirẽdũ, aut repræsentandũ legi putẽ oportere? 7. Init

7. Initiata est.) Sic hactenus excusum est in vulgatis. Petreius, munita est, legit, quomodo Lamb. in vetustis libris manuscriptis emendatum ait: quos plurimi facit.

11. Et quemadmodum memini quod nulla.) Varie hic locus in vulgatis legitur. in Victor. editione ita. Et quemadmodum nemini, quòd &c. Ex quibus leuiter immutatis, probata Mureti coniectura, ita Lamb. edendum curauit. Et quemadmodum, nemini illorum vlla in re vmquam, &c. procliui verborum cursu, & vsitato genere loquendi. Petreius aliter, conuerso tantum ordine verborum, Et quemadmodum, quod memini, nulla in re vmquam &c. Ego ita emendari posse locum puto, Et quemadmodum nemini quidem vlla in re, &c. Est enim exploratum ijs qui in scriptis veterum legendis versantur, has voces, quidem, quod, quamquam, sæpe vna aut altera littera contrahi, vt non sit difficile describenti temere alteram pro altera sumi.

17. Vel voluntate.) Alij, Vel voluntatis.

20. Vt satis causse putent, se ad studium suffragationis dedisse.) Petreius, pro, se, pronomine, esse, legit, inducto verbo dedisse postremo loco. Lambi. secus. Vt satis causse putent, te ad stud. &c. Vtraque lectio probanda: sed Lamb. eo probabilior, quo minus à vulgata discedit: retinet enim verbum, dedisse, quod expungit

alius.

21. Et intelligant.) Nos melius-vt intelligant, Lamb. editionem secuti.

489.16. In suis ciuitatibus.) In suis vicinitatibus, alij legunt, haud dubie meliore sensu: quos secuti sumus. Cõfirmant hanc lectionem, quæ paullo inf. sequuntur. Habeto rationem vrbis totius, collegium omnium, pagorum, vicinitatum.

19. Eius caussa.) cuius caussa debent aut volunt facile possunt. Lamb.

16. Hos vt internoscas, videto, ne, &c.) Ita Victorio assensi edidimus. Manu. alia verborum interpunctione vsus ita legit, Hos internoscas: & videto, ne, &c.

491.11. Ceterorum hominũ varios homines.) Locum, vt nemo non videt, corruptum, sic Petreius, mirifica coniectura innixus, emendati: Ceterorum ordinum nauos homines, & gratiosos, &c. In quibusdam enim vulgatis nouos homines est, atque adeo in Aldi editione; vt recte Manutius, pro, nouos, nauos reposuerit. Eodẽ autẽ modo paullo post Cicero etiã loquitur.

17. Afficere.) Ita Manut. & ante eum Aldus pater. Victor. affici, legit. quem plures sunt postea secuti.

17. Deinde habe oratores.) Petreius, Deinde habe rationem. Lamb. deinde habeto rationem. Qui tamen hanc emendationem Memmino codici refert acceptã, & Turneb. Omnino quod quis sequatur melius non habet.

18. Collegium, pro collegiorum. Lamb. legit. Qui enim aliter posit? forte integra vox, collegiorum, reponenda.

22. Tibi distributam.) Tibi tributim descriptam, Lamb. partim ex emendatione Turnebi, partim ex coniectura.

28. Ciuitatibus.) Et hoc loco, vt supra etiam, vicinitatibus, edidimus. quo tamen in loco, vicinitatibus olim Victo. excudendum curauerat.

29. Tibi aliquos petant.) Tibi petant, alij deleta voce, aliquos, quibus assentior: & verior enim, & venustior adeo lectio est.

491.3. Quæ ad rationem.) Ita Manut. & ante eum Aldus pater. Quæ ad eam rationem, Victorius legit.

5. Sin vero etiam præsidij in se aliquid tibi constitutum esse putant. Lamb. Mihi nulla caussa est visa vulgatam lectionem improbãdi.

11. Sed vt consequatur.) Si non consequatur, Lamb.

24. Multo enim facilius.) Huius loci restitutio Lambino debetur; qui, cum præpostero ordine verborum turpiter deprauatus esset, nullo addito, nullo adempto verbo, ijs in pristinum modo ordinem redactis, quæ loco mota antea, peruerse collocata erant, integer legitur. Ante

hanc clausulam enim, cuius est initium, Multo enim facilius, collocanda ea erat, quæ male in vulgatis sequitur, Deinde habebis, & quæ sequuntur.

26. Tum autem equester ordo sequetur &c.) Turnebus ope veteris codicis innixus ita legit, Tum autem quod equester ordo tuus est, sequuntur illi auctoritatem huius ordinis, si abs te adhibebitur ea diligentia, vt non ordinis solum voluntate, sed &c.

491.12. Et hac consuetudine quæ nunc est. Lamb. editio.

25. Cum domum tuam venient.) alij legunt.

494.12. Alij rem honestam. Lamb. Alij honestatem, Mureti coniecturam secutus.

495.29. Spem in repub.) Lamb. Speciem in repub. in enumeratione enim cum hoc sit postremo loco positum, ei ordine respondent quæ postea explicabit. Postremo, inquit, tota petitio cura vt pompæ plena sit, & quæ sequuntur:

496.6. Non committas tibi necesse est.) Non committas, vna t littera abiecta videtur legendum, vt Lamb. & Petreius censet. ac duo verba, necesse est, quæ perturbare orationis structuram videntur, tollenda.

10. Tibi enim cum deter.) Etenim cum deter. Lamb. & Petreius. Qui in nonnullis manuscriptis, Te enim, legi ait. Equidē nihil muto.

17.

17. Nusquam deesse.) Nusquam discedere alij legunt, non male.

21. Dicere, quod eius sit consequi possit. Lamb. leui mutatione lotum illustratum ita edidit. -dicere, si quod eius sit, consequi possis, Se abs te non esse rogatum, & valde ac, &c.

27. Quæ facete abs te.) Lambin. Quæ facito abs te, ex vetere scriptura legit. quæ mihi lectio maxime probatur.

497.6. Promitti sibi.) Prompte sibi, iampridē edidit Victor. Equidem vulgatam lectionem retineo: venustissima enim est huius verbi, promitti, repetitio.

12. Vt id iucunde neges.) Lamb. vt id aut iucunde promittas, aut ingenue neges.

19. Exacturum.) Lamb. exsarturum. Ego sane, si quid mutandum sit, ex vnico verbo duo efficiam - etiam sarturum, vt etiam valeat, atque adeo, aut quippiam aliud huius simile. Nam, &, apice super imposito crebro vsos veteres librarios pro, etiam, inuenias.

498.4. Aut ante susceptis.) Alij, aut, vocem delent.

7. Quod contra officium non rogaretur.) Aut, quoad contra officium, vt Lamb. censet: aut, cum contra officium non rogaretur, legendum videtur.

11. Caussa.) Lamb. hanc vocem tollit velati redundantem, &, vt mihi videtur, recte atque

ordine tollit: alia addit, quæ in ceteris absunt. Ita autem legit, Quod sæpe accideret, cur is cui pollicitus esse non videretur, sæpe vt ipse plus vacuus foret, quam putaret. Ego à vulgata lect. non discedo.

19. Statim abalienant se, & inimicantur: plures enim multo sunt qui rogant, vt vti liceat opera alterius, quam qui vtantur.) Lambinus sublato verbo inimicantur, cuius nullum vestigium in suis manuscriptis lib. ait superesse, ita edidit certe abalienes, & statim, & plures: plures enim multo sunt, qui rogant, &c. Verbo, inimicare, vtitur etiã Horat. carm. lib. 4. od. 15.

24. Præsertim cum multo magis irascantur ijs qui negent, quam ijs, quem vident ea causa impeditum.) Omnino vulgata lectio corrupta, quam ita Lamb. emendare conatur. Præsertim cum multo magis irascãtur ei qui neget, quam ei, quem videant iusta causa impeditum, &c. Ego quidem, si diuinandum est, ita non male posse legi censeam: Præsertim cum multo magis irascantur ijs, qui negent, quam illi, quem videant ea causa impeditum, vt facere quod promisit, etiam si cupiat, nullo modo possit: aut hoc modo. Præsertim cum multo magis irascantur ijs qui negent, quã illi, quem videant ita causa impeditum, vt facere quod promisit cupiat, si vllo modo possit.

499. 3. Aliquid ductum ex eo genere, Lamb.

9.

9. Sequitur enim.) Vocem enim Lamb. tollit, alij retinent: superioribus enim respondet. vt quam plurimorum aures optimo sermone compleant. Videtur autem tamquam serie rerum ductus, ita sequentia superioribus connectere.

20. Existimere, Lambinus legit.

23. Perficiatur, vt Lambi. edidit, pro verbo, proficiatur, corrupto & deprauato edidimus, ratione suffragante Lamb. coniecturæ.

500. 9. Si qui possit.) Alij, si quid possit.

13. Vt spes reipub.) Victor. Vt spes Romani populi: quod tamquam præpostere positum, Lambi. emendat. Vi spes populi Romani. Equidem nihil muto.

18. Viri boni, Lamb.

23. Commonitionibus, pro commotionibus alij malunt. Victor. & Manutius, quos quidem propter vocis affinitatem minime verisimile est, hoc genus emendationis fugisse, commotionibus retinent. Si quis autem diligentius consideret, quæ sit vis huius verbi, commotio, non facile de mendo vulgatam lectionem habeat suspectam.

501. 22. Vt videare occasionem non meditari.) Alij melius, Non vt videare accusationem meditari, sed &c.

FINIS.



Biblioteca Universidad de Deusto

Universidad de Deusto
Biblioteca